MANUALE
THEOLOGIAE MORALIS

SECUNDUM

PRINCIPIA S. THOMAE AQUINATIS

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

DOMINICUS M. PRÜMMER O. PR.
PROF. IN UNIVERSITATE FRIBURGI HELVETIORUM

TOMUS II

«Aquinatem sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem.»
Pius X, Motuproprio d. 24 Iunii 1914
(Acta Ap. Sedis VI 335)

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXV
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI, S. LUDOVICI

De mandato Rev^mi P. Fr. Hyacinthi M. Cormier Mag. Gen. Ord. Praed. nos infrascripti attente perlegimus opus cui titulus «**Manuale Theologiae Moralis secundum principia S. Thomae Aquinatis**» ab Adm. Rev. P. *Fr. Dominico Prümmer*, S. Theologiae Magistro et Iuris canonici Doctore, conscriptum, et nihil contra fidem ac bonos mores, sed ubique solidam atque clare propositam doctrinam invenimus. Quapropter studentibus et confessariis magnae fore utilitatis censemus si tale opus typis mandetur.

Friburgi Helvetiorum, die 15 Iunii 1914.

P. Fr. **Alphonsus v. d. Wildenberg** O. Pr.,
S. Theologiae Magister.

P. Fr. **Marcus M. Sales** O. Pr.,
S. Theologiae Magister.

Attentis approbationibus quae supra imprimi permittimus.

Romae, die 20 Iunii 1914.

(L. S.)

Fr. **Hyacinthus M. Cormier**
Magister generalis O. Pr.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 24 Septembris 1914

✠ **Thomas**, Archiepps

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae

Index partium.

TRACTATUS XI.

De virtute iustitiae et vitiis oppositis.

SECTIO I.

De iure et de ipsa virtute iustitiae.

QUAESTIO I.

De iure ipso.

Pag.

Caput I. De notione et divisione iuris 2
Caput II. De obiecto iuris seu dominii 8
Caput III. De subiecto iuris seu dominii 12
Art. I. De dominio coniugum . 13
De dominio coniugum iuxta ius Romanum 15
De dominio coniugum iuxta codices civiles nonnullarum nationum 15
§ 1. De dominio coniugum iuxta ius Germanicum . 16
A. Regimen legale 16
B. Regimen conventionale . . . 16
§ 2. De dominio coniugum iuxta ius Gallicum . 18
A. Regimen communionis legalis . 18
B. Regimen conventionale . . . 19
§ 3. De dominio coniugum iuxta ius Anglicum 20
§ 4. De dominio coniugum iuxta ius Americae Septentrionalis . 21
§ 5. De dominio coniugum iuxta ius Austriacum . . . 21
§ 6. De dominio coniugum iuxta ius Italicum . . . 22
§ 7. De dominio coniugum iuxta ius Hispanicum 22
§ 8. De dominio coniugum iuxta ius Helveticum 23
A. Systema coniunctionis bonorum . . 24
B. Systema unitatis bonorum . . . 24
C. Systema separationis bonorum . . . 24
Art. II. De dominio filiorum familias 25
§ 1. De dominio filiorum familias iuxta ius Germanicum 27
§ 2. De dominio filiorum familias iuxta ius Gallicum . 29
§ 3. De dominio filiorum familias iuxta ius Anglicum . . . 31
§ 4. De dominio filiorum familias iuxta ius Americae Septentrionalis 31
§ 5. De dominio filiorum familias iuxta ius Austriacum . . . 31
§ 6. De dominio filiorum familias iuxta ius Hispanicum et Italicum . 32
§ 7. De dominio filiorum familias iuxta ius Helveticum . . 32
Art. III. De dominio clericorum 33
Caput IV. De modis acquirendi dominii 38
Art. I. De occupatione . . 38
§ 1. De occupatione in genere . 38

Pag.
§ 2. De occupatione animalium . 39
§ 3. De occupatione thesauri . 43
§ 4. De praeda capessenda in bello . 45
Art. II. De inventione rei amissae . 45
§ 1. Principia iuris naturalis . . 46
§ 2. Statuta iurium civilium modernorum . 48
Art. III. De accessione 51
Art. IV. De praescriptione 52
§ 1. De notione, divisione et valore praescriptionis . . 52
§ 2. De conditionibus requisitis ad legitimam praescriptionem 54
§ 3. Statuta de praescriptione iuxta quaedam iura moderna 58

QUAESTIO II.

De virtute iustitiae in se consideratae.

Caput I. De notione virtutis iustitiae . 62
Caput II. De partibus iustitiae 63
Art. I. De partibus subiectivis seu speciebus iustitiae 64
Art. II. De partibus integralibus iustitiae . . 66
Art. III. De partibus potentialibus iustitiae . 67

QUAESTIO III.

De laesione iustitiae et reparatione iustitiae laesae.

Caput I. De iniustitia in genere . . . 68
Caput II. De iniusta ablatione rei alienae . . 70
Art. I. De natura et gravitate furti in genere . 71
Art. II. De quibusdam furtis in particulari . 73
§ 1. De furtis minutis in genere . 74
§ 2. De furtulis domesticis . 76
§ 3. De furto in rebus publicis 78
Art. III. De causis ablationem rei alienae excusantibus . 79
§ 1. De extrema necessitate tamquam causa excusante 79
§ 2. De occulta compensatione 82
Caput III. De iniusta damnificatione . . . 84
Art. I. De iniusta damnificatione in genere 84
Art. II. De damnificatione cooperativa . 92
§ 1. De cooperatione positiva . 93
§ 2. De cooperatione negativa 100
Art. III. De iniusta damnificatione per facta in bonis corporis humani 102
§ 1. De iniuria contra proprium corpus . . . 102
§ 2. De iniuria contra corpus proximi 107
1. De occisione malefactoris seu de cruenta punitione . . 107
2. De occisione iniusti aggressoris seu de cruenta defensione . 109
3. De duello 113
4. De bello 117
5. De occisione innocentis in genere . 119
6. De craniotomia 121
7. De procuratione abortus 123
§ 3. De iniuria ex stupro et adulterio 130
Art. IV. De iniusta damnificatione per verba 133
I. De iniuriis verborum in iudicio . . 134
§ 1. De obligationibus et peccatis iudicis . . . 134
§ 2. De obligationibus et peccatis accusatoris et actoris 138
§ 3. De obligationibus et peccatis testium . . . 139

Pag.
§ 4. De obligationibus et peccatis advocati . . 142
§ 5. De obligationibus et peccatis accusati seu rei . 144
II. De iniuriis verborum extra iudicia . 147
§ 1. De veracitate 147
§ 2. De mendacio 148
§ 3. De restrictione mentali et amphibologia . 153
§ 4. De violatione secreti 157
§ 5. De laesione honoris 161
§ 6. De laesione famae 164
§ 7. De iudicio temerario 174
Cap. IV. De restitutione seu de reparatione iuris laesi 176
Art. I. De obligatione restitutionis in genere . 176
Art. II. De radicibus restitutionis faciendae 180
§ 1. De prima radice restitutionis, seu de possessione rei alienae 180
1. De possessore bonae fidei 181
2. De possessore malae fidei 185
3. De possessore dubiae fidei 188
§ 2. De altera radice, seu de iniusta damnificatione . . 189
Art. III. De modo et circumstantiis restitutionis . . . 192
§ 1. Cui sit restituendum 192
§ 2. Quo tempore sit restituendum 197
§ 3. Quo loco sit restituendum 197
§ 4. Quomodo sit restituendum 198
Art. IV. De causis a restitutione excusantibus . . . 199
§ 1. De causis eximentibus 199
§ 2. De causis excusantibus ad tempus . . . 201

QUAESTIO IV.

De contractibus.

Cap. I. De contractibus in genere 204
Art. I. De notione et divisione contractuum . 204
Art. II. De requisitis ad contractum . . . 207
§ 1. De re apta 207
§ 2. De personis aptis ad contrahendum . . 210
§ 3. De consensu legitimo 211
§ 4. De forma externa contractuum . . . 216
Art. III. De effectu seu de obligatione contractuum 216
Cap. II. De contractibus in specie . . . 219
Art. I De contractibus gratuitis . . 220
§ 1. De promissione gratuita . . 220
§ 2. De donatione 223
1. De donatione in genere 224
2. De donatione inter vivos et mortis causa . . 225
3. De donatione per testamentum 226
4. De donatione praesumpta seu de successione ab intestato . 230
§ 3. De commodato, precario, deposito, sequestro, mandato et de negotiorum gestione 232
§ 4. De mutuo et usura 233
Art. II.. De contractibus onerosis commutatoriis . . . 238
§ 1. De emptione et venditione in genere . . 238
1. De merce et obligatione venditoris . . 239
2. De pretio et obligatione emptoris . . 242
§ 2. De quibusdam emptionis-venditionis speciebus 246
§ 3. De locatione et conductione . . . 248

Pag.
Art. III. De contractibus aleatoriis . 255
§ 1. De assecurationibus . 255
§ 2. De sponsione . 257
§ 3. De ludo . . . 258
§ 4. De loteria . . 260
§ 5. De speculationibus Bursae 261

SECTIO II.

De partibus potentialibus virtutis iustitiae.

QUAESTIO I.

De virtute religionis (seu de tribus prioribus Decalogi praeceptis).

Cap. I. De natura religionis . . . 263
Cap. II. De actibus virtutis religionis . 267
Art. I. De devotione . . . 267
Art. II. De oratione 270
§ 1. De notione et divisione orationis . . 270
§ 2. De obiecto orationis 275
1. Quae in oratione peti possunt? . . 276
2. Pro quibus orandum est? 277
3. Ad quem orationes nostrae sunt dirigendae? . 280
§ 3. De necessitate orationis 282
§ 4. De efficacia orationis eiusque proprietatibus . . 285
§ 5. De horis canonicis aliisque nonnullis orationibus . 294
Art. III. De adoratione 310
Art. IV. De voto 314
§ 1. De natura et divisione voti 315
§ 2. De subiecto voti 320
§ 3. De obiecto voti 325
§ 4. De obligatione voti 328
§ 5. De cessatione voti ab intrinseco 335
§ 6. De cessatione voti per irritationem 336
§ 7. De cessatione voti per dispensationem . . . 341
§ 8. De cessatione voti per commutationem . . . 350
Art. V. De iuramento 353
§ 1. De notione et divisione iuramenti 354
§ 2. De honestate iuramenti eiusque conditionibus requisitis 356
§ 3. De obligatione iuramenti 362
§ 4. De laesione iuramenti seu de periurio . . . 369
Art. VI. De adiuratione 371
Art. VII. De observatione diei dominicae et festorum 374
§ 1. De natura et origine cultus praestandi diebus dominicis et festivis 375
§ 2. De utilitate sanctificationis diei dominicae et festorum . . 378
§ 3. De praecepto audiendi Missam . . . 380
§ 4. De cessatione ab operibus servilibus . . . 389
Cap. III. De vitiis oppositis virtuti religionis 398
Art. I. De superstitione in genere 398
Art. II. De idololatria 399
Art. III. De divinatione 401
Art. IV. De vana observantia 406
Art. V. De magia et maleficio 407
Art. VI. De magnetismo, hypnotismo et spiritismo . . 409
Art. VII. De tentatione Dei 414
Art. VIII. De blasphemia 415

Pag.
Art. IX. De sacrilegio . . 419
§ 1. De sacrilegio in genere 419
§ 2. De sacrilegio personali 422
§ 3. De sacrilegio locali . 424
§ 4. De sacrilegio reali . 427
Art. X. De simonia 429
§ 1. De natura, divisione et malitia simoniae . 429
§ 2. De simonia iuris divini . . 433
§ 3. De simonia iuris ecclesiastici 437
§ 4. De poenis simoniacorum . 439

QUAESTIO II.

De virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae (seu de quarto praecepto Decalogi).

Cap. I. De pietate, observantia et oboedientia in genere . 442
Art. I. De pietate 442
Art. II. De observantia 444
Art. III. De oboedientia 445
Cap. II. De eisdem virtutibus prout observari debent a filiis, parentibus etc. . 448
Art I. De obligationibus filiorum erga parentes 448
Art. II. De obligationibus parentum erga filios . . 452
Art. III. De obligationibus coniugum 456
Art. IV. De obligationibus dominorum et famulorum . 458
Art V. De obligationibus magistrorum et discipulorum . 461
Art. VI. De obligationibus principum et subditorum . 461

QUAESTIO III.

De ceteris virtutibus iustitiae annexis, nempe de gratitudine, vindicatione, affabilitate, liberalitate et epikeia.

Art. I. De gratitudine . 466
Art. II. De vindicatione 468
Art. III. De affabilitate . . 469
Art. IV. De liberalitate . . . 470
Art. V. De epikeia seu aequitate . 471

TRACTATUS XII.

De virtute fortitudinis et vitiis oppositis.

Cap. I. De notione fortitudinis . 473
Cap. II. De actibus fortitudinis . 474
Cap. III. De partibus fortitudinis . 478
§ 1. De magnanimitate 479
§ 2. De magnificentia 481
§ 3. De patientia 482
§ 4. De perseverantia 483
Cap. IV. De vitiis oppositis tum fortitudini tum virtutibus annexis . 484

TRACTATUS XIII.

De virtute temperantiae et vitiis oppositis.

Cap. I. De notione temperantiae 487
Cap. II. De partibus temperantiae in genere . . 490

Pag.
Cap. III. De subiectivis partibus temperantiae in specie atque de vitiis oppositis 492
Art. I. De virtute abstinentiae et de ieiunio 493
§ 1. De ieiunio in genere 493
§ 2. De extensione ecclesiasticae legis ieiunii . . . 495
§ 3. De lege abstinentiae extra dies ieiunii 503
§ 4. De causis excusantibus a lege ieiunii et abstinentiae 505
Art. II. De vitio opposito virtuti abstinentiae, scil. de gula . 507
Art. III. De sobrietate et vitio opposito, i. e. de ebrietate . 509
Art. IV. De castitate et virginitate 515
§ 1. De castitate 515
§ 2. De virginitate 516
Art. V. De vitio opposito castitati, nempe de luxuria 519
§ 1. De luxuria in genere 520
§ 2. De peccatis internis luxuriae 523
§ 3. De peccatis externis non consummatis luxuriae 525
§ 4. De peccatis luxuriae consummatis iuxta naturam 528
§ 5. De peccatis luxuriae consummatis contra naturam 531
Cap. IV. De partibus potentialibus temperantiae . . 533
§ 1. De continentia . . 533
§ 2. De mansuetudine . 533
§ 3. De clementia . . . 534
§ 4. De modestia . . . 535
1. De humilitate . . . 535
2. De studiositate 538
3. De modestia in exterioribus rebus 538

TRACTATUS XI.

De virtute iustitiae et vitiis oppositis.

Ordo dicendorum. Post tractatum de virtute prudentiae oportet agere de virtute iustitiae, quae inter virtutes morales eminet sub duplici respectu, scil. *subiecti* et *obiecti*. Etenim iustitia subiectatur in nobiliore parte animae, nempe in *voluntate;* aliae autem virtutes morales resident in appetitu inferiore, ut fortitudo in appetitu irascibili, temperantia autem in appetitu concupiscibili. Prudentia vero, quae residet in intellectu practico, non est virtus mere moralis, sed etiam intellectualis, ut supra I, n. 457 dictum est. Ratione obiecti iustitia eminet inter alias virtutes morales, quia aliae virtutes laudantur solum secundum bonum ipsius virtuosi; iustitia autem laudatur etiam secundum quod virtuosus ad alium bene se habet[1]. Nobilissima virtus iustitiae habet plures partes potentiales, quarum officium est reddere debitum personis speciali modo nobis coniunctis, e. g. Deo, parentibus etc. Exinde sequitur, ut virtus iustitiae cum suis partibus potentialibus complectatur fere omnia, quae in toto Decalogo (exceptis praeceptis VI et IX) mandantur. Cum autem claritati parum consuleretur, si fere totus Decalogus sub unico tractatu explicaretur, dividimus hunc tractatum XI in duas sectiones, nempe:

1. De iure et de ipsa virtute iustitiae.
2. De partibus potentialibus iustitiae.

SECTIO I.

De iure et de ipsa virtute iustitiae.

In hac prima sectione agemus 1. de iure ipso, quod est proprium obiectum virtutis iustitiae. Quamplurimae falsae notiones iuris etiam Moralem catholicam laedunt et non solum sunt errores in scientia iuridica. 2. Explicanda est indoles virtutis iustitiae in generali. 3. Cum homo ex fragilitate vel malitia saepe laedat obligationes ex iustitia impositas, agendum est deinde tum de laesione tum de reparatione iustitiae. 4. Demum quia magna pars obligationum iustitiae oritur ex contractibus initis, hinc ultimo tractandum est

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 58, a. 12.

de contractibus. Sic totus tractatus de ipsa virtute iustitiae continetur in quattuor sequentibus quaestionibus:

1. De iure ipso.
2. De virtute iustitiae in se consideratae.
3. De laesione iustitiae ac de reparatione iustitiae laesae.
4. De contractibus.

QUAESTIO I.

De iure ipso.

Dividimus quaestionem istam in quattuor capita, scil. 1. de notione iuris eiusque divisione; 2. de obiecto iuris; 3. de subiecto iuris; 4. de modis acquirendi ius.

CAPUT I.

De notione et divisione iuris.

1 **Notio.** Nomen iuris varie accipitur; significatur enim iuris nomine:

1. *Sententia iudicis.* Unde iudex ius dicit, quando pronuntiat sententiam iudicialem.

2. *Lex,* qua determinatur, quid sit iustum. Quo sensu dicimus: ius canonicum, ius civile, studere iuri etc. Plures auctores vocant ius in hoc sensu acceptum ius *obiective* sumptum illique tribuunt ea, quae pertinent ad leges [1].

3. *Id quod est iustum et quod alteri debetur.* Quo sensu dicimus: reddere alicui ius suum. Vocatur hoc ius etiam *ius passivum* [2], et est proprium obiectum virtutis iustitiae.

4. **Moralis facultas seu potestas aliquid faciendi, habendi, exigendi, omittendi** etc. [3] Hoc sensu dicimus: Aliquis utitur iure suo, ius proprietatis. De hac ultima acceptione iuris, quod etiam ius *activum* seu ius subiective sumptum vocatur, potissimum in hoc capite tractabimus.

Explicatur definitio data. Dicitur 1°: *moralis* facultas; ergo ius non est facultas physica, vel factum physicum, ut docuerunt plures acatholici. Hinc in Syllabo Pii IX damnatae sunt propositiones sequentes [4]: Prop. 59: «Ius in materiali facto consistit, ... et omnia humana facta iuris vim habent.» Prop. 61: «Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.» — Quare

---

[1] Licet ea, quae praedicantur de iure, etiam ordinarie praedicari valeant de lege, tamen ius et lex non sunt prorsus idem. Quare S. Thomas dicit: «Lex non est ius proprie loquendo, sed aliqualis ratio iuris» (S. theol. q. 57, a. 1 ad 2; «Das Gesetz ist nicht das Recht, sondern die Rechtsnorm.»). Hinc non omnes leges possunt proprie vocari ius, sed tantum illae, quae versantur circa ius passivum, e. g. leges politiae *(Polizeigesetze)* incongrue vocantur ius *(Polizeirecht)*.

[2] Graece dicitur: *δίκαιον*.

[3] Germanice dicitur: *Befugnis* (cf. *Göpfert,* Moraltheol. II, § 74).

[4] *Denz.* n. 1759 1761.

verum ius oritur ex sola lege naturali aut ex illa lege positiva, quae conformis est legi naturali aut divinae; falsum est autem, gubernium civile posse aliquod ius concedere contra legem naturalem aut divinam. Merito igitur in eodem Syllabo damnata est propositio (39): «Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.»[1] — Dicitur 2°: *aliquid faciendi* etc., ex quibus verbis sequitur, ut ius alicui homini competens producat in aliis strictum debitum non violandi illud. Ius *(Recht)* et debitum *(Pflicht)* sunt correlativa. Sin nihilominus alter vellet ius alterius laedere et proprium debitum spernere, tunc veram iniustitiam punibilem committeret. Utrumque, scil. ius et debitum humanum, ultimatim derivatur a lege aeterna, quippe quae sit fons et principium omnium aliarum legum, iurium et officiorum. Hinc breviter dici potest: *Non datur ius sine debito; non datur debitum sine Deo.*

Assertio plurium iuristarum supra citata, rempublicam esse omnium iurium originem et fontem, merito a Pio IX proscripta est; est enim haec assertio revera *haereticalis*, quia negat iura naturalia et divina praecedere ipsam reipublicae exsistentiam; est praeterea *iniuriosa* erga nativam hominis dignitatem, quia hominem individuum tradit in servitutem arctam civitatis. Unde S. Thomas[2] dicit nervose: «Lex scripta [humana] sicut non dat robur iuri naturali, ita nec potest robur eius minuere aut auferre, quia nec voluntas hominis potest immutare naturam.»

Tres acceptiones iuris supra sub n. 2, 3, 4 enumeratae sequenti schemate possunt coordinari:

ius obiectivum = leges[3]

causat

ius subiectivum, quod est:

vel	vel
ius passivum, i. e. id quod alicui debetur.	ius activum, i. e. moralis facultas aliquid exigendi etc.

Ex dictis sequitur, ut animalibus non competant iura, quia non sunt praedita facultatibus *moralibus*. Ergo numquam quis committit iniustitiam proprie dictam contra animal aliquod. Hanc veritatem theologi solent breviter exprimere: Animalia sunt quidem obiectum, sed non subiectum iuris[4].

Divisiones. Inter multiplices divisiones iuris subiectivi sequentes 2
videntur esse principaliores:

1. Ratione *originis* ius dividitur in *naturale, positivo-divinum* et *humanum*. Ius *naturale* est aliquid faciendi, exigendi etc. moralis facultas homini competens ex ipsis principiis naturae; e. g. ius defendendi propriam vitam, ius possidendi bona etc. Ius *positivo-divinum* est illa facultas, quae homini competit vi specialis decreti divini;

---

[1] *Denz.* n. 1739. [2] S. theol. 2, 2, q. 60, a. 5 ad 1.
[3] *Rechtsgrund, Rechtsgesetze, Rechtsnormen.* [4] Cf. *Göpfert* l. c.

e. g. ius sacramenta suscipiendi, ius Evangelium audiendi. Ius *humanum*, quod iterum dividitur in *ecclesiasticum* et *civile*, illud est, quod emanat vel a lege ecclesiastica vel a lege civili. Sic parochiani habent ius, ut parochus eis administret sacramenta; cives autem civitatis habent ius, ut protegantur quantum ad vitam et bona a gubernio civili. Iura naturalia sunt aut *innata*[1] aut *adventitia*[2]. Ius innatum est e. g. ius filiorum ad sustentationem convenientem a parentibus recipiendam. Ius adventitium est e. g. ius, quod quis acquirit emptione alicuius rei. Ius naturale (idem valet de iure positivo) dividitur etiam in ius *abdicabile*[3], e. g. ius in aliquam possessionem, et in ius *inabdicabile*[4], e. g. maritus nequit ius suum in uxorem abdicare, ita ut alius cum ea vivere licite possit.

2. Ratione *effectus* distinguitur ius *strictum* et ius *non strictum*. Ius *strictum* illud est, quod ita arcte conectitur cum homine, ut non possit ab ipso auferri sine manifesta iniuria. Huiusmodi ius est e. g. ius proprietatis legitimae. Quando enim quis meam proprietatem legitimam mihi aufert, laedit ius meum strictum et tenetur reparare iustitiam laesam. Ius *non strictum* seu latum vel imperfectum illud est, cuius laesio non constituit iniustitiam proprie dictam, sed quandam *inconvenientiam* plus minusve gravem. Ius non strictum habet pauper (communis) ad eleemosynam, homo bene meritus de republica ad honores etc.

3. Ius *strictum* subdividitur in ius *in re* et ius *ad rem*. Haec divisio celeberrima est tum in iure ecclesiastico tum in iure civili. Ius *in re* (seu ius *reale*)[5] illud est, quo quis gaudet de re aliqua iam legitime in sua dispositione exsistenti. Quae autem conditiones necessariae sint, ut aliqua res legitime in dispositione alicuius sit, solet determinari a legibus civilibus[6]. Hoc ius confert actionem realem, i. e. actionem, quae rem ipsam immediate attingit, ubicumque demum haec res inveniatur. Ius *ad rem*[7] (seu ius personale seu ius quaesitum) est illud, quod quis habet, ut aliqua res nondum possessa fiat sua. Quod ius dat actionem personalem[8], quae *personam detinentem* immediate attingit et nonnisi mediate rem ipsam. Unde si quis habet tantum ius ad rem, non potest statim illam rem occupare, sed debet prius, si hoc est possibile, personam, quae detinet rem et tradere renuit, in iudicium vocare. *Ius ad rem est igitur via ad ius in re*[9].

3 **De dominio.** Ius in re vocatur etiam *dominium*, quod communiter solet definiri: *facultas legitima disponendi de aliqua re tamquam sua.* Dicitur 1°: facultas *legitima*, i. e. facultas concessa sive a iure naturali sive a iure positivo. Ergo homo habens dominium alicuius rei disponere de illa tantum potest intra limites a lege positos. Hinc homo

---

[1] *Angeborenes Recht.* [2] *Erworbenes Recht.* [3] *Veräußerliches Recht.*
[4] *Unveräußerliches Recht.* [5] *Dingliches Recht, Sachenrecht.*
[6] Cf. e. g. Cod. civ. Germ. § 854 sqq.
[7] *Forderungsrecht.* [8] *Persönliches Klagerecht.*
[9] Cf. praecipue *Göpfert*, Moraltheol. II, § 74 b; vel *Tanquerey*, De iustitia n. 18; vel *Müller*, Theol. mor. II, § 93.

dives dissipans bona sua non quidem peccat contra iustitiam commutativam neque contra ius positivum, sed peccat contra ius naturale, committens peccatum prodigalitatis, quod quidem est contra liberalitatem, quae est pars potentialis iustitiae. Dicitur 2°: disponendi de aliqua re tamquam *sua*. Ergo curatores et dispensatores rerum alienarum non habent illarum dominium. Exercitium huius facultatis disponendi aliquando ligatum est lege civili vel statuto; e. g. pueri non possunt disponere de bonis suis.

Dominium multas subdivisiones nactum est, quarum praecipuae sunt sequentes:

a) Dominium *divinum* et dominium *humanum*. Deo competit titulo creationis et conservationis perfectissimum dominium iuxta illud: «Domini est terra et plenitudo eius orbis terrarum et universi qui habitant in eo.»[1] Homini competit dominium ex delegatione Dei. — Dominium humanum subdividitur in:

b) Dominium *plenum* et dominium *semiplenum*. Primum est facultas perfecta disponendi tum de re ipsa tum de eius fructibus. Alterum est facultas disponendi aut de re aut de eius fructibus. Subdividitur autem hoc dominium semiplenum in *radicale seu directum*, si quis retinet quidem proprietatem rei, sed non habet liberam dispositionem neque de re ipsa, neque de fructibus[2]; et in *indirectum seu utile*, quod se extendit aut ad proprium usum rei fructusque eius, salva substantia rei, *quin fructus rei possint alienari* — tunc vocatur *usus* —; aut se extendit ad totale dominium fructuum etiam cum facultate eos *alienandi* (salva tamen rei ipsius substantia), et tunc habetur *ususfructus*. Isti duo modi dominii praesertim locum habent in contractibus locationis, emphyteusis etc. Usus et ususfructus legitime obtenti inducunt quaedam iura et debita tum pro domino rei tum pro illo, qui habet dominium utile. Attendendae sunt leges civiles cuiusque regionis[3]. Generatim loquendo ususfructuarius habet plenum dominium omnium fructuum, qui ex re quoquo modo oriuntur. Excipiuntur thesauri forsan inventi in illa re[4]. Tenetur autem ususfructuarius solvere annua tributa, quae censentur esse onera fructuum; tenetur conservare rem in statu, quo illam accepit, et proinde parvas reparationes facere. Maiores autem reparationes ab ipso domino faciendae sunt. Deinde tenetur administrare rem sicut bonus paterfamilias.

c) Dominium *altum* et dominium *humile*. Primum est illud, quod habet suprema civitatis potestas disponendi aliquando ex gravi causa de bonis privatorum in bonum communitatis. Alterum est dominium privatorum, cui definitio superius data convenit. Dominium

---

[1] Ps 23, 1.

[2] Huiusmodi dominium radicale habent e. g. religiosi de bonis suis post professionem simplicem et generatim omnes, quibus a lege interdicitur libera dispositio de bonis propriis, ut e. g. pupilli.

[3] Cf. Cod. civ. Germ. § 1030 sqq; Cod. civ. Gall. art. 578 sqq.

[4] Cod. civ. Germ. § 1040.

altum[1] non est dominium proprie dictum, cum suprema civitatis potestas non sit domina possidens bona omnium subditorum, neque possit illa in proprium commodum convertere. Tale dominium altum exerceri non debet nisi *α)* vera necessitate *communitatis* postulanti, *β)* data compensatione aequivalenti et quin unus subditus plus oneretur quam alius. Dominium altum non raro exercetur nostris diebus in sic dictis expropriationibus pro viis ferreis aliisque viis construendis.

Dominio humili, quod aliquando etiam vocatur dominium privatum, opponitur *communitas bonorum.* Cum nostris diebus Socialismus alta voce proclamet, dominium privatum nihil esse aliud nisi furtum, et communitatem bonorum esse instituendam, necessarium est hic pauca dicere **de origine atque liceitate proprietatis et dominii privati.**

4 Auctores non concordant, unde primitus dominium ortum sit. Alii (Hugo Grotius, Pufendorf) volunt illud ortum esse *a pacto sociali,* quo homines convenerunt, ut bona antea omnibus communia in posterum inter singulos dividerentur. Alii (Hobbes, Montesquieu, Bentham, plures moderni) docent, divisionem bonorum primitus factam esse *a lege civili.* Alii, scil. moderni Socialistae, docent, divisionem bonorum introductam fuisse *violenta occupatione,* ita ut fortiores, superatis debilioribus, bona antea communia violenter et iniuste occupaverint. — Relictis his sententiis melius et rectius est secernere in hac materia quaestionem iuris et quaestionem facti. Sane aliquando dominium privatum factum est prima occupatione, ut quando accolae advenerunt in terram eousque inhabitatam. Aliquando etiam dominium privatum constituitur ex lege civili, ut quando gubernium civile assignat quibusdam agricolis terras colendas. Aliquando demum divisio proprietatum facta est ex pacto sociali, ut legimus in S. Scriptura de divisione terrarum inter Abraham et Lot[2]. — Quantum autem ad *quaestionem iuris,* absque dubio *ex ipso iure naturali* sequitur dominium privatum, non quidem eo sensu, quod communitas bonorum sit directe contra ius naturale, sed quod illa, visis omnibus circumstantiis, ut plurimum, non sit ita conformis iuri naturali. Quod hoc modo ab Angelico Doctore[3] explicatur: *α)* Quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid, quod sibi soli competit, quam id, quod est commune omnium vel multorum. Cura enim de rebus exigit laborem defatigantem, et si laborandum est pro bono communi, multi abhorrent a defatigatione. *β)* Quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis imminet propria cura alicuius rei procurandae; esset autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. *γ)* Ad conservationem pacis. Unde videmus, inter eos multa et frequentia iurgia oriri, qui unam eandemque rem in communi possident. — Merito igitur Leo XIII dixit in sua encyclica «Rerum novarum»: «Possidere res privatim ut suas, ius

---

[1] *Obereigentumsrecht, droit d'expropriation.*

[2] Gn 13, 8 sqq. [3] S. theol. 2, 2, q. 66, a. 2.

est homini a natura datum.» S. Thomas (et cum illo plures theologi) docet, dominium privatum introductum fuisse *ex iure gentium*, sed sub nomine iuris gentium intelligit ius derivatum ex ipso iure naturali[1]. En eius verba: «Alio modo aliquid est naturaliter alteri commensuratum, non secundum absolutam sui rationem, sed secundum aliquid, quod ex ipso sequitur, puta proprietas possessionum; si enim consideretur iste ager absolute, non habet unde magis sit huius quam illius; sed si consideretur per respectum ad opportunitatem colendi et ad pacificum usum agri, secundum hoc habet quandam commensurationem ad hoc, quod sit unius et non alterius.»[2] Et idem Angelicus Doctor dicit: «Ad ius gentium pertinent ea, quae derivantur ex lege naturae, sicut conclusiones ex principiis.»[3] Ex his omnibus manifeste eruitur, dominium privatum esse quid licitum, Communismum vero praedicatum a Socialistis esse reiciendum.

Scholion. De hostibus dominii privati. Dominium privatum esse 5
illicitum et proinde abolendum, docuerunt: a) *Apostolici* (Apotacticae, Renuntiatores), asserentes, hominem non posse salvari nisi exemplo apostolorum vivat liber a qualibet possessione[4]. b) *Manichaei*, dicentes, possidere agros, domus, pecuniam esse illicitum[5]. c) *Waldenses* et *Albigenses*, docentes saltem perfectos homines debere abrenuntiare omni possessioni. Praesertim autem omnibus viribus contra dominium privatum pugnant: d) *Socialistae* et *Communistae* moderni. Socialismus modernus solet esse coniunctus cum Anarchismo, Indifferentismo in rebus religionem attingentibus, immo fere semper cum pugna contra quamlibet religionem positivam. Socialismus hodiernis temporibus late grassatur fere ubique terrarum et adhuc in dies crescit. Sane inter se divisi sunt Socialistae, sed fere omnes conveniunt in principio a Carolo Marx enuntiato: *Capitale est purum putidumque furtum*, quia natum est ex retentione pecuniae, quae debebatur operariis pro suis laboribus. Pariter ab omnibus Socialistis sequentia postulata proponuntur:

1. Ius eligendi deputatos prorsus generale tum pro viris tum pro mulieribus (inde a vigesimo aetatis anno).
2. Ius eligendi omnes superiores et officiales civitatis.
3. Religio est res privata, i. e. unusquisque exerceat religionem quam mavult.
4. Schola laicalis sine instructione religiosa.
5. Separatio Ecclesiae a Statu.
6. Abolitio omnium tributorum indirectorum.

Historiam et diversas formas Socialismi vide apud Tanquerey[6]. Etsi omnino non est prohibitum, quominus opifices ceterique homines minoris conditionis legitimis quibusque mediis conentur habere melius salarium et statum suum favorabiliter elevare, numquam tamen licet adhibere media a catholica Theologia morali prohibita ad istum finem obtinendum. Plures con-

---

[1] De diversis acceptionibus iuris gentium cf. *Cathrein*, Moralphil. I 596—606.

[2] S. theol. 2, 2, q. 57, a. 3. [3] Ib. 1, 2, q. 95, a. 4.

[4] Cf. *S. Epiph.*, Adv. haer. 61; *S. Aug.*, De haer. 40; *S. Ioan. Dam.*, De haer. 61; vide etiam *Wetzer* et *Welte*, Kirchenlex., s. v. «Apostoliker».

[5] Cf. *S. Aug.*, De mor. eccl. l. 1, c. 35, n. 78.

[6] Theol. mor. II, n. 54 sqq.

sociationes christianis imbutae principiis iam exsistunt ad sortem opificum meliorandam. Sacerdos caute et prudenter huiusmodi associationes fovere debet; sed omnes operarii deterrendi sunt a consociationibus socialistis, quippe quae, experientia lugubri testanti, religionem et bonos mores operariorum fere semper pessumdent, neque sortem materialem ipsorum melius reddant. Hinc sacerdos totis viribus doceat operarios, licitum esse dominium privatum, neque possessiones divitum esse semper furtum; laborandum esse in sudore vultus, ut iam post lapsum Adae toti generi humano est a Deo praedictum; felicitatem humanam veram non esse sitam in magnis possessionibus, sed in bono usu rerum materialium, et melius esse, minus egere quam plus habere, ut S. Augustinus dicit. Imprimis etiam promoveat fervidum exercitium religionis tum apud divites tum apud operarios. Quia enim caritas refriguit, inde durities orta est apud divites. Cum autem fides tepida facta sit apud omnes, inde iam non totis viribus operarii aeternam felicitatem anhelant, sed per fas et nefas quaerunt felicitatem terrenam atque immanibus passionibus abripiuntur. Socialismus non ubique eundem gradum perversitatis habet, unde videndae sunt circumstantiae singularum regionum. In Germania (generatim loquendo) operarii nomen dantes sectae Socialistarum non sunt digni absolutione sacramentali, nisi promittant quantocius sectam istam relinquere. Immo Heiner docet non absque fundamento, Socialistas in Germania cadere sub excommunicatione lata contra illos, qui machinantur contra potestatem civilem aut ecclesiasticam. Quidquid est de ista sententia[1], hoc certum est, Socialistas Germanicos multum nocere religioni catholicae.

CAPUT II.

De obiecto iuris seu dominii.

Tota doctrina de obiecto dominii comprehenditur quinque principiis:

6 **Principium 1.** *Homo habet dominium utile, non autem dominium absolutum in bona, quae sunt sibi intrinseca, nempe animae et corporis.*

Homo enim est quasi Dei villicus, cui commissa sunt diversa talenta corporis et animae administranda. Porro villicus non habet absolutum dominium bonorum sibi concreditorum, sed illa administrare tenetur iuxta beneplacitum domini; potest tamen talentis datis uti ad proprium commodum. Ex hoc principio sequuntur corollaria valde practica, scil.:

Corollarium 1. Homo arrogat sibi ius, quod non habet, quando vitam corporis suicidio pessumdat. «Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem», dicitur in S. Scriptura[2]. Pariter homo committit iniuriam, si sanitatem corporalem sine sufficienti ratione corrumpit aut in discrimen vocat. Multo autem maior est iniuria Deo illata, quando homo per peccatum mortale perdit vitam animae suae.

Corollarium 2. Homo nequit corpus suum tractare, sicut illi placet. Hinc homo non potest licite sibi abscidere membra, nisi hoc sit necessarium ad salvandam vitam; non potest corpore suo uti ad luxuriam; potest autem, immo et debet etiam cum detrimento corporali vitam animae tueri; potest etiam propter exercitium virtutum et ad magnam utilitatem animae

---

[1] Cf. infra in tractatu de censuris. [2] Sap 16, 13.

sanitatem corporalem periculo exponere aut minuere, e. g. ieiunando, graves labores suscipiendo, proficiscendo ad exteras missiones pro praedicatione Evangelii etc.

Principium 2. *Homini competit strictum dominium (licet limitatum) famae suae.* 7

Bona fama est pretiosissimum bonum. Unde dicitur in S. Scriptura: «Melius est nomen bonum quam divitiae multae.»[1] Hinc magnam iniuriam committit ille, qui alteri famam bonam aufert aut minuit per calumniam aut detractionem. (Quomodo post talem iniuriam restitutio facienda sit, vide infra, ubi de damnificatione agitur.) Nihilominus homo potest ex rationabili causa iacturam suae famae voluntarie facere, e. g. ad humilitatem exercendam, ad celebrandam Dei misericordiam etc. Hinc S. Augustinus scripsit librum Confessionum, S. Franciscus Assisiensis voluit haberi tamquam fatuus etc. Attamen dominium hominis super famam suam multas limitationes patitur. Etenim cum bona fama sit ita necessaria pro felici et fructifera operatione hominis, requiritur revera gravis causa, ut licita sit voluntaria iactura eius. Hinc etiam monet S. Scriptura: «Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni. Bonae vitae numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in aevum.»[2] Quare sicut non licet bona sua temporalia dissipare, ita a fortiori non licet famam suam sine gravi causa in periculum vocare. Graviter autem homo prohibetur famam suam minuere, praesertim si infamia eius redundat in proximum, e. g. in familiam suam, in conventum in quo vivit; si bona fama valde necessaria est ad officia status exercenda. Hinc sacerdos nequit permitttere, (quin serio contradicat) laesionem famae suae, quia fideles non habebunt fiduciam in sacerdotem, cuius fama maculata est. Generalis ergo regula est: Licet pati iacturam famae propriae, *si boni effectus inde sequentes praevalent malis.* In praxi tutius solet esse non nimis fidere proprio iudicio in hac materia, sed petere consilium prudentis viri.

Principium 3. *Homo habet dominium in foetus ingenii et industriae suae, prout tamen a singulis legibus civilibus est determinatum.* 8

Omnes quidem docent esse purum putidumque furtum, si quis clam alteri subripit manuscripta aut inventa *nondum publici iuris facta,* quia legitimus dominus est rationabiliter invitus propter grave damnum et gravem iniuriam ipsi illatam. Sed quando manuscriptum iam est typis impressum, aut si inventum (vulgo *Patent*) iam est divulgatum, disputant theologi, num nova impressio libri sine licentia auctoris facta, vel imitatio inventi sit contra ius naturale et ad restitutionem obliget. Nonnulli negant, quia opus semel evulgatum iam fit bonum commune, quod ab omnibus licite occupari potest[3]; sed communior et verior sententia affirmat, cum restrictionibus tamen supra indicatis. Et revera videtur esse magna iniuria, illum qui forsan cum duris laboribus librum conscripserit, aut aliquid novum invenerit, frustrari fructibus suorum laborum, eo quod alius librum reddere aut imitationem inventi facere possit. Attamen ex alia parte esset bono communi valde nocivum, si *in perpetuum* reservata remaneret publicatio et imitatio talium operum. Qua-

---

[1] Prov 22, 1. [2] Eccli 41, 15 sq.

[3] Ita praesertim *Bucceroni,* Theol. mor. I, n. 878; aliqualiter etiam *Marres,* De iust. I, n. 24; *Vermeersch,* De iust. n. 246 sqq.

propter necesse est, ut ius positivum iura auctoris quidem protegat, sed etiam limitet, et sic revera factum est apud omnes gentes excultas. Immo hac de re internationalia pacta exsistunt inter plures nationes. Iam a. 1886 Bernae in Helvetia tale pactum initum et Parisiis a. 1896 auctum fuit inter plures nationes. Postea autem quaedam nationes adhuc specialia pacta inierunt [1]. Cum ius naturale non habeat speciales determinationes de dominio auctorum, cumque determinationes diversarum legum civilium videantur satis iustae, illae etiam in conscientia obligant, et transgressiones non tantum peccatum, sed etiam obligationem restitutionis inducunt, si verus dominus grave et certum damnum passus est. In praxi quantitas restitutionis difficulter determinari potest, quia fere impossibile est pensare damnum, quod auctor passus est. Ad rem scribit Lehmkuhl: «Ad restitutionem eam tenetur, quam definiverit iudex, si in ius vocatur. Si auctor rem in iudicio prosequi nolit neque tamen restitutioni renuntiat, id restituendum est auctori et editori, in quo secundum aequam aestimationem damnum passi seu lucro fraudati sint.» [2] Animadvertendum est, aliquando restitutionem non tantum inventori, sed etiam emptoribus faciendam esse. E. g. aliquis produxit liquorem similem celeberrimo liquori vulgo «Chartreuse» et vendit illum tamquam verum «Chartreuse». In hoc casu resarcienda sunt damna illata 1. legitimis proprietariis producentibus verum «Chartreuse»; 2. illis omnibus, qui falsum «Chartreuse» ex errore emerunt, cum ille falsus liquor multo minorem valorem habeat quam verus liquor, et insuper bibentibus sanitatem forsan diminuerit. Emptores ut plurimum sunt ignoti, et proinde loco illorum pauperibus vel causis piis est aliquid dandum. Quantum autem et quomodo restituendum sit, haud facile definiri potest. Falsificator non meretur magnam indulgentiam. Si detectus fuerit, vel ab ipso iure civili gravissime punitur et poenam impositam tenetur solvere. Sin autem a civili iudice captus non fuerit, nihilominus illi incumbit moralis obligatio damna resarciendi, quod hoc modo in praxi fieri posset: deductis expensis, quas in fabricatione rei fecit, totum lucrum dividat in duas partes, quarum alteram expendat in causas pias, alteram vero proprietario legitimo producenti restituat. Ita salva meliore sententia et praecisis circumstantiis prorsus particularibus aliquando occurrentibus. — Saepe licentia auctoris praesumi potest ad publicandos parvos articulos ab illo editos; idem valet de translationibus in aliud idioma, dummodo tamen sit res minoris momenti. Ita enim fert usus communis. Multi autem auctores in istis casibus exigunt, ut indicetur a translatore vel novo publicista, unde sumpserit articulum scriptum.

9 **Scholion. De dominio auctorum iuxta modernas leges civiles.** Dominium auctorum protegitur a iure civili Hispanico durante vita auctoris et post eius mortem per 80 annos [3]; a iure civili Gallico durante vita auctoris et post eius mortem adhuc per 50 annos; a iure Germanico, Austriaco et Helvetico durante vita auctoris et deinde per 30 annos; a iure Britannico per 42 annos post primam operis apparitionem; a iure Americae Septentrionalis per 28 annos a die, quo liber fuit missus ad «Librarian of Congress, Washington»; duratio 28 annorum potest prolongari per alios 14 annos. De iuribus diversarum regionum circa ius novae inventionis (vulgo *Patentrecht, patent right, droit sur les brevets d'invention*), cum ista iura sint haud

[1] Cf. Herdersches Konversationslex., s. v. «Urheberrecht».

[2] Casus consc. I, n. 580.

[3] Cf. *Larraga-Saralegui*, Comentarios al P. Larraga n. 703.

facilia tum pro intellectu tum in practica applicatione, non vacat hic loqui. Si casus occurrat in confessionali, confessarius prius consulat virum probum, qui in hac re est peritus (vulgo *Patentanwalt*); est enim moraliter impossibile, ut confessarius possit rectum iudicium ferre in re tam ardua sine praevio consilio alicuius periti in iure civili.

Principium 4. *Homini competit dominium strictum in bona externa legitime possessa.* 10

Patet ex supra dictis de liceitate talis dominii et de absurditate Communismi.

Principium 5. *Homo non habet dominium plenum in alium hominem, potest tamen habere dominium utile.* 11

Hinc nullus homo privatus potest disponere de corporali aut spirituali vita proximi. Quantum enim ad hoc omnes homines sunt aequales. Unde est iniustitia gravissima, si quis propria auctoritate alium occidit, nisi tamen agat ex legitima defensione seu cum moderamine inculpatae tutelae, ut infra de iniusto aggressore explicabitur. Legitimus iudex potest infligere poenam mortis, tamquam vices gerens Dei, ut infra n. 117 dicetur. — Dominium *utile* in facultates et opera proximi potest alicui homini competere, quia hoc sequitur necessario ex inaequalitate status diversorum hominum. Quae quidem diversitas a Deo ipso instituta est, cum voluerit alios esse dominos, alios autem esse servos. Quapropter omnes theologi docent, etiam servitutem proprie dictam, qua quis per totam vitam alteri tenetur in omnibus licitis servire, esse neque ex iure naturali neque ex iure positivo divino prohibitam Hinc videmus servitutem non tantum apud gentes barbaras, sed etiam apud Iudaeos exsistentem [1]. Manifeste supponitur servitus ut quid in se licitum etiam in Novo Testamento. Etenim Apostoli iubent, ut servi subditi sint «in omni timore dominis, non tantum bonis, sed etiam dyscolis» [2]; dominos adhortantur, ut benigne tractent servos [3]; illis suadent quandoque, sed non praecipiunt, ut eos liberent [4]. Nihilominus, historia testante, servitus multos abusus fere semper involvit; ideoque ius tum civile tum ecclesiasticum servitutem proprie dictam graviter prohibet nostris diebus [5].

Scholion. De variis bonorum generibus. Postquam dictum est de obiecto dominii, praestat addere parvas explicationes de variis bonorum generibus, quae sub dominio cadent. Diversi enim codices civiles apprime distinguunt inter diversa genera bonorum. Sunt autem: 12

1. Bona *mobilia* et *immobilia*. Priora [6] sunt ea, quae de loco in locum facile transferri possunt. Posteriora sunt ea, quae aut transferri non possunt, aut censentur inseparabiliter coniuncta cum re immobili. In singulis codicibus solet determinari, quaenam bona censeantur immobilia et quaenam non. Tum in iure Germanico, tum in iure Gallico censentur bona immobilia praeter domus et agros aliaque, quae solo inhaerent, etiam: a) segetes aliique fructus, quamdiu sunt coniuncti cum solo, non autem postquam per messem a solo sunt separati; b) iura, quae cum aliquo bono immobili sunt coniuncta, e. g. ius

---

[1] Cf. Ex c. 21; Lv c. 25; Dt c. 20—21.

[2] 1 Petr 2, 18; similia habentur Col 3, 22; Eph 6, 5.

[3] Cf. Eph 6, 9; Col 4, 1. [4] Fere tota epist. ad Philemonem.

[5] Cf. Greg. XVI const. «In supremo apostolatus» d. 3 Dec. 1839, et Leonis XIII encycl. «In plurimis» d. 5 Maii 1888. [6] *Fahrnis, fahrende Habe.*

patronatus, servitutes activae etc; c) machinae in aliqua officina necessariae; animalia necessaria pro agricultura peragenda etc.[1]

2. Bona *fungibilia* et *non fungibilia*[2]. Res fungibiles sunt bona mobilia, quae vice aliarum fungi possunt et quae in commercio numerari, ponderari et mensurari solent, e. g. pecunia (quae inter omnes res fungibiles iuxta modernam praxim primum locum obtinet), oleum, frumentum. Si enim quis mihi commodavit e. g. 100 francos, non teneor prorsus eosdem nummulos auri vel argenti reddere, sed loco nummulorum commodatorum quicumque alii nummuli eiusdem valoris fungi possunt. — Res autem non fungibiles sunt illae, quae non possunt per alias substitui, sed si sunt a domino commodatae aut ablatae, prorsus *identice* reddi debent, e. g. si quis hunc equum commodavit, non sufficit alium equum reddere, sed reddi debet prorsus idem equus.

3. Bona *consumptibilia* et *non consumptibilia*[3]. Bona consumptibilia censentur illae res, quae ut tales primo usu consumuntur, e. g. cibus, potus, pecunia etc. Dico autem: quae *ut tales* primo usu consumuntur; nam non requiritur, ut prorsus destruantur aut aliam naturam accipiant. Sic e. g. pannus ex quo facta est vestis, remanet quidem, sed iam factus est vestimentum et desinet esset pannus. Proinde censetur res primo usu consumptibilis. Bona autem non consumptibilia sunt res, quae primo usu minime consumuntur, sed in suo primo statu permanent, e. g. vestis, domus, libri etc.

Istae divisiones memoriae mandandae sunt, quia secus plures locutiones codicum civilium difficulter intelligi possunt.

CAPUT III.

De subiecto iuris seu dominii.

Subiectum dominii vocatur ille, qui est dominus alicuius rei seu ille, cuius est aliqua res.

13 **Principium.** *Sola creatura rationalis potest esse subiectum dominii, non autem creatura irrationalis et a fortiori non creatura inanimata.*

Ratio est: a) Quia sola creatura rationalis est *imago Dei,* aliae autem creaturae non sunt nisi vestigium Dei. Est enim creatura rationalis imago Dei, quia habet animam spiritualem donatam intellectu et voluntate. Hoc autem esse causam dominii humani haud obscure eruitur ex verbis Creatoris dicentis: «Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram *et praesit piscibus maris et bestiis terrae.*»[4] Tribuit enim Creator homini dominium super pisces et bestias, id est super totam creaturam, eo quod est imago Dei; seu quia habet intellectum et voluntatem. b) Quia dominium est *moralis* facultas disponendi de aliqua re, ut supra dictum est. Iamvero nullum ens nisi rationale habet moralem facultatem, quippe quae supponat intellectum et voluntatem.

---

[1] Cf. Cod. civ. Germ. § 93—98, ubi hae res vocantur: *Wesentliche Bestandteile einer Sache und Zubehör.*

[2] *Vertretbare und nicht vertretbare Sachen* (cf. Cod. civ. Germ. § 91).

[3] *Verbrauchbare und nicht verbrauchbare Sachen* (ib. § 92).

[4] Gn 1, 26.

Resolves. 1. *Animalia* non sunt subiectum iuris, ut iam supra 14
n. 1 dictum est. Proinde si quis petulanter trucidat aut crudeliter tractat animalia, nullum laedit ius, nec etiam committit iniustitiam. Nihilominus crudeliter tractare et vexare animalia (sine sufficienti ratione) est peccaminosum, tum quia rectae rationi repugnat, tum quia homo in tali tortura saepe quaerit voluptatem plane perversam. Et revera homo tenetur in omnibus actionibus agere propter finem honestum. Iamvero crudeliter tractare animalia sine sufficienti ratione evidenter non fit propter honestum finem. Ergo homo peccat inutiliter torquendo animalia. Quod quidem peccatum per se non est nisi *veniale,* cum sit nihil nisi excessus in usu ceteroquin *licito.* Per accidens tale peccatum evadit mortale, e. g. propter libidinem sexualem causatam haud raro in tortore (Sadismus).

2. Etiam *amentes* et *pueri ante usum rationis* sunt capaces dominii *habitualis;* habent enim et ipsi intellectum et voluntatem, licet istis potentiis non possint actualiter uti. *Actualis* usus autem rationis et voluntatis minime requiritur pro dominio; secus etiam dormientes et ebrii amitterent dominium. Unde S. Paulus tribuit parvulis verum hereditatis relictae dominium his verbis: «Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum [i. e. quamvis] sit dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.» [1] Ita etiam statuunt iura civilia moderna [2]. Cum homo etiam ante nativitatem (saltem ultimis mensibus post conceptionem) certo animam rationalem possideat, hinc quantum ad *aliqua saltem* iam post conceptionem est capax dominii, e. g. quantum ad capacitatem hereditatem accipiendi [3].

3. Non tantum personae physicae, sed etiam *personae morales* seu iuridicae possunt esse subiectum dominii. Quaenam autem requirantur, ut aliqua persona iuridica ecclesiastica aut civilis omnia iura dominii habeat, determinatur a iure ecclesiastico aut civili. Personae iuridicae ecclesiasticae sunt e. g. parochiae, monasteria etc.; personae autem iuridicae civiles sunt e. g. consociationes commerciales legitime institutae, ut instituta nummularia (vulgo *Bank*).

Cum sint speciales difficultates circa *uxores, filios familias* et *ecclesiasticos,* prout isti sunt subiectum dominii, auctores solent singulatim tractare de istis omnibus. Plures theologi etiam separatim tractant de dominio auctorum, sed ea quae supra dicta sunt de dominio in foetus ingenii proprii plane sufficiunt.

ARTICULUS I.

De dominio coniugum.

Principia generalia. Vir et mulier matrimonium contrahentes 15
individuam vitae consuetudinem ineunt, cuius vir est caput. Uterque

---

[1] Gal 4, 1 sq. [2] E. g. Cod. civ. Germ. § 1; Cod. civ. Gall a. 8.
[3] Cf. Cod. civ. Germ. § 1923.

tamen in societate matrimoniali iura naturalia retinet, ut per se patet. Proinde uterque manet capax dominii. Ambo coniuges debent pro viribus satagere pro convenienti sustentatione familiae; alter debet etiam alterum congruenter sustentare. Ex quibus sequitur (utcumque iura civilia statuta sunt et quamvis nihil ad bonum familiae materiale uxor contulerit), ipsam tamen strictum ius habere ad *convenientem sustentationem* iuxta conditionem suam.

16 **Honesta sustentatio** coniugis complectitur: a) victum et vestitum congruum; b) facultatem impendendi quaedam ad honestam recreationem, largiendi parva munera, dandi eleemosynas, sicut aliae mulieres eiusdem conditionis facere consuescunt. Unde uxor non peccat contra iustitiam, si haec omnia faciat, inconsulto aut invito marito. Attamen in praxi uxor non debet invito marito ita disponere de bonis communibus (aliter res se habet, si uxor disponit de bonis suis peculiaribus) nisi vera necessitate saltem morali flagitante; quia secus magni abusus et plurimae lites inter coniuges oriri possent. Quod quidem praecipue valet, si agitur de eleemosynis et donis; melius est enim abstinere ab istis quam discordiam procurare. Maior est difficultas, si uxor tenetur succurrere parentibus suis aut filiis forsan ex priore matrimonio habitis. Quando parentes aut isti filii in gravi necessitate versantur, uxor tenetur illis succurrere *ex propriis bonis*, si quae habet; sin autem nulla bona propria habet, tunc potest ex bonis communibus succurrere, sed non debet notabiliter excedere quantitatem, de qua potest tamquam eleemosyna disponere. Quidam theologi[1] idem permittunt erga fratres et sorores, si sint valde pauperes. In praxi adhortandae sunt uxores, ut maritum prius certiorem reddant de extraordinariis eleemosynis faciendis; quodsi hoc fieri nequit, tunc uxores inducendae sunt, ut singulari industria vel labore extraordinario sibi comparent quaedam bona, ex quibus licite eleemosynas istas dare possunt; vel etiam, ut ex eis, quae ipsis a marito conceduntur pro vestitu, oblectationibus etc. comparcant pecuniam ad has eleemosynas dandas. — Si maritus est nimis prodigus et dissipat bona familiae, tunc uxor potest laudabiliter quaedam bona occultare, ne dissipentur. Generatim loquendo, cum uxor non sit serva sed socia viri, potest prudenter disponere de parvis bonis familiae, quia maritus non valet rationabiliter esse invitus de tali agendi modo.

Administratio bonorum communium pertinet ad maritum; quod si maritus mala administratione, dissipatione, lusu, potatione etc. uxori damnum grave intulerit, tenetur ad restitutionem. Attamen in praxi videndum est, quale systema bonorum in contractu matrimoniali sit statutum; unde attendenda sunt ea, quae infra dicentur de diversis statutis legum civilium.

Quantum ad praxim confessarius valde insistat, ut ambo coniuges unitis viribus et mentibus bona materialia administrent. Etsi quando-

---

[1] Lessius, Lugo, S. Alphonsus (Theol. mor. l. 3, n. 542), Aertnys etc.

que uxor non committat iniustitiam stricte dictam, si disponat de bonis communibus, et proinde non teneatur ad restitutionem, tamen tales dispositiones clandestinae solent producere multa incommoda. Non raro enim oriuntur inde lites graviores; amor coniugalis laeditur, et uxoris subiectio erga maritum diminuitur. Quae cum ita sint, in ista materia non tantum servanda est virtus iustitiae, sed etiam virtus prudentiae et caritatis.

Haec sunt, quae valent in genere de dominio coniugum. Veteres moralistae hac in re unice attendebant ad ius civile Romanum. Cum autem nostris temporibus ius Romanum fere ubique sit summotum per alia iura civilia, non tangimus nisi breviter statuta iuris Romani et magis insistimus in iuribus modernis.

De dominio coniugum iuxta ius Romanum.

Ius Romanum distinguebat bona uxoris triplicis generis, e. g. 1. *paraphernalia*, 2. *dotalia* et 3. *communia*. 17

1. Bona *paraphernalia*, sic dicta a verbis graecis παρά, i. e. praeter, et φερνή, i. e. dos, sunt bona tradita marito *praeter dotem*, vel sunt bona, quae uxor recipit ex donis, hereditate, propria industria etc. Ut autem ista bona reputentur paraphernalia, uxor debet ea sibi explicite vel implicite reservare, alioquin censentur dotalia, cum uxor putetur nubendo se et omnia sua marito dare [1].

2. Bona *dotalia* sunt ea, quae mulier tradit viro in sublevamen onerum matrimonii et pro sustentatione familiae.

3. Bona autem *communia* sunt illa, quae utriusque coniugis labore *durante matrimonio* acquiruntur.

Quibus distinctionibus positis, sequentia principia valent:

1. Uxor habet dominium perfectum (i. e. directum et utile) atque etiam administrationem bonorum paraphernalium.

2. Uxor habet quidem dominium directum bonorum dotalium, sed neque eorum administrationem neque dominium utile, quae ambo pertinent ad maritum.

3. Uxor habet dominium directum *medietatis* bonorum communium, ita ut defuncto marito haec medietas bonorum obveniat uxori; dominium autem utile et administratio omnium bonorum communium pertinet ad maritum.

De dominio coniugum iuxta codices civiles nonnullarum nationum.

Praenotamen. Codices civiles diversarum nationum eodem fere modo quo ius Romanum distinguunt inter bona dotalia, paraphernalia et communia, ac etiam sicut ius Romanum tribuunt marito administrationem usum que omnium bonorum exceptis tantum bonis paraphernalibus, licet aliquando facultatem mariti nonnihil limitent. Haec igitur tamquam regula generalis prae

[1] In Codice civili Germanico bona paraphernalia vocantur *Vorbehaltsgut*.

oculis habenda est: Maritus habet usum et administrationem omnium bonorum uxoris. Excipiuntur bona paraphernalia.

Brevissime subiunguntur nonnullarum nationum statuta civilia, quae confessarius debet cognoscere et iuxta quae potest casus occurrentes iudicare. Quodsi difficultates maiores obveniant, confessarius ne omittat consilium petere a iurisperito.

§ 1.

De dominio coniugum iuxta ius Germanicum.

18 1. Ius Germanicum obligat in toto regno Germanico inde a die 1. Ian. 1900 omnes cives istius regni contrahentes matrimonium *intra* fines Germaniae. Si vir Germanicus extra Germaniam contrahit matrimonium, adhuc ligatur lege Germanica; non autem si hoc idem facit mulier.

2. Distinguitur duplex regimen bonorum in coniugio, scil. a) regimen legale *(gesetzliches Güterrecht)* et b) regimen conventionale *(vertragsmäßiges Güterrecht)*, quod tamen subdividitur in quattuor species.

A. Regimen legale.

1. Hoc regimen praesumitur, nisi certo constet de regimine conventionali.

2. In hoc regimine distinguuntur: uxoris bona illata *(eingebrachtes Gut)* et bona reservata *(Vorbehaltsgut)*.

Bona *reservata* censentur[1]:

a) Res solius uxoris usui destinatae, e. g. vestes, ornatus mulieris etc.

b) Res ab uxore acquisitae in negotio prorsus independenti, e. g. exercendo munus obstetricis.

c) Res hereditate aut donatione inter vivos acceptae, dummodo tamen testator aut donator *expresse* statuerit istius modi res constituere bona reservata uxoris.

d) Fructus bonorum reservatorum.

Omnia alia bona sunt bona illata, si regimen legale viget.

3. De bonis *reservatis* uxor habet liberam prorsus dispositionem; debet tamen ex eorum proventibus, si hoc est necessarium, conferre ad rem familiarem[2].

4. De bonis *illatis* maritus habet quidem usum et administrationem[3], sed nequit illa (saltem si sunt immobilia) absque consensu uxoris alienare; debet illa diligenter administrare, secus ad restitutionem tenetur; fructus eorum debet imprimis impendere in congruam sustentationem familiae.

5. Uxor potest in iudicio petere, ut bonorum suorum administratio et ususfructus marito adimatur, si verum periculum malae administrationis adest, vel si maritus uxori et liberis congruentem sustentationem non praebet[4].

B. Regimen conventionale.

Nupturientes possunt coram iudice vel notario pactum inire de bonis propriis; quod quidem pactum post initum matrimonium ab ipsis iterum dissolvi vel mutari potest coram iudice vel notario.

Huiusmodi autem pactum est quadruplex, scil. a) universa bonorum communio *(Allgemeine Gütergemeinschaft)*; b) communio lucri *(Errungenschafts-*

[1] Cod. civ. Germ. § 1366—1370. [2] § 1371. [3] § 1373—1374. [4] § 1418.

gemeinschaft); c) communio bonorum mobilium *(Fahrnisgemeinschaft)*; d) separatio bonorum *(Gütertrennung)*.

a) *Universa bonorum communio.*

1. Haec universa bonorum communio causat, ut ex bonis viri et mulieris coalescat unum bonum commune *(Gesamtgut)* [1], cuius administratio pertinet ad maritum, qui tamen in pluribus casibus eget consensu uxoris.

2. Etiam ex hac unione licet quaedam bona excludere *(Vorbehaltsgut)*, prout ipsis contrahentibus libuerit.

3. Haec unio bonorum universa raro suadenda esse videtur inde ab initio matrimonii. Posset autem esse conveniens ad evitanda incommoda propter hereditatem capiendam.

b) *Communio lucri.*

1. In hoc regimine, quod est quasi compositio regiminis legalis et universae communionis bonorum, habentur bona reservata uxoris, sicut in regimine legali. Praeterea possunt adhuc alia bona tamquam reservata designari. Maritus non habet bona reservata [2].

2. Bonis reservatis exceptis, reliquorum bonorum administratio et ususfructus pertinent ad maritum.

3. Bona illata uniuscuiusque coniugis remanent sub eius dominio directo, sed *fructus* istorum bonorum fiunt bonum commune [3].

4. Si haec unio fructuum legitime solvitur, tunc fructus obtenti dividuntur aequaliter inter virum et mulierem [4].

5. Huiusmodi unio fructuum praecipue locum habere potest in secundis nuptiis alterutrius coniugis, ne scil. proles prioris aut secundi thori damnum patiatur.

c) *Communio bonorum mobilium.*

1. In hoc regimine amplior exsistit unio bonorum quam in unione lucri. Nam ad unionem omnis lucri percepti ex bonis illatis accedit unio omnium bonorum mobilium.

2. Uxor, non autem maritus, potest habere bona reservata [5].

3. Ab hac unione bonorum excluduntur (ut per se patet) bona immobilia, quae tractanda sunt sicut bona illata.

Quae autem bona censeantur immobilia dictum est n. 12.

d) *Separatio bonorum.*

1. Si pacto ante vel post nuptias separatio bonorum stipulata fuit, tunc maritus nullum ius habet ad usum et administrationem bonorum uxoris. Attamen uxor potest pro libito suo administrationem aut usum bonorum illi concedere [6].

2. Maritus tenetur quidem onera matrimonii portare, sed uxor etiam tenetur aliquid ex fortuna sua conferre [7].

3. Pactum separationis bonorum debet iuxta formam legalem fieri, secus nullum effectum producit [8].

4. Huiusmodi pactum videtur consultum esse, si bona alterutrius coniugis in magno periculo versentur, e. g. propter commercium.

---

[1] § 1438. [2] § 1526. [3] § 1519. [4] § 1546.
[5] § 1555. [6] § 1430. [7] § 1427. [8] § 1431.

§ 2.

De dominio coniugum iuxta ius Gallicum.

19 *Regulae generales:*

1. *Ante* matrimonium sponsi (si sunt minorennes, requiritur assistentia patris aut tutoris) quoad bona sua facultatem habent, ineundi omnes, quas voluerint, pactiones, dummodo istae fiant coram publico notario, nec bonis moribus aut legibus adversentur [1]. Si desit speciale pactum, matrimonium censetur initum sub regimine communitatis [2].

2. Post matrimonium celebratum pacta antea inita nullo modo mutari possunt, nisi tamen in casu divortii vel per sententiam iudicis [3]. Haec determinatio est dura, et proinde nupturientes debent esse valde cauti in pactis matrimonialibus faciendis.

3. Sub quocumque regimine uxor non potest sine expresso consensu mariti a) bona sua *immobilia* inter vivos donare, alienare, hypotheca gravare, vel bona aliena acquirere (consensus mariti suppleri potest auctoritate iudicis [4]); b) comparere in iudicio *civili* [5]. Dantur tamen exceptiones, praesertim per legem d. 13 Iulii 1907 introductae.

Duplex viget regimen bonorum, a) legale *(communauté légale)*, b) conventionale *(régime conventionnel)*, quorum tamen secundum iterum subdividitur, ita ut sint quinque systemata bonorum iuxta ius Gallicum.

A. Regimen communionis legalis.

1. Haec communitas legalis semper praesumitur nisi contrarium expresse statuatur [6].

2. Haec communitas coalescit: a) ex omnibus bonis mobilibus tam praesentibus quam futuris; b) ex omnibus reditibus bonorum immobilium; c) ex bonis immobilibus, quae *stante matrimonio* acquisita sunt ex bonis communibus. Utrique autem coniugi propria manent: a) bona immobilia possessa *ante* matrimonium; b) bona immobilia aut mobilia post matrimonium acquisita donatione aut hereditate sub explicita conditione, quod sint propria [7].

3. Uxor de propriis bonis retinet quidem proprietatem, sed neque de illis, neque (a fortiori) de communibus bonis habet administrationem et usumfructum (potest tamen facere testamentum de propriis bonis [8]). Maritus autem habet de omnibus istis bonis administrationem et usumfructum, et tenetur praestare convenientem sustentationem uxori et familiae. Bona immobilia nequit alienare sine consensu uxoris.

4. Haec communitas bonorum dissolvi potest, non quidem solo consensu utriusque coniugis, sed a) morte alterutrius coniugis, b) sententia divortii aut separationis corporum, c) sententia separationis bonorum [9].

5. Soluta unione, bona et debita communia dividuntur in duas partes inter coniuges eorumve heredes. Propria bona utriusque coniugis remanent intacta, ut per se patet. In hac separatione bonorum uxor quibusdam privilegiis gaudet: a) potest praeter bona propria sibi vindicare indemnitatem desumendam non tantum ex bonis communibus, sed etiam ex bonis mariti;

---

[1] Cod. civ. Gall. a. 1387—1390 1394 1398. [2] Art. 1400, de quo infra.
[3] Art. 1395 et 1443.
[4] Art. 217 219 1449 1538. [5] Art. 215 216. [6] Art. 1400.
[7] Art. 1401—1408. [8] Art. 226. [9] Art. 1441.

b) potest repudiare medietatem bonorum communium sibi convenientem. Effectus huius repudiationis est, ut uxor ex bonis relictis nihil nisi vestes suas et heredes eius nihil prorsus exigere possint; sed e converso non tenetur solvere debita communitatis.

B. Regimen conventionale.

Hoc regimen quatripartitur: a) communitas conventionalis *(communaute conventionnelle)*; b) regimen sine communitate *(régime sans communauté*; c) regimen separationis *(clause de séparation des biens)*; d) regimen dotale *(régime dotal)*.

a) *Communitas conventionalis.*

1. Futuri coniuges possunt pacto expresso communitatem legalem extendere aut restringere, *sicuti volunt*, dummodo tamen nihil paciscantur contra leges aut bonos mores. «Les principales modifications sont celles qui ont lieu en stipulant de l'une ou de l'autre des manières qui suivent; savoir: 1. Que la communauté n'embrassera que les acquêts [acquisitions que les époux font à titre onéreux pendant le mariage. Cette clause de communauté réduite aux acquêts est très fréquente]. 2. Que le mobilier présent ou futur n'entrera point en communauté, ou n'y entrera que pour une partie. 3. Qu'on y comprendra tout ou partie des immeubles présents et futures, par la voie de l'ameublissement. [Ameublir un immeuble, c'est dans le sens propre, le rendre meuble. La clause d'ameublissement est celle qui a pour effet de faire tomber un immeuble dans la communauté conventionnelle, de la même manière que les meubles tombent dans la communauté légale. Mais sous tous les autres rapports, l'immeuble ameubli reste immeuble.] 4. Que les époux payeront séparément leurs dettes antérieures au mariage. [Haec clausula saepe consulenda est.] 5. Qu'en cas de renonciation, la femme pourra reprendre ses apports francs et quittes. [Dans ce cas la femme doit faire constater la valeur des choses qu'elle apporte lors de son mariage.] 6. Que le survivant aura un préciput. [Le mot «préciput» vient du latin «praecapere», signifiant: prendre avant. Le préciput est la portion des biens communs qu'un époux ayant déjà exercé ses prélèvements, prend en vertu d'une convention, avant le partage de la communauté, c'est à dire avant la composition des lots.] 7. Que les époux auront des parts inégales. 8. Qu'il y aura entre eux communauté à titre universel.» [1]

2. Pro confessario non possunt facile oriri difficultates ex omnibus istis formis conventionum. Si quod dubium occurrit, attendenda sunt verba contractus et intentiones contrahentium.

b) *Regimen sine communitate.*

1. Hoc regimen valde simile est regimini communionis legalis, de quo supra. In hoc regimine *omnia* bona uxoris sunt *dotalia*.

2. Uxor habet et retinet dominium radicale omnium suorum bonorum, sed maritus habet plenam eorum administrationem et usumfructum et tenetur ad sustentationem uxoris et familiae. Uno verbo: maritus est quasi villicus uxoris [2].

3. Soluta unione maritali omnia bona uxoris redeunt sub illius plenum dominium.

---

[1] Art. 1497—1527. Cf. *C. Picot*, Code Napoléon expliqué II 172 sqq.

[2] Art. 1530—1535.

c) *Regimen separationis bonorum.*

1. In hoc regimine *omnia* bona uxoris *paraphernalia* sunt, et proinde uxor habet eorum plenum dominium et administrationem, cum hac sola exceptione: uxor nequit alienare bonum immobile sine consensu mariti aut iudicis.

2. Uterque coniux secundum proportionem libere stabilitam tenetur concurrere ad sustentationem familiae. Deficiente stabilita quantitate uxor obligatur usque ad tertiam partem suorum proventuum [1]. «La femme peut donc garder $^2/_3$ de ses revenus.»

3. Quod si alteruter coniux ad inopiam reducatur, alter rei familiaris sumptus ferre debet [2].

d) *Regimen dotale.*

1. Hoc regimen convenit cum regimine separationis bonorum in eo, quod omnia bona uxoris censentur paraphernalia, nisi a) sunt expresse tamquam dotalia determinata ab uxore, et b) sunt data uxori in contractu matrimoniali [3].

2. Maritus habet usumfructum et administrationem bonorum dotalium; non potest autem alienare bona immobilia constituta in dotem aut illa hypothecis gravare, nisi hoc sit statutum in contractu matrimoniali et in quibusdam aliis casibus a lege designatis [4].

3. Dos stante matrimonio neque constitui, neque augeri potest [5].

4. Uxor habet plenum dominium de bonis suis paraphernalibus. Non potest tamen bona immobilia alienare, neque pro eis comparere in iudicio civili sine consensu mariti aut iudicis [6].

Scholion. Ex dictis sequitur, ut in nullo ex quinque regiminibus iuris Gallici uxor sit *penitus* independens a marito; nam numquam potest alienare bona immobilia aut comparere in iudicio civili sine consensu mariti vel iudicis auctoritate. Potest tamen invito marito testamentum facere. Haec dependentia uxoris a marito est naturae matrimonii conveniens, quia sic multa evitantur damna, quae ex mala alienatione bonorum immobilium ab uxore facta pro tota familia oriri possent. Nonnullis tamen haec dependentia videtur exaggerata, praesertim si maritus est malis moribus praeditus. Unde in fere omnibus codicibus aliarum nationum maior libertas conceditur uxoribus.

Ut integra serventur iura liberorum ex priore thoro, lex Gallica cavet, ne ex bonis binubi coniugis, qui liberos ex priore thoro habet, novo coniugi nimia pars obveniat. Hinc statuit, ut coniux viduus numquam possit dare novo coniugi ultra quartam partem bonorum suorum. Si autem plures (quam tres) liberos habuit ex priore thoro, tunc potest illi concedere eandem partem quam habet unus filius suus legitimus [7].

§ 3.

De dominio coniugum iuxta ius Anglicum.

20 1. Sicuti ius Gallicum et ius Germanicum ita etiam ius Anglicum agnoscit duo regimina bonorum, scil. legale et conventionale.

2. Systema legale nunc vigens desumendum est ex Married Women's Property Act., 1882, quae quidem lex viget inde a die 1 Ian. 1883.

3. Durante matrimonio vix ullum ius maritus retinet in bona uxoris et proinde omnia bona uxoris sunt paraphernalia in perfectissimo sensu, ita ut uxor libere possit disponere de omnibus bonis suis.

---

[1] Art. 1537. [2] Art. 1448. [3] Art. 1541. [4] Art. 1554 1557—1559.
[5] Art. 1543. [6] Art. 1576. [7] Art. 1098 sqq.

4. Durante matrimonio uxor ius habet ad convenientem sustentationem propriam et suorum liberorum ex bonis mariti. Si tamen maritus ipse in necessitate sit constitutus, uxor tenetur illum, in quantum possibile est, sustentare.

5. Mortuo marito uxor ius habet, *durante vita sua* ad tertiam partem «of all the lands and tenements of which he was seized in fee simple or fee tail at any time during the coverture, and of which any issue that she might have had and could have been heir».

6. Systema conventionale bonorum liberrime tum ante tum post matrimonium inter coniuges iniri potest iuxta placita ipsorum [1].

§ 4.

De dominio coniugum iuxta ius Americae Septentrionalis.

1. Status Foederati Americae non habent hodiedum uniforme ius circa 21
bona coniugum, sed diversa iura in diversis statibus vigent.

2. Generaliter tamen exsistit inter coniuges perfecta *separatio bonorum*, ita ut omnia bona uxoris non tantum sint paraphernalia, sed etiam ut uxor habeat liberam administrationem et usum suorum bonorum. Possunt tamen etiam bona communia constitui.

3. Uxor non tenetur solvere debita mariti, neque maritus debita uxoris, nisi tamen agatur de debitis contractis propter familiam.

4. Tamquam bona *dotalia* considerari possunt tertia pars bonorum immobilium, quae maritus durante matrimonio possederit, et quae proinde alienari non possunt sine consensu uxoris. Haec bona dotalia uxor sibi vindicare potest post mortem mariti et proinde de hac tertia parte maritus non potest facere validum testamentum. In aliquibus statibus etiam marito competit hoc ius in bona immobilia uxoris. «So in Maryland according to the new law of 1898 every husband shall acquire by virtue of his marriage an estate for his life in one third of the lands held or owned by his wife at any time during the marriage whether by legal or equitable title.» [2]

5. Cum tanta libertas disponendi sit coniugibus concessa in Statibus Foederatis, non facile occurret difficultas pro confessario. Si quod pactum nuptiale exsistat, istius clausulae attendendae sunt.

§ 5.

De dominio coniugum iuxta ius Austriacum.

1. Ius Austriacum praesumit separationem bonorum, nisi contrarium sit 22
authentico pacto stabilitum. «Haben Eheleute über die Verwendung ihres Vermögens keine besondere Übereinkunft getroffen, so behält jeder Ehegatte sein voriges Eigentumsrecht, und auf das, was ein jeder Teil während der Ehe erwirbt und was immer für eine Art überkommt, hat der andere keinen Anspruch. Im Zweifel wird vermutet, daß der Erwerb vom Manne herrührt [3].

2. Nisi uxor contradixerit, praesumitur, quod maritus habeat administrationem et usumfructum omnium bonorum uxoris [4]. Maritus tenetur ipsam

---

[1] Cf. *Slater*, Princ. Theol. mor., de iust. c. 7, § 3.

[2] Cf. *Tanquerey*, Suppl. pro Mai. Britannia p. 11, et *Sabetti*, Compend. Theol. mor. n. 358.

[3] Cod. civ. Austr. § 1237. [4] § 1238.

substantiam horum bonorum servare, secus ad restitutionem obligatur. De fructibus autem libere disponere potest.

3. Maritus potest ante nuptias exigere dotem, potest vero etiam iuri suo cedere. Maritus, durante vita coniugali, habet usumfructum dotis eiusque incrementi, sed obligatur ad substantiam vel valorem aequivalentem dotis reddendum in casu mortis vel divortii vel cessionis bonorum. Immo illi, qui tradunt dotem, possunt inde ab initio exigere assecurationem istius [1].

4. Uxor habet ius strictum ad sustentationem convenientem ex bonis mariti iuxta ipsius status conditionem [2]. Ea, quae uxor accipit a marito suo, v. g. ornatus, cimelia etc., transeunt in plenum dominium uxoris, nisi contrarium expresse stipulatum sit [3].

5. Ex iure Austriaco nullae difficultates oriri possunt pro praxi confessarii. Libertas inter coniuges est maxima. Si pactum nuptiale initum fuit, servanda sunt eius clausulae, sicut cuiusque contractus legitimi.

§ 6.

De dominio coniugum iuxta ius Italicum.

23 1. In multis concordat ius Italicum cum iure Gallico supra exposito et specialiter in clausula immutationis contractus post matrimonium initum. («Le convenzioni matrimoniali di qualunque specie non possono cangiarsi in verun modo dopo la celebrazione del matrimonio.») [4]

2. Determinatio dotis fieri potest ex bonis praesentibus vel futuris uxoris, sed semel determinata non potest augeri durante matrimonio [5].

3. Maritus habet quidem administrationem et usumfructum dotis, sed non eius dominium directum, sicut in iure Gallico et Romano statutum est.

4. Ad faciendas mutationes circa dotem, alienationem bonorum et ipsius pacti nuptialis requiritur auctoritas iudicis [6].

5. In casu dissolutionis matrimonii sive per mortem alterius coniugis sive per divortium, restitutio dotis facienda est iuxta normas art. 1409—1418. Semper autem requiritur sententia iudicis («ogni separazione stragiudiziale è nulla») [7].

6. Uxor retinet plenum dominium et administrationem bonorum paraphernalium [8].

7. Ius Italicum non admittit aliam unionem bonorum ac unionem fructuum *(comunione degli utili)* [9]; est fere idem ac *Errungenschaftsgemeinschaft* in iure Germanico et *communauté des acquêts* in iure Gallico.

8. Pro confessario possunt iuxta ius Italicum facilius difficultates provenire ex parte mariti, cuius iura sunt sat limitata, quam ex parte uxoris, cuius iura sunt latiora.

§ 7.

De dominio coniugum iuxta ius Hispanicum.

24 1. In Hispania ius Romanum adhuc viget, paucis modificationibus adhibitis. Sic e. g. distinguuntur quidem verbotenus bona dotalia et paraphernalia, sed de facto parva est differentia inter illa. Unde Larraga-Sara-

---

[1] § 1245. [2] § 91. [3] § 1247. [4] Cod. civ. Ital. a. 1385.
[5] Art. 1389 et 1391. [6] Art. 1405. [7] Art. 1418.
[8] Art. 1427. [9] Art. 1433.

legui[1] dicit: «Según nuestro Código los parafernales apenas si se distinguen de los dotales.»

2. Nisi adsit speciale antenuptiale pactum, supponitur a codice Hispanico communitas lucri *(sociedad legal de ganancias)*[2], et omnia bona pertinent ad hanc unionem, nisi contrarium expresse probatum sit.

3. Ex istis bonis communibus solvi debent non tantum omnia debita contracta tum a marito, tum ab uxore durante matrimonio, sed etiam expensae pro educatione filiorum communium et etiam legitimorum alterutrius coniugis. Haec ultima regula videtur esse prorsus particularis pro iure Hispanico, sicuti etiam alia, quod scil. ex bonis istis communibus non solvuntur mulctae forsan alterutri coniugi impositae.

4. Pro confessario non videntur posse facile oriri difficultates ex istis normis iuris Hispanici.

§ 8.

De dominio coniugum iuxta ius Helveticum.

Regulae generales. 25

1. Iuxta ius novum Helveticum inde a die 1 Ian. 1912 obligans in *tota* Helvetia viget *unio* bonorum inter coniuges, nisi aliter sit expresse stipulatum[3].

2. Si coniuges nolunt adoptare unionem legalem bonorum, debent *ante* vel *post* matrimonium eligere unum ex tribus systematibus, quae vocantur coniunctio bonorum *(Güterverbindung)*, unitas seu participatio bonorum *(Gütergemeinschaft)*, et separatio bonorum *(Gütertrennung)*[4]; attamen licet quasdam modificationes stipulare circa singula systemata[5].

3. Istae stipulationes eorumque modificationes et mutationes inductae non sunt validae, nisi sint subscriptae ab ipsis contrahentibus (vel eorum legitimis curatoribus) atque factae publico instrumento. Insuper debent inscribi in registro *(Güterrechtsregister)* domicilii mariti, et si maritus domicilium mutat, haec inscriptio debet fieri infra trimestre in registro novi domicilii; secus non habent valorem respectu personarum extranearum, quae non sunt heredes contrahentium[6].

4. Stipulationes, quae fiunt *post* matrimonium initum, non sunt validae, nisi praehabita licentia tribunalis tutelaris («ohne Erlaubnis der Vormundschaftsbehörde»)[7]. Praeterea nullis stipulationibus aliqua bona debitis iam onerata possunt subtrahi a solutione istorum debitorum[8].

5. Novus codex civilis distinguit a) bona uxoris *(Frauengut)* et bona mariti *(Mannesgut)*, b) bona reservata *(Sondergut)* et bona illata *(eingebrachtes Gut)*. Tamquam bona reservata censentur:

a) illa, quae ut talia in contractu matrimoniali designantur;

b) bona ad usum prorsus personalem pertinentia (vestes, ornatus);

c) reditus ab uxore habiti ex labore independenti (e. g. arte obstetricia). Omnia alia bona sunt bona illata. Reditus ab uxore habiti debent pro sustentatione familiae adhiberi, in quantum hoc est necessarium[9].

---

[1] Comentarios al P. Larraga n. 697.

[2] Cod. civ. Hisp. a. 1315; = *Errungenschaftsgemeinschaft, communauté des acquêts.*

[3] Cod. civ. Helv. a. 178. [4] Art. 197. [5] Cf. a. 214 226 239 247.

[6] Art. 181 248 250. [7] Art. 181.

[8] Art. 188. Optima sane lex, praecavens dolosa molimina!

[9] Art. 192.

A. Systema coniunctionis bonorum.

1. Hoc systema, ut iam ex ipsis verbis innuitur, coniungit bona utriusque coniugis in unum totum, cuius administratio et ususfructus pertinent ad maritum [1].

2. Maritus non tantum habet administrationem et usumfructum bonorum uxoris (exceptis fructibus ex bonis reservatis), sed etiam plenum eorum dominium [2]; nihilominus conceditur uxori aliqualis administratio bonorum familiae [3].

3. Uxor tenetur ex bonis reservatis solvere debita, quae contraxit *sine consensu* mariti [4].

4. In casu collapsus fortunae *(im Konkurs und bei der Pfändung)* uxor potest reclamare bona sua propria, si adhuc integra exsistant, et pro aliis iam consumptis exigere compensationem. Immo si non potest recuperare saltem dimidiam partem suorum bonorum, compensatio illi debita facienda est antequam aliorum creditorum postulata solvantur [5].

B. Systema unitatis bonorum.

1. Hoc systema multo arctiorem unionem bonorum producit quam systema praecedens, cum per illud efficiatur perfecta unio tum ipsorum bonorum, tum redituum, ita ut ambo coniuges prorsus idem dominium habeant in bona unita [6]. («Im System der allgemeinen Gütergemeinschaft ist ein besonderes Eigentum des Mannes und der Ehefrau nicht mehr zu unterscheiden. Aktiven und Passiven der beiderseitigen Vermögenskomplexe, alles Eingebrachte, Ererbte, Erworbene, Geschenkte, Verdienst und Vorschlag werden eine gemeinsame Masse, und Eigentümer dieser Gesamtmasse sind die Ehegatten» [7].)

2. Administrator bonorum unitorum est maritus et aliquando uxor, sed nonnisi ut vicesgerens mariti [8].

3. Uxor tenetur ex bonis reservatis (si quae adhuc habet) solvere debita quae contraxit sine consensu mariti [9].

4. In casu collapsus fortunae eadem valent, quae supra in priori systemate dicta sunt n. 4 [10].

5. Quando haec unio bonorum dissolvitur (morte vel alia causa legitima), bona dividuntur in duas aequales partes [11], nisi tamen aliud statutum fuerit pacto nuptiali [12]. In nullo autem casu licet subtrahere heredibus defuncti coniugis quartam partem ($^1/_4$) omnium bonorum unitorum [13].

6. In hoc systemate difficultates oriri possunt pro confessario, si uxor fecerit debita sine consensu mariti. Haec debita solvenda sunt ex bonis reservatis uxoris, vel secus ex parcimoniis aut laboribus extraordinariis ab illa factis.

C. Systema separationis bonorum.

1. Hoc systema inter coniugum bona oritur aut ex pacto aut ex lege aut ex sententia iudicis [14].

---

[1] Art. 213—214. [2] Art. 195. [3] Art. 203. [4] Art. 208.
[5] Art. 211. [6] Art. 215.
[7] Cf. *Huber*, System und Geschichte des schweiz. Privatrechtes I. 258 sq.
[8] Art. 216. [9] Art. 221. [10] Art. 211. [11] Art. 225.
[12] Art. 226. [13] Ib. [14] Art. 241.

Ex lege oritur separatio bonorum ipso facto a) collapsu fortunae («wenn die Gläubiger im Konkurs eines Ehegatten zu Verlust kommen»)[1], et b) morte alterutrius coniugis.

Ex sententia iudicis oritur separatio bonorum pluribus in casibus, quos videas art. 183—185.

2. In hoc systemate uterque coniux habet plenum dominium et administrationem bonorum suorum. Maritus tenetur sustentare familiam; potest tamen exigere, ut uxor illi convenienter subveniat ex bonis suis[2].

3. In hoc systemate nulla difficultas oriri potest pro confessario.

ARTICULUS II.

De dominio filiorum familias.

Notiones. Filii familias vocantur omnes liberi utriusque sexus, sive 26
legitimi sive legitimati, qui adhuc sub paterna aut materna potestate sunt constituti. Ad maiorem claritatem habendam et ad confusiones vitandas, sequentia nomina sunt distinguenda: a) *Infans,* qui nondum primum septennium complevit. b) *Impuber,* qui nondum pervenit ad pubertatem legalem, i. e. ad annum 14 aetatis suae, si est puer, aut ad annum 12 aetatis, si est puella. c) *Minor* seu minorennis, qui quidem puber est, sed nondum attigit aetatem maiorennitatis a legibus civilibus statutam. In diversis nationibus sunt diversae statuta circa aetatem maiorennitatis; sic e. g. in Helvetia annus 20 completus constituit maiorennitatem, in Germania et in Gallia est annus 21; in Austria est annus 24. d) Filius *maiorennis* non est idem ac filius emancipatus, sed quoad praxim parva est differentia, cum *filius emancipatus* non habeat quidem aetatem maiorennitatis a lege praescriptam, sed auctoritate iudicis declaratus sit maiorennis. Sic e. g. in Helvetia nuptiae eo ipso dant emancipationem; unde si qua puella 16 annorum rite nuptias iuxta legem civilem iniit, eo ipso est emancipata. e) Filius *legitimus* est ille, qui natus est ex matrimonio legitimo. De illo valent ea, quae infra dicentur de dominio filiorum familias. f) Filius autem *illegitimus,* qui natus est a parentibus non iunctis in matrimonio, non censetur esse sub potestate patris, sed est sui iuris. Hinc illa, quae infra dicentur, non valent de illo. Et revera filius illegitimus non obstringitur tanta gratitudine erga parentes suos quam filius legitimus; debet enim saepe portare opprobrium parentum et pati multa alia incommoda. Hinc recte censetur esse sui iuris. Unde ius Germanicum statuit, ut filius illegitimus respectu matris eiusque consanguineorum habeat idem ius, quod filius legitimus respectu propriorum parentum; sed matri non competit ius parentis[3].

Distinctio bonorum.

Breviter hic indicatur distinctio bonorum filiorum familias iuxta vetus *ius* 27
Romanum; quae distinctio in modernibus codicibus civilibus iam non in-

[1] Art. 182. [2] Art. 246.

[3] «Das uneheliche Kind hat im Verhältnis zu der Mutter und den Verwandten der Mutter die rechtliche Stellung eines ehelichen Kindes» (Cod. civ. Germ. § 1705). «Der Mutter steht nicht die elterliche Gewalt über das uneheliche Kind zu» (ib. § 1707).

venitur. Distinguit igitur ius Romanum filiorum *bona castrensia, quasi-castrensia, adventitia* et *profectitia.*

Bona *castrensia* illa erant, quae filius familias acquirebat servitio militari.

Bona *quasi-castrensia* censebantur illa, quae filius familias acquirebat ex militia togata, i. e. ex officiis publicis, e. g. ex officio iudicis, advocati, medici, clerici.

Bona *adventitia* erant illa, quae filio provenerunt a *matre,* vel a materna linea, sive alia via, e. g. donatione, hereditate, singulari industria et labore; uno verbo: illa omnia bona, quae filio advenerunt *sine respectu ad patrem.*

Bona profectitia censebantur illa, quae filio provenerunt a *patre,* vel intuitu patris, vel quae cum bonis patris negotiando lucrabatur filius.

Codices civiles moderni non solent distinguere, nisi duplicis generis bona filiorum familias, scil. bona *libera,* de quibus filius libere disponere potest, et bona *non libera,* quae pertinent ad patris administrationem et aliquando etiam ad eius usumfructum. Quaenam sint bona libera et quaenam sint bona non libera iuxta diversos codices civiles, infra dicetur. Generatim notandum est, statuta legum civilium hac in re obligare in conscientia, quia nedum non repugnent legi naturali, sed videntur esse rationabiles determinationes iuris naturalis iuxta consuetudines diversarum regionum.

Iuxta *ius Romanum* sequentia principia statuebantur a theologis:

1. *Bonorum castrensium et quasi-castrensium filius habet plenum dominium.*

2. *Bonorum adventitiorum filius familias habet quidem dominium directum, non tamen administrationem et usumfructum; quae pertinent ad patrem. Excipiuntur tamen quidam casus in iure.*

3. *Bonorum profectitiorum filius non habet dominium neque directum neque utile, sed totum est patris.*

Secundum et tertium principium constat ex Corpore iuris civilis[1]: «Sancitum a nobis est, ut si quid ex re patris ei [scil. filio] obveniat, hoc secundum antiquam observationem totum parenti acquirat. (Quae enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti?) Quod autem ex alia causa sibi filius familias acquisivit, huius usumfructum quidem patri acquiret, dominium autem apud eum remaneat, ne quod ei suis laboribus vel prospera fortuna accessit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat.» Cuilibet consideranti statim occurrit admiratio, quare filius habeat plenum dominium in bona castrensia et quasi-castrensia, non autem in bona adventitia? Inspiciendo solum ius naturae non videtur adesse ratio sufficiens statuendi talem differentiam. Quare enim e. g. iuvenis medicus degens in domo paterna posset bona acquisita per exercitium medicinae retinere (sunt bona quasi-castrensia), frater autem eius germanus in eadem domo paterna degens, sed commercium faciens cum bonis ab avunculo gratuito acceptis (sunt bona adventitia), teneretur lucrum acquisitum dare patri suo, qui habet usumfructum istius lucri? Pariter si filius accipit bona quaedam a patre et cum illis facit lucrum, haec omnia iuxta vetus ius Romanum sunt patri utpote bona *profectitia;* sin autem idem filius accipit ea bona a matre et cum illis facit lucrum, pertinent ad ipsum, utpote bona *adventitia,* licet pater habeat administrationem et usumfructum. Quae quidem omnia hodiernis temporibus difficulter a fidelibus admitterentur, et tamen omnes theologi moralistae statuerunt principia supra enuntiata tamquam obligantia in conscientia. Non

---

[1] Lib. 2 Institutionum, tit. 9 «Per quas personas».

videtur igitur alia ratio sufficiens posse assignari pro obligatione morali istorum principiorum nisi ius civile Romanum, quod tunc temporis ab Ecclesia acceptatum fuit ut rectae rationi et legi naturali satis conveniens. Quae cum ita sint, hodiernis codicibus civilibus hac in re etiam obligatio in conscientia attribuenda videtur, cum eorum statuta sint satis conformia rectae rationi, iuri naturali atque circumstantiis locorum et temporum. Ita etiam plures moderni theologi, e. g. Aertnys dicens[1]: «Leges, quae proprietatem absolute definiunt, valent in conscientia. Tales sunt v. g. quae statuunt modos dominium acquirendi, per accessionem, usucapionem, inventionem etc.; item quae proprietatem tribuunt filiis familias et auctoribus librorum; quae patri concedunt usumfructum in bonis filiorum et uxoris; ac etiam quae successionem ab intestato praefiniunt.» Hoc saltem videtur certum, casus hodiernos circa bona filiorum familias non posse resolvi iuxta antiquum civile ius Romanum, sicuti fit a quibusdam auctoribus. Distinctio enim bonorum castrensium, quasi-castrensium, profectitiorum, et adventitiorum hodie videtur esse nullius usus. Unde pro moderna praxi distinguenda sunt solummodo bona adventitia et profectitia seu libera et non libera.

Tamquam regulae generales *nostris temporibus* haberi possunt: 28

1. Contra *iustitiam* non peccat filius *maiorennis* (vel emancipatus), qui sibi retinet omne recte acquisitum deductis illis, quae pro ipsius sustentatione a parentibus expenduntur. Ita sententia communis.

2. Contra *iustitiam* non peccat filius *minorennis* degens extra domum paternam, si proprium salarium retinet.

3. Contra *iustitiam* non peccat filius minorennis, degens in domo paterna sed salarium recipiens *pro labore extra domum praestito*, qui solvit expensas pro propria sustentatione, cetera autem sibi retinet.

4. Contra *iustitiam* videtur peccare filius minorennis degens et laborans in domo paterna, si surripit aliquid ex bonis paternis, quod non est necessarium ad propriam convenientem sustentationem.

5. Contra *pietatem* omnes filii familias sive maiorennes sive minorennes peccant, quoties ex retentione bonorum parentibus suis indebitum gravamen causant.

Dominium filiorum familias.

§ 1.

De dominio filiorum familias iuxta ius Germanicum.

Praenotamina. 29

1. Iuxta ius Germanicum unusquisque homo est capax dominii *(rechtsfähig)* statim post nativitatem[2], immo est capax hereditatis capessendae *(erbfähig)* statim post conceptionem[3].

2. Distinguuntur solummodo filii minorennes et filii maiorennes, quibus aequiparantur filii emancipati *(großjährig erklärte Kinder)*.

3. Minorennes censentur illi, qui nondum 21 annos aetatis suae compleverunt. Illis aequiparantur ii, qui a lege tamquam prorsus inepti aut saltem insufficienter apti ad negotia facienda declarantur *(entmündigt werden)*.

---

[1] Suppl. ad VII praec. iuxta ius Germ. p. IV. [2] Cod. civ. Germ § 1. [3] § 1923.

4. Maiorennes censentur homines post annum 21 aetatis suae. His aequiparantur filii emancipati. Ad hoc autem ut quis emancipetur, requiruntur tres conditiones, scil. a) ut filius habeat annum 18 aetatis completum; b) ut tum ipse, tum aliquando etiam eius tutor consensum det; c) ut tribunal tutelare *(Vormundschaftsgericht)* hanc emancipationem authentice pronuntiet et quidem propter utilitatem ipsius emancipandi [1]. Iuxta ius Germanicum igitur non habetur emancipatio eo ipso, quod quis licite matrimonium ineat, sicuti e. g. statuitur a codice Helvetico [2].

Dominium minorennium.

1. Distinguuntur minorennes ante septimum aetatis suae completum et post illud tempus usque ad tempus maiorennitatis aut emancipationis.

2. Minorennes *ante* septimum aetatis suae annum completum sunt prorsus inepti *(geschäftsunfähig)* ad exercitium cuiuslibet actus dominii. Idem valet de illis qui propter *amentiam* a iudice declarati sunt inepti [3].

3. Minorennes *post* septimum aetatis suae annum completum sunt limitati quantum ad exercitium dominii *(beschränkte Geschäftsfähigkeit)* [4]. Idem valet de illis, qui a iudice declarati sunt non sufficienter apti. Possunt autem declarari insufficienter apti ad exercitium cuiusque dominii a) non tantum amentes, sed etiam dementes; b) dissipatores, fortunam propriam aut familiae periculo exponentes; c) ebrietati addicti [5]. — Minorennes tamen possunt habere exercitium liberum dominii perfecti, si cum debita licentia iudicis tutelaris et tutoris aliquod negotium peragunt vel labores suos conducunt [6].

4. Bonorum minorennibus propriorum administratio et ususfructus pertinet ad patrem vel matrem, nisi tamen ista bona sunt bona libera [7].

5. Bona libera minorennium sunt:

a) res pertinentes ad usus personales filii, e. g. vestes, ornatus, utensilia;

b) mercedes et reditus, quos filius habet aut ex labore suo aut ex aliquo negotio legitime suscepto;

c) hereditates aut dona accepta, si tamen testator aut donator *expresse statuerit,* ut ista dona constituant bona libera filii.

Quamvis ususfructus istorum bonorum non pertineat ad patrem, sed ad filium, tamen administratio videtur ordinarie pertinere ad patrem, nisi contrarium statutum sit circa bona sub n. c) enumerata. Unde pater potest exigere, ut filii tradant mercedem receptam ex labore in aliena officina facto. Debet tamen istam mercedem insumere in bonum filii. Valde consulendum est (saltem ut plurimum), ut parentes administrent omnia bona minorennium, quae secus, experientia comprobante, saepe dissipantur. Ast hoc ius paternum administrandi bona libera minorennium filiorum non videtur tam gravem obligationem inducere, ut filius per se peccet mortaliter, si illud laedat. Hinc filii minorennes valde monendi quidem sunt, ut salarium acceptum pro suis laboribus tradant parentibus; si tamen hoc recusant et parentibus saltem compensant expensas sustentationis, absolvi possunt in confessionali. A fortiori hoc dicendum est, si filii tantum parvam partem salarii retinent et reliquum tradunt parentibus.

6. Minorennes non habentes bona libera nullum contractum onerosum possunt facere sine patris aut tutoris licentia (saltem praesumpta) [8]. Hinc eorum emptiones et venditiones non valent, debita contracta non obligant etc.

---

[1] § 3—5. [2] Art. 14. [3] § 104. [4] § 106 sqq. [5] § 6.
[6] § 112 sq. [7] § 1649—1651. [8] § 107 110—112.

7. Filii minorennes nullum ius habent ad salarium, si laborant in domo aut officina paterna[1]. Hinc peccant contra iustitiam et ad restitutionem tenentur, si quid ex bonis paternis clam surripiant. De quantitate istius restitutionis et causis ab illa excusantibus infra n. 83 sermo redibit.

Dominium maiorennium.

1. Filii maiorennes habent plenum dominium suorum bonorum; sunt enim perfecte sui iuris.

2. Nihilominus tenentur iuxta vires et statum suum servire parentibus quantum ad rem familiarem et negotia eorum.

3. Nisi filius maiorennis expresse exegerit compensationem fructuum ex suis propriis perceptorum a parentibus, praesumitur huiusmodi fructus gratuito concessisse parentibus[2].

4. Filiae maiorennes habent ius ad competentem dotem, nisi tamen parentes legitime contra matrimonium ineundum reclamaverint[3].

5. Pro confessario sequentia videntur notanda in praxi:

a) Filius maiorennis laborans *extra* paternam domum vel officinam tenetur quidem conferre ad familiam paternam sustentandam, sed salarium obtentum est eius proprietas, et proinde potest sine laesione iustitiae de illo disponere.

b) Filius maiorennis laborans *in* domo vel officina paterna etiam strictum ius habet ad salarium conveniens. Quod si illi iniuste negatur, potest se occulte compensare. Ita iuxta rigorem iuris. In praxi autem raro istud ius licite exigi potest, scil. quando filius labore extraordinario rem familiarem patris auget et secus multo peioris conditionis esset quam fratres aut sorores. Ratio est, quia iuxta ius Germanicum supra n. 2 citatum filius etiam maiorennis tenetur iuxta vires et statum suum servire parentibus quantum ad rem familiarem et negotia. Insuper multae rixae oriri possent, si filius maiorennis iuxta strictum ius salarium exigeret.

Scholion. In regionibus, ubi viget codex civilis Germanicus, haec sit regula generalis: *Ante* factum confessarius admoneat generaliter omnes filios familias sive minorennes sive maiorennes, ut opera sua gratuito impendant pro re familiari paterna et contenti sint illis bonis, quae pater aut mater liberaliter concedit. *Post* factum, si scil. filii familias sive minorennes sive maiorennes aliquid salarii retinuerint, partem autem sufficientem pro propria sustentatione tradiderint, non sunt compellendi ad restitutionem.

§ 2.

De dominio filiorum familias iuxta ius Gallicum.

Praenotamina. 30

1. Iuxta ius Gallicum unusquisque est capax dominii et iam a conceptione est capax hereditatis capessendae[4].

2. Liberi sunt minorennes usque ad annum 21 completum aetatis suae. Ab hoc termino sunt maiorennes; verumtamen quantum ad matrimonium ineundum specialia statuta exsistunt, nempe filius et filia ante annum 21 completum matrimonium inire non possunt sine consensu parentum. Si mater

---

[1] § 1617. [2] § 1618. [3] § 1621.
[4] Cod. civ. Gall. a. 8 et 725.

dissentit, sufficit consensus patris [1]. Si unus parentum obiit aut ex aliqua causa nequit manifestare suam voluntatem, sufficit consensus alterius [2]. In casu, quo ambo parentes mortui sunt aut nequeunt suam voluntatem manifestare, avi et aviae vices illorum in hac re gerunt [3]. Post praedictam aetatem et quidem usque ad annum 30 completum filii et filiae tenebantur actu reverentioso («par un acte respectueux») tribus vicibus interpellare consensum parentum, sed iste actus respectuosus suppressus est per legem d. 21 Ian. 1907 [4]. Iuxta disciplinam vigentem sufficit, ut filii et filiae nupturientes ope notarii notificent parentibus matrimonium contrahendum. 30 diebus post hanc notificationem matrimonium contrahi potest [5].

3. Minorennes filii emancipari possunt:

a) Per declarationem patris aut (illo deficiente) matris coram iudice pacis factam, si minorennis saltem 15 aetatis annum compleverit [6]. Defuncto utroque parente eadem declaratio fieri potest a sic dicto consilio familiae, sed nonnisi post 18 annum aetatis.

b) Minorennes eo ipso emancipantur, quando matrimonium ineunt [7].

4. Minorennis emancipatus minime eadem iura habet ac maiorennis, sed in pluribus actionibus dependet a suo tutore. Singulae istae actiones enumerantur art. 480 sqq.

Dominium minorennium.

1. Minorennes habent dominium nudum omnium rerum, quae eis iusto titulo obvenerunt, e. g. hereditate, donatione etc. [8]

2. Administratio et ususfructus bonorum ad minorennem filium pertinentium est penes patrem, eoque defuncto penes matrem usque ad annum 18 aetatis completum. Excipiuntur tamen casus sequentes:

a) si minorennis emancipatur;

b) si mater defuncto patre novas nuptias init [9];

c) quantum ad bona, quae minorennis acquisivit labore et industria separata, vel quae ei data aut legata fuerunt sub conditione ut parentes usufructu careant [10];

d) si parentes declarati fuerunt indigni [11], aut si filiam ad prostitutionem induxerint;

e) si coniux superstes neglexerit facere inventarium bonorum infra trimestre post mortem compartis [12].

3. Bona, quae minorennis acquirit labore et industria separata, videntur ea omnia esse, quae non acquirit in officina paterna. Unde si filius, licet habitans in domo paterna, mercaturam propriam agit, si artem ab arte paterna plane diversam exercet, si in officina extra domum paternam laborat, haec omnia videntur esse labor et industria separata [13].

4. Filius minorennis praesertim post 18 annum aetatis suae laborans extra domum paternam non peccat contra iustitiam, si expensas suae sustentationis solvit parentibus, reliquum autem salarium sibi retinet. Nihilominus monendus est (saltem communiter), ut totum salarium tradat parentibus, cum hoc sit magis conforme pietati et oboedientiae.

[1] Articulus 148 modificationem accepit per legem d. 21 Ian. 1907.
[2] Art. 149. [3] Art. 150. [4] Art. 152. [5] Art. 151 novus.
[6] Art. 477. [7] Art. 476. [8] Art 389. [9] Art. 386.
[10] Art. 387. [11] Art. 730. [12] Art. 1442.
[13] Cf. *Marres*, De iust. l. 1, n. 29.

5. Filius minorennis non potest facere ullum contractum nisi in casibus a lege determinatis [1].

Dominium maiorennium.

1. Filius maiorennis factus (anno 21 aetatis suae completo) est plane sui iuris et capax omnium actuum civilium [2].

2. Ex articulo 488 videtur sequi, ut filius maiorennis nihil aliud debeat parentibus suis nisi resarcire alimenta ab illis quotidie recipienda. Si tamen parentes sunt in egestate, tunc iam ipsum ius naturale praecipit, ut quilibet filius teneatur pro viribus subvenire eis.

§ 3.

De dominio filiorum familias iuxta ius Anglicum.

1. Minor emancipatur, quando annum 21 attingit, vel quando matrimonium 31
init, vel quando relinquit domum paternam et ratione occupationis cessat patri subesse, ut si minor fit miles vel famulus alterius [3].

2. Si filius in domo paterna sustentatur et labore proprio aliquid acquirit, pater hoc sumere potest usque ad annum *16;* sic enim sustentatio aliquatenus compensatur. Post hoc tempus autem parentes possunt tantum exigere a filio pretium sustentationis. Quando vero filii sine remuneratione laborant aut totum salarium parentibus tradunt, censentur iuribus suis renuntiare.

§ 4.

De dominio filiorum familias iuxta ius Americae Sept.

1. In America Septentrionali ius uniforme circa iura parentum non ex- 32
sistit. Sequentia tamen satis communiter statuta sunt.

2. Parentes non tenentur quidem sed debent solvere debita contracta a filiis (nisi tamen ipsorum auctoritate explicita vel implicita filii ista debita contraxerint); convenienter sustentare filios.

3. Parentes ius habent, ut liberi minorennes, i. e. usque ad annum 21 [4], sub ipsorum servitio et custodia habitent atque laborent.

4. Parentes permittentes, ut liberi extra domum paternam laboribus aut negotiis vacent, censentur eo ipso permittere, ut illi habeant dispositionem de salario accepto. In hoc casu tamen cessat etiam obligatio parentum sustentandi liberos suos.

5. Parentes obligantur ad resarcienda damna, quae (illis scientibus et non impedientibus) committuntur a liberis, dum sunt in domo paterna.

§ 5.

De dominio filiorum familias iuxta ius Austriacum.

1. Ius Austriacum sicuti uxoribus ita etiam filiis familias maiores libertates 33
concedit.

---

[1] Art. 1124 sq. [2] Art. 488; cf. etiam legem d. 22 Ian. 1907.

[3] Cf. *Slater*, Princ. Theol. mor., de iust. c. 3, § 2, et *W. Eversley*, The Law of the Domestic Relations p. 598.

[4] «In the United States some statutes have reduced the age required for majority.» (Ita *Tanquerey*, Suppl. pro Stat. Americ. Septentr. p. 9.)

2. Pater habet administrationem bonorum, quae filii minorennes acquirunt [1]. Si tamen filius minorennis, *extra domum paternam vivens,* aliquid industria sua acquirit, hoc liberae dispositioni eius relinquitur [2].

3. Reditus percepti ex bonis filii familias administrationi patris ordinarie subsunt, sed oportet, ut impendantur ad convenientem educationem et sustentationem filii. Si quid maioris momenti superest, cedit in commodum filii; sin autem sit minoris valoris, pertinet ad patrem [3].

4. Filii fiunt maiorennes post annum 24 aetatis suae completum [4] et tunc evadunt prorsus sui iuris, nisi iudex contrarium statuerit [5]. Matrimonium a minorenni initum non reddit illum maiorennem [6]. Filii possunt emancipari ante maiorennitatem cum consensu patris et iudicis. Praeterea si pater consentit, ut filius 20 annorum propriam rem familiarem ducat [7].

5. Minorennes ante 18 annum non possunt testamentum facere nisi coram iudice; post vero hanc aetatem libere possunt testamentum condere [8].

6. Minorennes generatim non possunt ullum contractum onerosum inire sine consensu parentum aut curatorum [9].

§ 6.

De dominio filiorum familias iuxta ius Hispanicum et Italicum.

34 Ista iura satis conveniunt et statuunt, ut ususfructus et administratio omnium bonorum, quae pertinent ad minorennes [10], competant parentibus, nisi contrarium sit expresse stabilitum. Quando autem filii vivunt cum consensu patris extra domum paternam, bona ab illis acquisita eorum liberae dispositioni relinquuntur [11].

§ 7.

De dominio filiorum familias iuxta ius Helveticum.

35 **Praenotamina.**

1. Ius antiquum diversorum districtuum Helveticorum non multum discrepat a iure Gallico supra exposito. Ius vero novum satis magnas mutationes introduxit.

2. Capacitas dominii oritur a primo momento exsistentiae hominis [12]. Exercitium autem huius dominii non licet nisi illis, qui sunt maiorennes et praediti usu rationis [13]. Fit autem homo maiorennis post annum 20 aetatis suae completum [14]. Praeditus vero usu rationis censetur, qui non laborat amentia, dementia, ebrietate similibusve statibus mentis.

3. Filius minorennis potest emancipari post 18 annum completum, dummodo hoc fiat a tribunali tutelari et cum ipsius et parentum consensu [15].

4. Qui caret usu rationis, nullum contractum validum inire potest [16]; qui vero gaudet usu rationis, sed tamen est minorennis aut declaratus ineptus

---

[1] Cod. civ. Austr. § 149. [2] § 151. [3] § 150 [4] § 21. [5] § 172.
[6] § 175. [7] § 174. [8] § 569. [9] § 865.

[10] In Hispania filius fit maiorennis, si est natus 23 annos completos (Cod. civ. a. 320), in Italia autem post annum aetatis 21 completum (Cod. civ. a. 323).

[11] Cf. Cod. civ. Hisp. a. 159 (apud *Larraga-Saralegui*, Comentarios n. 693), et Cod. civ. Ital. a. 394—397 (apud *Marc*, Instit. mor. I, n. 861).

[12] Cod. civ. Helv. a. 11. «Rechtsfähig ist jedermann.»

[13] Art. 13. [14] Art. 14. [15] Art. 15. [16] Art. 18.

(entmündigt), potest quidem commoda acquirere, sed contractus onerosus non valet inire sine consensu legitimi curatoris. Si nihilominus hoc ultimum fecerit, ad restitutionem tenetur [1]. Articulus iste est magni momenti pro praxi confessarii. Si e. g. minorennis contraxerit debita, vel emptionis aut venditionis contractus perfecerit, haec omnia sunt invalida, sed minorennis tenetur pro viribus damnum resarcire illis, quibuscum contraxit.

Dominium minorennium.

1. Parentibus competit *administratio* omnium bonorum ad filios pertinentium, nisi contrarium sit expresse statutum [2].

2. Parentibus competit *ususfructus* omnium bonorum ad filios *minorennes* pertinentium, nisi contrarium sit expresse statutum. Debent tamen parentes convenienter curare educationem et sustentationem liberorum [3].

3. Bona, quae acquirit minorennis proprio labore in communitate familiari facto, *pertinent ad parentes*; bona vero, quae acquirit aut proprio negotio cum consensu parentum peracto, aut laboribus extra communitatem familiarem factis liberae dispositioni minorennis relinquuntur, salvis tamen obligationibus suis erga parentes [4]. Isti duo articuli sunt magni momenti pro praxi confessarii. Nam liberi minorennes nullum ius habent ad salarium exigendum a parentibus, nihilque possunt sibi surripere propter labores in communitate familiari factos; econtra liberi servientes tamquam ancillae, servi, scriptores, apparitores etc. extra domum paternam libere disponunt de salario acquisito; tenentur tamen parentibus resarcire expensas alimoniae et insuper in casu egestatis parentibus subvenire [5].

Dominium maiorennium.

Liberi maiorennes habent liberam dispositionem de bonis suis. Proinde possunt non tantum retinere salarium laboris sui extra domum paternam facti, verum etiam exigere salarium pro labore in communitate familiari peracto [6]. Attamen tenentur opera sua conferre ad convenientem sustentationem familiae paternae [7].

ARTICULUS III.

De dominio clericorum.

Divisiones. Dominium clericale, quod et aliquando peculium 36
clericale vocatur, est quadruplex:

1. peculium patrimoniale; 2. quasi-patrimoniale; 3. beneficiale, et 4. parsimoniale.

Antequam singula explicamus, notandum est, totam istam materiam potius ad ius canonicum pertinere et proinde attendendas esse imprimis leges ecclesiasticas hac de re latas.

1. Peculium *patrimoniale* seu bona patrimonialia clerici saecularis [8] sunt illa bona, quae clericis obveniunt independenter ab omni tum ministerio tum beneficio ecclesiastico; vocantur autem patrimonialia, quia ordinarie proveniunt ex hereditate paterna, licet possint etiam

---

[1] Art. 19. [2] Art. 290 et 294. [3] Art. 292—294. [4] Art. 295 et 296.
[5] Cf. art. 328 et 329. [6] Art. 63. [7] Art. 326 et 329.
[8] De clericis regularibus hic non agitur, cum isti ligentur voto paupertatis et proinde non habeant dispositionem perfectam de ullis bonis temporalibus.

provenire ex quacumque *causa profana,* e. g. ex donatione, ex labore profano, ex libris editis etc. — Bonorum patrimonialium clericus saecularis habet perfectum dominium; non est enim peioris conditionis quam laicus.

2. Peculium *quasi-patrimoniale* (vocantur etiam bona quasi-ecclesiastica) sunt illa bona, quae clerici acquirunt non ratione beneficii ecclesiastici (seu ex bonis ipsi *Ecclesiae* oblatis et appropriatis), sed ratione *ministerii personalis ecclesiastici,* quasi mercedem et stipendium; seu brevius sunt illa bona, quae clericis obveniunt ex titulo quidem spirituali, sed non ex titulo beneficii. Ad haec bona pertinent plura sic dicta «iura stolae»[1], i. e. remunerationes, quae dantur propter quasdam functiones ecclesiasticas, e. g. propter funera peracta, propter matrimonium benedictum, distributiones quotidianae canonicorum, stipendia Missarum manualium (non autem stipendia Missarum fundatarum), oblationes gratuitae, quas fideles offerunt parocho aliisque sacerdotibus et generatim omnia illa bona vel reditus, qui percipiuntur praesertim a sacerdotibus non beneficiatis propter officia ecclesiastica peracta. Sacerdotes autem non beneficiati sunt e. g. vicarii et cooperatores parochorum, deservitores hospitalium, rectores spirituales scholarum etc. — Horum bonorum quasi-patrimonialium clerici habent perfectum dominium.

3. Peculium *beneficiale* sunt illi reditus, quos recipit clericus ratione et titulo beneficii ecclesiastici; seu brevius, sunt *reditus beneficii ecclesiastici* destinati in congruam sustentationem clericorum beneficiatorum. De origine et historia beneficiorum auctores canonistae multum disputant[2]. Tamquam reditus stricte beneficiales iuxta modernam praxim habentur non solum proprii fructus beneficii, sed etiam: a) *Pensiones,* quas interdum gubernia civilia solvunt clericis, e. g. in Germania, in Austria etc. Ita expresse statuit S. Poenitentiaria d. 19 Ian. 1819 et 9 Ian. 1823. b) *Contributiones fidelium*[3] per modum *taxae* impositae, quando neque ex bonis beneficialibus neque ex pensione gubernii civilis congrua sustentatio clericorum beneficiatorum haberi potest. Istae enim oblationes videntur fere idem esse ac decimae antiquitus impositae. Porro decimae communissime habentur tamquam reditus beneficiales[4]. Pariter ad reditus beneficiales videntur pertinere illae oblationes fidelium, quae vi statutorum aut consuetudinis parochis dantur ratione tituli, e. g. in America Septentrionali tempore Nativitatis aut Paschatis[5]. c) *Stipendia Missarum fundatarum,* quae cum beneficio

---

[1] Aliquando vocantur iura stolae etiam decimae a clericis perceptae vel oblationes factae a fidelibus loco decimarum. Ista iura stolae sunt bona beneficialia, quando dantur clericis vere beneficiatis.

[2] Vide nostrum Man. iur. eccl. I, q. 160

[3] Le denier du culte, Kultussteuer zum Unterhalt der Pfarrer, nicht aber Kultussteuer zum Unterhalt von Kaplänen, Küstern, Kirchen etc.

[4] Cf. tit. 30, l. 3 de decimis, primitiis et oblationibus, et lib. 39 de censibus, exactionibus et procurationibus; cf. etiam *Wernz,* Ius Decret. III 183, et *Bargilliat,* Prael. iur. can. n. 1384. [5] Cf. *Bargilliat* l. c.

sunt unita, si tamen percipiuntur ab ipso beneficiato; nam si istae Missae dicuntur a sacerdote non beneficiato, earum stipendia iam non sunt peculium beneficiale.

Hodiernis diebus fere non dantur alia beneficia ecclesiastica nisi parochiae, canonicatus, episcopatus et quaedam capellaniae.

Peculium beneficiale vel est *necessarium* pro sustentatione convenienti clerici, vel *superfluum*.

Obligationes circa peculium beneficiale. 1. Omnes moderni 37
theologi et canonistae docent, clericis competere verum dominium in reditus beneficiales, qui sunt *necessarii* pro convenienti sustentatione, ita ut de illis eadem libertate disponere possint, qua gaudent circa bona patrimonialia et quasi-patrimonialia. Antiquis temporibus quidam pauci canonistae contrarium docuerunt, sed eorum sententia nunc prorsus obsoleta est. Ratio autem est, quia testante S. Paulo, omnes, qui altari deserviunt, cum altari participant[1]. Clerici ergo ex reditibus beneficii honestam sustentationem sumere possunt, idque etiamsi alia bona patrimonialia aut quasi-patrimonialia habeant. Quaenam autem sustentatio congrua vocanda sit, non potest certa regula determinari, sed relinquitur prudenti iudicio timorati clerici. Nam attendi debent multae circumstantiae, scil. a) *persona* clerici; etenim alia est sustentatio simplicis parochi ruralis, qui gaudet optima sanitate, et alia est sustentatio episcopi senis et debilis. Pariter attendendae sunt b) *circumstantiae* locorum et temporum. — Ad convenientem sustentationem pertinent quoque honestae recreationes, hospitalitas exercenda, quaedam dona danda et decens alimentatio consanguineorum, praesertim si isti sint egeni. Quantum autem ad modum vivendi, monitiones a Concilio Tridentino episcopis datae omnibus clericis prae oculis versentur[2]. Clericus beneficiatus ex bonis beneficii sui non nisi *eleemosynas*, non autem dona saltem maiora largiatur[3].

2. Clerici beneficiati tenentur *sub gravi* impendere *superfluos* reditus ex bonis beneficialibus in causas pias. Ita docent omnes, et satis eruitur ex Concilio Tridentino[4]. Disputant autem canonistae et theologi, utrum ista gravis obligatio sit obligatio *iustitiae*, ita ut eius transgressio constituat obligationem restitutionis, an sit tantum obligatio gravis ex lege ecclesiastica. Sententia verior et multo communior docet, illam obligationem oriri tantum ex lege ecclesiastica et non implicare restitutionem, si neglecta fuerit[5]. Iam S. Thomas illam sententiam docuit[6]. Sibi obicit: «Quicumque consumit quod est alterius, tenetur ad restitutionem: sed bona clericorum sunt pauperum, ut patet per glossam

---

[1] Cf. 1 Cor 9, 13. [2] Sess. 25, c. 1 de reform.

[3] Quomodo clericus possit ex reditibus beneficialibus sustentare consanguineos, optime docent *S. Ambrosius*, De offic. l. 1, c. 3, et *S. Thomas*, S. theol. 2, 2, q. 185, a. 7 ad 2.

[4] L. c.

[5] Vehementissime quidem sed non efficaciter impugnat hanc sententiam *Concina*, Theol. christ. in Decal. I, diss. 6, c. 18.

[6] Quodl. 6, q. 7, a. 12 ad 3; S. theol. 2, 2, q. 185, a. 7.

Hieronymi super illud Isaiae 3, 14: ‚Rapina pauperum in domo vestra.' Ergo si clerici inutiliter bona ecclesiastica consumunt, tenentur restituere pauperibus aliunde, si habuerint.»... Ad quam obiectionem respondet: «Bona ecclesiastica non solum dispensanda sunt pauperibus, sed etiam Ecclesiae ministris: unde secundum canones debent dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in usum pauperum et aliqua pars in usus ministrorum et in cultum Ecclesiae. Aliter ergo dicendum est de illis ecclesiasticis bonis, quae principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium et aliorum huiusmodi. Et aliter de illis bonis, quae sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicut sunt praebendae clericorum et alia huiusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius; et ideo tenetur ad restitutionem tamquam defraudator rei alienae. In secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est. *Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam.*» — Ratio autem fundamentalis, cur clericus abutens bonis superfluis beneficii sui non teneatur ad restitutionem, haec est: Non est imponenda restitutio, nisi eius obligatio certo constet. Porro non potest afferri ullus certus titulus restitutionis nec ulla lex ecclesiastica clare hanc obligationem praescribens[1]. Ceterum etsi non est urgenda obligatio restitutionis, tamen in casu quo clericus superfluos reditus beneficiales non impenderit pro causis piis, graviter arguendus est; nam parum interest, utrum in gehennam eat propter laesam iustitiam an propter laesam caritatem. Ast cognati vel alii homines, qui a clerico beneficiato huiusmodi reditus superfluos receperint, non sunt obligandi ad restitutionem; immo si fuerint in bona fide, non peccaverunt. Aliter autem res se habet, si clericus beneficiatus habens superfluos reditus beneficiales moritur sine testamento et heredes volunt usurpare istas superfluas reditus relictos; nam in hoc casu, cum animus et intentio clerici mortui praesumi debeat, ut voluerit disponere de bonis illis sicut debuerit, et cum certe debuerit disponere de illis reditibus pro causis piis, heredes non possunt licite usurpare bona relicta, si *certe* sunt reditus superflui beneficiales. Verumtamen in praxi iste casus satis raro accidet; primo quia clerici raro habent reditus beneficiales ita amplos, ut post sustentationem convenientem adhuc remaneat aliquid superfluum; deinde, posito quod revera beneficium fuerit ditissimum, nihilominus fere impossibile est discernere in bonis relictis, quaenam fuerint parsimonialia et quaenam beneficialia superflua. Unde heredes laici generatim non sunt inquietandi, si ex hereditate clerici beneficiati bona acquisiverint. Nam etsi forsan ista bona provenerint ex reditibus superfluis beneficialibus, heredes tamen non peccant contra iustitiam ista bona accipientes, quia

[1] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 3, a. 5, ubi optime haec controversia tractatur.

iuxta sententiam supra positam clerici beneficiati sunt vere domini istorum bonorum superfluorum. Ergo heredes accipientes talem hereditatem non retinent bona aliena. Insuper saepe sunt in bona fide, et si confessarius vellet eos cogere ad reddenda bona huiusmodi, forte recusarent oboedire atque sic ex peccatis materialibus efficerentur peccata formalia. Cum autem non raro subitanea mors clericorum accidat, quilibet clericus saecularis non cunctetur facere testamentum suum. Praesertim non omittat disponere de sacris vestibus, paramentis, vasis. Nam valde indecens esse potest, si istae res relinquantur liberae dispositioni laicorum, aut pretio valde diminuto vendantur a laicis. Multo melius et menti Ecclesiae conformius est, si clericus beneficiatus bona superflua ex reditibus beneficialibus percepta erogat mox in pias causas, ita ut non sit necessarium de illis testamentum condere.

4. *Bona parsimonialia* illa sunt, quae clericus ex bonis beneficialibus comparcit, parcius vivendo. De istis bonis libere disponere potest. Patet per se, quia clericus ius habet ad convenientem sustentationem ex bonis beneficialibus. Si ergo ab ista convenienti sustentatione sibi aliquid libere subtraxit, de illo et libere disponere potest.

Tota doctrina de reditibus clericorum saecularium hac unica phrasi enuntiari potest: *Clerici saeculares habent liberam dispositionem de omnibus reditibus suis, exceptis reditibus beneficialibus superfluis, quos quidem sub gravi praecepto, sed non sub obligatione restitutionis impendere debent pro pauperibus piisve causis.*

Scholion. De administratione bonorum ecclesiasticorum. Clerici 38
beneficiati tenentur omnia bona ecclesiastica solerti cura administrare iuxta canonicas sanctiones et statuta particularia. Praesertim observanda sunt statuta pontificia et episcopalia circa *alienationem* bonorum ecclesiasticorum. Non raro modernis temporibus etiam a guberniis civilibus lata sunt circa administrationem bonorum ecclesiasticorum particularia statuta; quae si ex Concordatis vel ex concessione Summi Pontificis tolerantur, quilibet clericus sedulo observare tenetur. Secus enim magna incommoda oriri possunt. In administratione bonorum ecclesiasticorum clericus vitare quidem debet omnem incuriam, sed etiam cavere oportet omne, quod sapit commercium pure mundanum. Hinc clericus non sit *nimis* sollicitus circa istas res materiales. Praesertim vitet actiones, uti dicunt, speculativas in mensis nummulariis [1]. Experientia enim lugubri constat, clericos per istas actiones et scandalum dedisse fidelibus et insuper damna magna intulisse bonis ecclesiasticis. Sane per se quidem clerici possunt licite emere actiones et obligationes nummularias, cum Ecclesia hodiedum hoc non prohibuerit (saltem expresse), sed clerico prohibitum est, ne agat commercium et mercaturam, quippe quae non conveniant dignitati clericali. — Sunt auctores, e. g. Hollweck [2], qui docent, omnes clericos, etiam non beneficiatos, bona superflua ex ministerio ecclesiastico percepta teneri erogare in causas pias; quae quidem sententia est in praxi valde consulenda, cum sit rectae rationi conveniens, sed non potest tamquam stricta obligatio imponi.

---

[1] Vulgo *Bank* et *Börse*. [2] Das Testament der Geistlichen.

CAPUT IV.

De modis acquirendi dominii.

39 **Praenotamen.** Plures auctores distinguunt acquirendi modos *originarios* et *derivatos*. Vocantur autem modi *originarii* illi, iuxta quos primitus divisio bonorum communium, seu dominium privatum ortum est; modi autem *derivati* censentur illi, iuxta quos, divisione bonorum iam facta, dominium alicuius rei derivatur ab uno domino in alium. In nostris regionibus, ubi iam non exsistunt res, quae domino privato propriae numquam fuerunt, raro dantur modi originarii dominii acquirendi. In aliis regionibus nondum inhabitatis adhuc dantur terrae et res, quae numquam sub dominio privato fuerunt. Ibi ergo modus originarius dominii capessendi locum habere potest. Ut plurimum nostris temporibus requiritur in istis regionibus consensus gubernii civilis. Iam supra vidimus, divisionem bonorum seu dominium privatum in praesenti rerum conditione (scil. post peccatum originale), dictari ab ipsa lege naturali, non quidem eo sensu, quasi communitas bonorum sit contra ius naturale, sed quod divisio bonorum inter proprietarios privatos sit maxime conveniens iuri naturali: tum propter pacem servandam, tum propter meliorem administrationem bonorum procurandam, tum propter laborem strenuum fovendum. Relictis igitur modis originariis dominii capessendi, loquimur de solis modis derivatis, qui quidem sunt duplicis generis: aut enim fundantur in lege (naturali aut positiva), et tunc convenienter vocantur modi *legales;* aut fundantur super conventione inter homines inita, et tunc vocantur modi *conventionales*. Modi conventionales dominii acquirendi et transferendi sunt contractus multiplices; qui quidem modi sunt frequentissimi, unde infra specialiter de contractibus agendum est. Modi autem legales ad quattuor classes reduci possunt, scil. ad *occupationem,* ad *inventionem,* ad *accessionem* et ad *praescriptionem;* unde de istis quattuor singillatim agendum est.

Notanda est etiam aliqua *distinctio rerum,* quae saepe occurrit in modernis codicibus civilibus; nempe distinguuntur res *vacantes,* res *derelictae* et res *amissae:*

Res *vacantes* dicuntur illae, quae numquam habuerunt dominum, e. g. ferae in silvis, gemmae in fundo maris.

Res *derelictae* dicuntur illae, quae quidem dominum habuerunt, actu autem iam non habent, quia fuerunt derelictae, e. g. fructus, nuces, uvae, spicae, quae messe iam peracta remanserunt.

Res demum *amissae* illae sunt, quae dominum habent etiam nunc actu, sed dominus est incertus, e. g. annulus aureus deperditus.

ARTICULUS I.

De occupatione.

Agemus 1. de occupatione in genere; 2. de occupatione animalium; 3. de occupatione thesauri; 4. de praeda cappessenda in bello.

§ 1.

De occupatione in genere.

40 *Occupatio*[1] *in genere est apprehensio rei, quae nullius est, cum animo eam sibi acquirendi.* Ergo sub nomine occupationis non ve-

[1] *Aneignung.*

niunt furta aut rapinae, quia in istis casibus res non sunt nullius, sed exsistit earum dominus legitimus.

Occupationem esse legitimum modum acquirendi dominii, omnes admittunt; iure enim naturali res nullius fiunt primi occupantis, ut dicit commune adagium, cui consentiunt expresse codices civiles, e. g. Germaniae[1], Helvetiae[2]. Conditiones autem requisitae, ut occupatio sit legitimus titulus acquirendi dominii, sunt sequentes:

1. Ut res sit revera nullius (i. e. vacans aut derelicta) et possit cadere sub dominium privatum; secus enim fieret realis iniuria vel domino legitimo aut saltem communitati. Hinc occupatio illegitima est, e. g. si dominus rei cognitus est aut si quis vult occupare viam publicam, quippe quae non cadat sub dominium privatum.

2. Ut adsit vera et realis apprehensio; unde non sufficit intentio vel desiderium rem habendi.

3. Ut adsit animus faciendi rem suam; unde e. g. non adest occupatio causans verum dominium, si homo dives proiecerit vestem, quam inveniens alius vult reddere domino pristino.

Occupatio praecipue locum habet in occupatione animalium, in inventione thesauri, et aliqualiter etiam in praeda capessenda durante bello; unde de singulis singillatim agemus.

§ 2.

De occupatione animalium.

Notiones. Claritatis gratia distingui solent triplicis generis animalia: 41

a) Animalia *fera* seu silvestria, quae ab humano consortio naturaliter abhorrent atque sub nullius dominio solent esse constituta; e. g. leones, lepores, cervi, apri, pisces etc.

b) Animalia *mansuefacta* aut cicurata, quae per se quidem abhorrent consortium hominum atque in libertate vivunt, tamen humana industria et arte sub perfectum dominium hominis sunt redacta; e. g. columbae in columbario, apes in alveario, pisces inclusi in stagno parvo etc.

c) Animalia *mansueta seu domestica*, quae natura sua hominum societati assuefacta sunt et usibus domesticis inserviunt; e. g. oves, boves, gallinae, canes. — Quidam auctores adhuc distinguunt animalia *efferata,* quae scil. fuerunt mansueta aut mansuefacta, sed postea libertatem iterum adepta societatem humanam effugerunt; e. g. columbae iam non redeuntes ad proprium columbarium. Ista animalia aequiparantur feris.

Quantum ad occupationem animalium notanda sunt sequentia **principia:**

1. *Animalia fera* (vel etiam efferata) sunt primi occupantis. Ratio est, quia sunt nullius; et quia res nullius tum iuxta ius naturale tum

---

[1] § 958. [2] Art. 718.

iuxta codices civiles fiunt primi occupantis[1]. Unde e. g. qui piscem capit in mari aut leporem in silvis apertis, est dominus eorum. — Infra sermo redibit de obligatione legum civilium circa venationem.

2. *Animalia mansuefacta* seu cicurata tamdiu manent proprietas domini, quamdiu eius custodiam non evaserint vel consuetudinem revertendi in illam non amiserint; quando autem facta sunt efferata, fiunt primi occupantis sicut animalia fera. — Circa primam partem huius principii nulla est difficultas, et ita sentiunt omnes. Unde furtum committit, qui e. g. columbas alienas pabulo exquisitiore allicit et retinet. Si autem ista animalia mansuefacta causant alteri magnum damnum, quod dominus eorum non vult resarcire, tunc nemo tenetur hoc pati; sed damnum patiens potest animalia damnificativa occidere, ne noceant. Qui quidem casus facile accidere potest, si gallinae et columbae tempore sementis et segetis causent notabile damnum; pariter feles in alienis domibus aut hortis saepe sunt nocivae. Attamen ista animalia non licet occidere invito domino, *nisi vera necessitate exigente,* quia etsi non laedatur iustitia, saepe tamen laeditur caritas et multae rixae atque inimicitiae inde oriri possunt. — Iura civilia solent determinare, quando animalia efferata pertinent ad primum occupantem; quae quidem determinationes videntur obligare etiam in foro conscientiae. Sic e. g. ius Helveticum[2] statuit, ut examen apum, quod in alienum fundum transvolat, adhuc remaneat sub dominio prioris domini, nisi coniunxerit se cum alveario alterius domini, cum econtra ius Germanicum[3] decernat, ut examen apum evolans statim fiat primi occupantis, nisi tamen dominus illud persequendo conetur reducere.

3. *Animalia mansueta* semper manent proprietas domini sui, etsi e custodia abscesserint. De illis enim iudicandum est sicut de aliis rebus proprietatis. Quando autem ista animalia aberraverint, inventor eadem iura et obligationes habet ac inventor aliarum rerum mobilium[4].

42 De iure venandi et piscandi.

Principium. *Princeps vel respublica potest variis titulis venationem, aucupationem et piscationem prohibere, nedum in propriis fundis, sed etiam in locis publicis, easque sibi reservare*[5].

Explicatur. Praecipuus titulus istius reservationis est bonum commune. Experientia enim constat, venationem omnibus perviam et licitam causare saepe magna incommoda, et econtra venationem reservatam plures utilitates afferre bono communi. Dico autem: reservationem venationis posse sola *loca publica* attingere; nam venatio in loco omnino clauso pertinet ad dominum loci. Hinc e. g. nemo potest impediri, ne quis in proprio vivario capiat pisces. Patet per se. Ex principio enunciato deducuntur haec **corollaria:**

---

[1] Cf. Iustinian. Inst. l. 2, 1, 12 et Cod. civ. Germ. § 958.
[2] Art. 719 et 725. [3] § 961. [4] Cf. infra n. 48, ubi de inventione agitur.
[5] Ita recte *Billuart,* De iure et iust. diss. 4, a. 2, § 2.

1. Qui venatur, aucupatur, piscatur contra prohibitionem ratione utilitatis publicae factam, peccat. Ratio est, quia talis venator transgreditur legem iustam, quae non est mere poenalis. Leges civiles de venatione communiter esse iustas non potest negari. Revera non parum interest boni communis, ne ferae totaliter destruantur, sicut fit in aliquibus regionibus non civilizatis et sicut factum est etiam in regionibus nostris circa aliquas feras hodie iam non exsistentes. Ex alia parte etiam necessarium est, ne ferarum multitudo nimis crescat. Unde res publica ius et obligationem habet leges ferendi de venatione. Huc accedit, quod ex venatione locata non parvum emolumentum pecuniare provenit bono communi. Quae cum ita sint, errant moderni auctores, qui indiscriminatim asserunt, omnes leges civiles de venatione latas esse tantum *poenales*. Quae quidem assertio caret fundamento intrinseco. Sane multi veteres auctores ita docuerunt, sed eorum auctoritas non est nimis extollenda hac in re; quia hodie res venatoria valde mutata est. Antiquis enim temporibus venatio exercebatur a paucis hominibus nec solebat locari. Insuper arma erant multo imperfectiora quam nunc. Hodie econtra venatores sunt numerosissimi et non raro etiam in dissitas regiones proficiscuntur venationis causa. Bono communi non parvum emolumentum excrescit ex venationibus, cum econtra antiquis temporibus venatio vergeret in utilitatem et delectationem paucorum. Ex his omnibus luce clarius est, iudicandum non esse de venatione moderna sicuti iudicabant auctores saeculi XVI et XVII. Sane in praxi neque peccatum mortale neque obligatio gravis restitutionis facile oritur ex venatione illicita, ut patebit ex infra dicendis, sed inde non licet concludi, omnes leges de venatione esse leges mere poenales. — Ad discernendam autem gravitatem istius peccati commissi ex venatione illicita, multae circumstantiae sunt considerandae:

2. Grave peccatum videtur esse, si quis in *consuetudinem* duxerit venationem graviter prohibitam cum *armis letalibus;* sin vero agitur de venatione ope retis vel hami vel laquei, non ita facile erit peccatum mortale, nisi damnum illatum sit revera valde grave. Ratio autem, quare *habitualis venatio cum armis letalibus* contra leges civiles exercita sit graviter illicita, est 1. grave damnum, quod labente tempore causatur hoc modo habentibus ius legitimum venandi; 2. passio inordinata, quae fere semper oritur ex istis illicitis actionibus; etenim experientia constat, tales venatores[1] propter passionem venandi rem familiarem saepe negligere, sanitatem suam exponere sexcentis periculis et paulatim induci ad crudelitatem contra homines et bestias; 3. gravissimum periculum, cui se exponunt isti venatores; nam non solum durissimam poenam habebunt, si a custodibus venationis capti fuerint, verum etiam saepe in urgentissimo discrimine vitae versantur, quia fere semper in casu occursus oritur pugna crudelis inter ipsos et custodes venationis, in qua pugna haud raro accidit mors aut custodis aut illegitimi venatoris. Hinc non sunt absolutione digni, qui nolunt renuntiare prohibitae illegitimaeque venationi *habituali* cum armis letalibus.

3. Quantum ad *restitutionem* exigendam propter exercitium venationis 43
illicitae, non ita est ratio habenda, quot et quales ferae captae fuerint (cum ferae sint primi occupantis, ut supra dictum est), sed quantum *damnum* iniuste illatum sit aut bono publico aut legitimo possessori venationis. Si enim venatione furtiva districtus venationis iam nequit ita bono pretio locari, vel

[1] Vulgo *Wilddiebe, braconniers, poachers.*

si proprietarius aut locator venationis revera graves iacturas passus fuerit, tenetur venator furtivus damna illata resarcire. In praxi autem raro exigenda est notabilis restitutio, quia a) illi, qui conducunt districtum venationis, solent intendere non tam lucrum capessendum ex feris captis quam delicias et gaudium habendum ex ipsa captione. Ergo non patiuntur damnum materiale. b) Pariter non ita saepe accidit, ut districtus venationis nequeat bono pretio locari propter venatores illegitimos. — Restitutio autem fieri debet, si e. g. pisces omnes alicuius rivuli occisi sunt calce viva aut, si cervi pretiosi et multi capti sunt maxima et prorsus extraordinaria arte. Econtra non tenetur restituere is, qui feras capit aut occidit ad damna in propriis agris aut fundis vitanda. Etenim gubernium non videtur posse impedire, quominus possessores agrorum aliorumque fundorum feras arceant; unde si gubernium aut locator venationis non dat sufficientem compensationem pro damno causato a feris in agris privatis [1], tunc quilibet potest defendere se contra talem iniustitiam, et si aliter commode fieri nequit, etiam occidendo et capiendo feras irruentes in proprios agros.

4. Qui venatur aut piscatur in alieno loco *clauso*, ex quo animalia non possunt evadere, peccat contra iustitiam commutativam et proinde ad restitutionem tenetur. Restitutionis quantitas mensuranda est non praecise ex pretio ipsius praedae factae, sed ex damno realiter legitimo domino causato. — In hoc casu laedi iustitiam commutativam, ab omnibus admittitur, cum animalia ita inclusa non habeant libertatem evadendi et proinde aequiparanda sint animalibus mansuefactis. Si locus inclusionis sit tam arctus, ut animalia facillime capi possint, tunc furtivus venator est potius fur quam venator, et proinde tenetur totum pretium animalium captorum restituere. Si vero venationis locus sit satis amplus, ita ut captio animalium sit difficilis et incerta, restitutio facienda mensurari debet non secundum totum pretium animalium captorum, sed secundum *spem capturae*, quam dominus habuisset. In praxi norma restitutionis faciendae difficulter assignari potest. Cum autem spes capturae in vastis silvis aut in amplo lacu non sit ita magna quantum ad singula animalia, cumque proprietarii venationis sint communiter homines ditissimi, non obligarem sub gravi poenitentem ad restitutionem, nisi animalia capta haberent pretium 100 francorum, et in isto casu sufficeret restituere forsan quartam partem, scil. 25 francos. Ita salva meliore sententia.

5. Quando venatio non est locata ab auctoritate gubernativa communitatis, ut accidere solet in quibusdam ruralibus regionibus, tunc animal ferum captum in *alieno fundo pervio* pertinet ad venatorem; potest tamen proprietarius fundi impedire venatorem, quominus fundum ingrediatur, et a fortiori potest exigere, ut damnum forsan ex venatione ortum sibi reparetur; non tamen potest capere ipsam praedam. Nimis casuistica videtur esse sententia quorundam auctorum [2] docentium, animal laqueo irretitum in alieno fundo pertinere quidem ad illum, qui laqueum posuit, et proprietarium fundi non posse usurpare istud animal; sed posse solvere illud adhuc vivum ex laqueo atque soluto animali reddere paulisper libertatem et statim illud iterum capere sicque sibi appropriare.

44 **Scholion. De attendenda aestimatione communi circa venationes illicitas.** Non ubique eaedem consuetudines exsistunt circa venationem,

---

[1] Vulgo *Wildschaden*.

[2] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1085, 6; *Gury-Ballerini*, Comp. Theol. mor. I, n. 572, q. 3, nota.

neque etiam eaedem leges civiles ubique vigent. Unde standum est consuetudinibus locorum. Si in aliqua regione furtivae venationes communiter non censentur graviter illicitae et probrosae, vel si exercentur etiam ab hominibus bonae notae, tunc confessarius mitius iudicare potest; sin autem adsit contraria consuetudo, severius iudicandum est. Pariter *post* factam furtivam venationem mitius est iudicandum, saltem quoad restitutionem imponendam; econtra *ante* factum fideles sunt deterrendi ab istis venationibus furtivis.

§ 3.

De occupatione thesauri.

Notio. *Thesaurus* prout hic sumitur, *est «vetus quaedam depositio* 45
pecuniae, cuius non exstat memoria, ut iam dominum non habeat».

Ita ex iure Romano[1]. Dicitur: *vetus*, quia si esset recens depositio, adhuc exsisteret dominus aut saltem heres eius, proindeque thesaurus non esset. Dicitur: *depositio*, sive in re immobili, ut in agro, sive in re mobili, ut in vetusta veste, in antiqua cista etc. Minime autem videtur esse necessarium, ut depositio facta sit *per homines*, sed sufficit ut res sint a longo tempore quocumque modo absconditae; unde numismata antiqua, statuae paganorum, quae forsan terrae motu vel eruptione Vulcani coopertae sunt, tamquam thesauri haberi possunt. Dicitur: *pecuniae*, per quam intelliguntur quaecumque res mobiles, ut gemmae, vasa pretiosa etc. Requiritur autem, ut istae res sint *arte factae* et non naturales. Unde lapides pretiosi, carbones et metalla inventa in sinu terrae non censentur thesaurus sed fructus terrae. Dicitur: *cuius memoria non exstat*, quia si sciretur, quisnam rem absconderit, iam non haberetur thesaurus in stricto sensu, sed esset res inventa.

Dominium thesauri. Si solum ius naturale attenditur, the- 46
saurus inventus pertinet totaliter ad inventorem. Thesaurus enim est res nullius. Porro res nullius est primi occupantis. Attamen codices civiles diversarum nationum hoc ius naturale aliqualiter limitaverunt; quas quidem determinationes moralistae communissime asserunt ordinarie etiam in conscientia obligare, quia non videntur esse purae leges poenales, et aliunde sunt rationi rectae conformes. Codices civiles fere omnes determinant sequentia:

1. Thesaurus inventus in *proprio* fundo pertinet totaliter ad inventorem[2].

2. Thesaurus inventus *in alieno fundo* dividi debet aequaliter inter inventorem et proprietarium (non autem ususfructuarium) fundi. Ita iidem codices civiles[3].

---

[1] L. 31, Dig. 41, tit. 1.

[2] Cf. Cod. civ. Germ. § 984; Cod. civ. Austr. § 399; Cod civ. Gall. a. 716.

[3] Excipitur Codex civilis Helveticus, qui inventori non concedit nisi convenientem remunerationem (a. 723) et statuit, ut thesaurus totaliter pertineat ad proprietarium fundi, in quo inventus fuerit, nisi tamen sint res, quae magnum valorem scientificum habent; nam in hoc casu thesaurus inventus tradi debet gubernio districtus, proprietarius

Sunt theologi, e. g. Lehmkuhl[1], Göpfert[2], censentes, illas leges, quae in quibusdam casibus fisco (quando fundus ad eum non pertinet) partem thesauri adscribunt, aut quae inventorem sua parte privant, probabiliter pro legibus *mere poenalibus* haberi, ita ut ante sententiam iudicis inventor iustitiam non laedat, si portionem, quae ab illis legibus sibi subtrahitur, retineat. Iuxta hanc igitur sententiam ille, qui in Helvetia invenit thesaurum in fundo alieno, potest sibi dimidiam partem retinere, usque dum iudex illum coegerit ad traditionem totius thesauri. Num haec sententia sit revera probabilis, non ita apparet, nec solide probari potest.

Quaerunt hic theologi, num ille, qui novit, thesaurum latere in alieno fundo, licite emere possit fundum istum *secundum pretium commune* et tunc postea acquirere non tantum dimidium sed totum thesaurum. — Respondetur affirmative cum Soto, Navarro, Bannez, Sylvio, Wigandt, Billuart aliisque. Quidam hoc probant ex verbis Christi: «Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.»[3] Sed quidquid est de valore istius probationis, cum Christus hoc tantum ut parabolam proponat, non autem hunc agendi modum expresse approbet, sententia nostra potest aliter probari. Thesaurus enim non est fructus agri neque pertinet ad substantiam agri, ut omnes concedunt. Ergo ager non crescit in pretio eo, quod fortuito thesaurus in illo absconditus est. Ad hoc accedit, quod thesaurus est nullius (ut iterum omnes concedunt) et quod de iure naturae pertinet ad inventorem. Ergo ille, qui invenit, thesaurum in alieno agro et deinde agrum istum emit pretio communi, non laedit ius alicuius. Neque dicatur, scientem, latere thesaurum in agro, iam invenisse thesaurum, et proinde proprietario agri statim ius ad dimidiam partem thesauri enasci. Ad quod respondetur: Thesaurus est per se nullius et sub dominium cadit non per simplicem inventionem, sed per *occupationem*. Atqui in casu nostro thesaurus nondum fuit occupatus. Ergo remansit res nullius et proinde non auxit pretium agri venditi[4]. Favet etiam S. Thomas huic sententiae[5], quae videtur esse tuta in praxi, nisi tamen in aliqua regione codex civilis (sequens opinionem quorundam iurisperitorum) statuerit, ut thesaurus pertineat ad dominum fundi per modum *accessionis*. Ita e. g. videtur statuere Codex civilis Helveticus[6].

---

autem fundi et inventor recipient convenientem compensationem: «Werden herrenlose Naturkörper oder Altertümer von erheblichem wissenschaftlichem Wert aufgefunden, so gelangen sie in das Eigentum des Kantons, in dessen Gebiet sie gefunden worden sind. . . . Der Finder und im Falle des Schatzes auch der Eigentümer haben Anspruch auf eine angemessene Vergütung, die jedoch den Wert der Gegenstände nicht übersteigen soll» (art. 423 sq).

[1] Theol. mor. I, n. 1087. [2] Moraltheol. II, § 77, n. 71.
[3] Mt 13, 44. [4] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 4, a. 2, § 5.
[5] S. theol. 2, 2, q. 66, a. 5 ad 2. [6] Art. 723.

§ 4.

De praeda capessenda in bello.

Praenotamen. Cum praeda capessenda pertineat ad dominos bene 47
notos, acquiritur occupatione non proprie sed late dicta. Occupatio enim proprie dicta versatur circa res nullius, ut supra dictum est.

Sicuti mores mutati sunt quantum ad venationes, ita similiter hodiernis temporibus quantum ad praedas durante bello multo mitiores vigent usus quam antiquis temporibus. Unde etiam in hoc puncto auctoritas veterum doctorum non est exaggerenda. Antiquis temporibus tamquam adagium habebatur: «Ius belli infinitum», et S. Thomas[1] scripsit: «Circa praedam distinguendum est; quia si illi, qui depraedantur hostes, habeant bellum iustum, ea quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem rapinae, unde nec ad restitutionem tenentur.» Hodiernis temporibus per contractus internationales ius praedandi tempore belli in pluribus (licet non in omnibus) determinatum est[2]. Tamquam principia generalia istius iuris internationalis sequentia valent:

1. Ea omnia possunt ex bonis hostis arripi, quae necessaria sunt pro bello iusto gerendo, e. g. arma, nutrimentum, vestes. Tales exactiones solent hodie vocari «contributiones et requisitiones».

2. Praeda facta non pertinet ad singulos milites, sed ad gubernium belligerans.

3. Extra casum verae necessitatis singuli milites nec alimenta ad manducandum propria auctoritate possunt ab hostibus eripere.

4. Cum bellum non geratur contra singulos cives et privatas personas, sed contra totum regnum, *bona privatorum sunt inviolabilia,* nisi tamen sit urgens necessitas. Ita saltem in bello terrestri; nam in bello navali hac de re statuta internationalia ab omnibus nationibus nondum acceptata sunt.

Ex his principiis sequitur, 1. ut milites, qui fame laborantes *nutrimenta* ab hostibus rapuerunt sine auctoritate officialis superioris, illicite quidem egerint, sed non sint obligati ad restitutionem, quia prohibitio facta fuit potius ad abusus praecavendos et ad disciplinam militarem tuendam quam ad obligationem iustitiae stabiliendam; 2. ut milites, sine auctoritate legitima rapientes ab hostibus alia bona notabilis valoris, teneantur sub gravi ad restitutionem.

ARTICULUS II.

De inventione rei amissae.

Inventio, etsi non est propria species occupationis, tamen ad illam 48
reduci potest. Res amissa dupliciter a thesauro differt: a) eo quod

---

[1] L. c. a. 8 ad 1.

[2] Inter conventiones internationales hac de re factas eminet illa, quae die 29 Iulii 1899 Hagae Batavorum inita fuit. Bonae quoque conventiones pro bello navali factae sunt Londini die 26 Febr. 1909.

abscondita non est; b) eo quod non est nullius, sed dominum adhuc habet, licet hic et nunc ignotum. De inventione agemus 1. secundum ius naturae, et 2. secundum statuta quorundam iurium civilium.

§ 1.

Principia iuris naturalis.

1. *Ex stricta iustitia* homo privatus non tenetur rem alienam forsan inventam secum asportare et conservare; ordinarie tamen adest (saltem levis) *obligatio caritatis.* Non adesse obligationem iustitiae fere per se patet; nam homo privatus, praeciso speciali contractu, non tenetur ex iustitia rem alienam curare. Adesse autem obligationem caritatis, etiam patet, quia ut plurimum exsistit spes aliqua, legitimo domino rem perditam restituendi et damnum eius praecavendi. Ex caritate autem tenemur damnum proximi cavere, si id facile fieri potest. Ista vero obligatio ut plurimum est tantum levis, nisi agatur de damno vere gravi praecavendo.

2. Qui rem inventam assumpserit, tenetur illam diligenter custodire et dominum rei inquirere. Haec obligatio oritur *ex iustitia,* ita ut laesio illius inducat obligationem restitutionis. Ratio est, quia talis assumptio nihil aliud est nisi *rerum gestio* libere acceptata. Attamen tum custodia rei tum inquisitio legitimi domini fit *expensis domini* et non inventoris. Ratio principalis est, quia res amissa manet sub dominio illius, qui eam involuntarie amisit, quamdiu iste habet rationabilem spem eam recuperandi. Ergo qui rem inventam assumit, rem alienam sponte in suam custodiam recipit, ac proinde tenetur eam diligenter custodire pro domino legitimo. — Praeterea tenetur ignotum dominum aptis mediis quaerere. Ex quibus sequitur, ut ille, qui dominum rei inventae non quaerit, aut quod multo peius est, qui rem inventam abscondit, peccet contra iustitiam et ad restitutionem teneatur. Quibus vero modis in singulis casibus inquisitio domini facienda sit, ius naturale non determinat, sed solet determinari a iure civili; quae tamen determinationes aliquando sunt potius directivae quam praeceptivae, ideoque non stricte obligant in conscientia. Certe ille, qui adhibet media a iuribus civilibus praescripta, sufficienter hanc obligationem quaerendi dominum rei inventae adimplevit. Si dominus rei cognitus fuerit, inventor tenetur restituere illam; potest autem exigere non tantum compensationem *omnium expensarum* in custodia et investigatione factarum, sed etiam *praemium*[1]. Rerum gestio enim ab inventore facta non est gratuita, praesertim si ita etiam a lege civili statutum est.

49 3. Si adhibita diligenti inquisitione iam non est fundata spes, ut dominus rei detegatur, inventor potest rem sibi retinere; laudabilius tamen in usus pios aut in pauperes eam distribuit. — Recte et clare scribit Wigandt O. Pr.[2]: «Consilium saluberrimum est, ea scil. bona

[1] Vulgo *Finderlohn.* [2] Tribunal confessar. tr. 8, exam. 3.

inventa in pauperes aut publicos et pios usus erogare, maxime si inventor non egeat. Si vero ipse indigens sit, potest sibi totum vel partem pro sua necessitate applicare; optime vero faciet, si adhibeat ad hoc consilium praelati vel confessarii.» Haec eadem sententia a quam plurimis auctoribus antiquis et modernis tenetur, contradicentibus tamen pluribus aliis, e. g. Castropalao, Lessio, Caietano, Billuart etc., qui volunt bona inventa expendenda esse in causas pias aut in pauperes, si dominus inveniri non potest. — Prima sententia tenetur a S. Thoma, qui distinguens inter thesaurum et alias res inventas de his ultimis dicit: «Quaedam vero res inventae fuerunt de propinquo in alicuius bonis (i. e. ante breve tempus habuerunt legitimum dominum). Et tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum; et similiter, si pro derelictis habeantur, et hoc credat inventor, licet eas sibi retineat, non committit furtum.» [1] Ergo iuxta Angelicum Doctorem inventor non committit furtum nec proinde peccat contra iustitiam, qui retinet res inventas, quas dominus pro derelictis habet. Porro, si diligenti inquisitione facta, dominus inveniri nequit, tunc ille merito censetur res suas pro derelictas habere. Idem fere docet S. Alphonsus [2]: «Quando res, spectatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiae loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, non videtur possibile, ut ad dominum redeat; tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante, qui illam non tenetur dare iuxta voluntatem prioris domini, cum ille per impossibilitatem eam recuperandi eius dominium prorsus amisit.» — Pro sententia secunda neque ullus textus iuris neque ratio convincens adduci potest [3]. Etenim principalis ratio adducta non probat adversariorum sententiam. Dicunt enim illi, bona inventa esse expendenda iuxta voluntatem praesumptam legitimi domini. Praesumptam autem voluntatem domini regulariter esse, ut expendantur in usus sibi aut suis aut saltem reipublicae utiles, proindeque in pauperum sublevamen, in Missas aut alios pios usus. — Dico haec ratio non probat, nam minime constat, hanc voluntatem esse regulariter praesumendam; econtra praesumenda est voluntas prioris possessoris, ut remaneant bona sua in tali statu, quo facilius possit ea recuperare. Atqui dominus potest ea facilius recuperare, si maneant apud inventorem, quia sic melius possunt cognosci et conservari, quam si consumuntur in causis piis aut a pauperibus. — Praeterea non videtur esse multum curandum de praesumpta voluntate domini prioris, quia secus haec voluntas etiam attendi deberet in occupatione thesauri; quod tamen nemo dicet. Aliquod pondus affert sententiae rigi-

[1] S. theol. 2, 2, q. 66, a. 5 ad 2. [2] Theol. mor. l. 3, n. 603.

[3] Nervose simul ac verissime dicit *Dom. Soto* (De iure et iust. l. 5, q. 3, a. 3): «Iure naturae et gentium illa sunt inventoris, et nullum est ius aut evangelicum aut ecclesiasticum, quod illa tribuat aut pauperibus aut cuivis alteri. Ergo potest inventor sibi capere »

diori auctoritas sane maxima Catechismi Romani, qui videtur favere illi dicens[1]: «Sunt igitur fures etiam, qui furto sublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas aut ademptas retinent; ait enim S. Augustinus: ‚Si invenisti et non reddidisti, rapuisti.'[2] Quod si rerum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.» — Sed videtur non esse ita clarum, utrum ultima phrasis sit referenda ad res furto ablatas tantum, an ad omnes, sive furto ablatas, sive inventas, sive occupatas, sive ademptas. Hoc ultimum non videtur verosimile, nam saltem res legitime occupatas nemo tenetur pauperibus conferre. Ergo auctoritas Catechismi Romani aut nimis probat aut nihil probat pro sententia adversariorum. Proinde in praxi tuta est sententia permittens, ut inventor possit sibi retinere bona inventa, dummodo adhibuerit sufficientem diligentiam inveniendi legitimum dominum. Codices civiles non loquuntur de obligatione impendendi res inventas in usus pauperum, sed aliunde de illis disponunt. Ergo etiam ex codicibus civilibus nequit argumentum inveniri pro sententia rigidiore.

4. Etsi autem inventor potest sibi retinere rem inventam, postquam prudens spes reperiendi verum dominum cessavit, tamen sola inventio non est titulus proprietatis, sed oportet, ut accedat *titulus praescriptionis* iuxta leges uniuscuiusque regionis. Sunt plures auctores, e. g. Noldin[3], Lehmkuhl[4], qui docent, inventorem occupatione et non praescriptione dominium rei inventae acquirere. Sed in praxim haec doctrina non potest deduci. Sit exemplum: Petrus invenit in platea publica crumenam, in qua habetur summa 100 francorum; quaerit meliore quo potest modo proprietarium, sed in vanum. Tunc consumit 100 francos in itinere voluptuario. Post tres menses inopinate apparet verus dominus crumenae deperditae et Petrus cogitur a iudice reddere crumenam cum 100 francis. — Si Petrus vera occupatione crumenam et 100 francos acquisivit statim ut omnis prudens spes inveniendi dominum cessavit, non tenetur reddere rem inventam, et si nihilominus a iudice cogitur ad redditionem, potest se occulte compensare; quod tamen vix aliquis dicet in praesenti casu. Ergo inventio ipsa non est titulus sufficiens dominii, sed oportet, ut accedat titulus praescriptionis legalis, de qua infra n. 57 sqq.

§ 2.

Statuta iurium civilium modernorum.

Generatim notandum est, statuta iurium civilium esse observanda in conscientia, nisi principia iuris naturalis manifeste aliter determinent. Quaedam vero statuta videntur esse potius normae directivae quam praeceptivae.

---

[1] P. 3, c. 8, q. 7.

[2] Sermo 178, c. 8. Hoc dictum S. Augustini factum est quasi adagium in Germania: «Tust du einen Fund und machest ihn nicht kund — ein Räuber bist du zur Stund.»

[3] De praeceptis n. 393. [4] Theol. mor. I, n. 1090.

I. Ius Germanicum. 50

1. Qui rem amissam invenit et assumpsit, tenetur illam legitimo domino reddere; vel si dominus est ignotus et res excedit valorem 3 marcarum, debet inventionem annuntiare publicae politiae [1].

2. Inventor tenetur rem fideliter custodire, aut si haec custodia est impossibilis vel coniuncta cum magnis expensis (e. g. si quis invenit vaccam), debet illam in auctione vendere, praemonita tamen politia, et pretium rei venditae conservare aut politiae tradere [2].

3. Inventor exigere potest a domino, non tantum compensationem omnium expensarum, verum etiam legitimum praemium inventionis, scil. 5% usque ad valorem 300 marcarum et de re inventa, quae hunc valorem excedit, praeter 15 marcas adhuc 1%. Si quis ergo e. g. 500 marcas invenit, potest exigere 17 marcas tamquam pretium inventionis. Pretium inventionis est 1%, si agitur de animalibus inventis [3]. Si dominus recusat compensationem et legitimum pretium inventionis, inventor potest rem retinere [4].

4. Si dominus rei *intra annum* (computandum a die denuntiationis in politia publica) non apparuerit et rem reclamaverit, res inventa pertinet ad inventorem [5].

5. Si inventor annuntiandi obligationem praetermittat vel inventionem celet, ius ad pretium inventionis aut ad dominium rei amittit [6].

6. Si quis rem inveniat in tractatoriis *(Geschäftsräumen)* vel in vehiculis alicuius publici officii aut commercii, e. g. in via ferrea, in tramway, in theatris, in cauponis et diversoriis etc., tenetur rem tradere officialibus aut praeposito istius officii publici. Si intra tres annos dominus rei non apparuerit, res cedit vel fisco vel ipsi officio publico. Inventor autem nihil recipit [7]. Hoc statutum est quidem valde utile ad inveniendum legitimum dominum, sed aliquo modo durum pro ipso inventore. Num obliget in conscientia, non ita clarum est. Si traditio rei moraliter necessaria est, ut legitimus dominus *inveniri* possit, e. g. si quis invenerit vestem aut librum in via ferrea, tunc hoc statutum videtur obligare in conscientia, quia secus inventor non adhibet sufficientem diligentiam ad inveniendum legitimum rei dominum. Sin autem talis traditio non sit necessaria, quia inde ab initio moraliter constat legitimum dominum non posse inveniri, tunc hoc statutum non videtur obligare in conscientia. E. g. si quis invenit in via ferrea nummum pecuniae, potest illum ordinarie sibi retinere, quia fere impossibile est, legitimum proprietarium posse probare, hunc nummum sibi esse proprium.

II. Ius Gallicum. 51

1. Ius Gallicum distinguit inter «épaves maritimes», «épaves fluviales» et «épaves terrestres». Sub nomine autem «épaves» intelligitur omne bonum mobile amissum a suo proprietario. Bona derelicta ex naufragio possunt reclamari a proprietario infra spatium 3 vel 12 mensium. Si reclamatio infra hoc tempus facta non fuerit, ista bona pertinent totaliter ad inventorem, si illa ex *fundo* maris traxerit; tertia vero eorum pars, si in *superficie* maris; nihil autem, si in *litore* inventa fuerint. Hae ulteriores determinationes non videntur inducere gravem obligationem in conscientia.

2. Res inventae debent tradi auctoritati publicae [8]. Quod si dominus intra 3 annos eas non reclamaverit, redduntur inventori, qui tunc fit pro-

---

[1] Cod. civ. Germ. § 965. [2] § 966 et 967. [3] § 971 et 972.
[4] § 974. [5] § 973. [6] § 971. [7] § 978—983.
[8] «Au greffe du tribunal» selon la circulaire du 5 août 1825.

prietarius. Haec ordinatio valde quidem bona est, sed non videtur habere obligationem gravem neque in foro civili neque in foro conscientiae. Ergo sufficit, si inventor alio modo diligenter inquirit de proprietario rei amissae. Qui si non apparuerit infra tres annos, res pertinet ad inventorem titulo praescriptionis vi adagii: «En fait de meubles, la possession vaut titre.»[1]

3. Res per oblivionem relictae in cauponis et diversoriis publicis *(chez les hôteliers)* non pertinent ad dominum cauponae aut diversorii, sed debent vendi per auctoritatem publicam[2]. Pretium autem obtentum, detractis expensis cauponae, deponitur «à la Caisse des dépôts et consignations» in beneficium proprietarii. Etiam hoc statutum, utpote non ita consonum legi naturae, non videtur obligare in conscientia.

52 III. **Ius Helveticum.**

1. Si quis invenit rem, debet aut ipse diligenter inquirere de legitimo domino aut rem inventam tradere politiae publicae. Tenetur autem tradere politiae publicae rem inventam, si excedat valorem 10 francorum. Si vero invenit rem in domo inhabitata aut in aliquo tractatorio publico *(Verkehrsanstalt)*, e. g. in caupona, in theatro, in via ferrea etc., tenetur rem tradere domino (locatori) domus aut praeposito publici tractatorii[3], qui tunc, fictione iuris, censetur esse inventor, neque potest exigere praemium inventionis.

2. Res inventa debet fideliter custodiri; potest autem, praehabita auctoritate publica, in auctione vendi, si servari nequit, vel si custodia nimias expensas causat. Tunc autem *pretium* rei inventae servari debet[4].

3. Inventor, qui adimplevit praecepta his legibus statuta, acquirit rem inventam, si per *5 annos* legitimus dominus non apparuerit; sin autem rem reddiderit legitimo domino, habet ius ad praemium conveniens inventionis[5].

53 IV. **Ius Austriacum.**

1. Inventor tenetur notam facere rem inventam modo consueto, si valor rei excedit 1 florinum; sin autem valor excedit 12 florinos, debet rem denuntiare superiori locali[6]. Quod si inventor haec statuta neglexerit, amittit ius ad praemium et insuper graviter puniendus est[7].

2. Inventor habet ius ad praemium inventionis et quidem 10%. Quod si praemium sic solvendum attigerit summam 1000 florinorum, postea non conceduntur nisi 5%. Hoc praemium inventionis videtur esse excessivum[8]. Nihilominus solvendum est saltem post sententiam iudicis.

3. Si infra annum dominus rei non apparuerit, inventor fit ususfructuarius illius, et post tres annos proprietarius vi praescriptionis legitimae[9].

54 V. **Ius Anglicum et Americanum.**

Quae lex civilis Angliae praescribit de thesauris inventis, de bonis naufragio perditis, de bonis vacantibus, non obligant in conscientia ante sententiam iudicis[10]. Circa res amissas non videntur exsistere speciales leges civiles obligantes in conscientia. Unde in Anglia (et America Septentrionali) confessarius attendere debet sola principia iuris naturalis. Dubitare tamen quis posset, num obliget in conscientia lex, quae statuit, ut inventor post

---

[1] Cod. civ. Gall. a. 2279. [2] Loi du 31 mars 1896.
[3] Cod. civ. Helv. a. 720. [4] Art. 721. [5] Art. 722.
[6] Cod. civ. Austr. § 389. [7] § 393. [8] § 391.
[9] § 392 et 1466.
[10] Ita *Slater*, Princ. Theol. mor., de iust. c. 4, a. 1.

frustra adhibitam diligentiam inveniendi dominum, rei inventae dominium acquirat quidem, sed cum obligatione, ut si dominus *post quodlibet tempus* appareat, ei restitutio fiat. Ergo lex Angliae non admittit praescriptionem contra dominum rei amissae.

VI. **Ius Italicum et Hispanicum.** 55

1. Codices civiles Italiae et Hispaniae fere eadem statuunt de inventione rei perditae.

2. Si quis invenit rem, cuius dominum ignorat, debet illam tradere syndico *(sindaco, alcalde)* loci, ubi inventa est. Is notitiam rei inventae evulgabit duabus dominicis proxime sequentibus.

3. Duobus annis elapsis post has evulgationes res inventa (vel eius pretium) traditur inventori, nisi proprietarius comparuerit.

4. Praemium inventionis est $^1/_{10}$ (et si valor rei excedit summam 2000 francorum est $^1/_{20}$) valoris rei[1].

ARTICULUS III.

De accessione[2].

Pauca tantum dicenda sunt de modo acquirendi dominium per ac- 56
cessionem, quia tota haec res determinata est diversis codicibus civilibus, quos oportet casu occurente consulere. Unicum fere principium iuris naturalis, quod etiam a iure moderno admittitur est Regula iuris 28 in VI°: «Accessorium sequi congruit naturam principalis.» Huc accedit adagium: «Res fructificat domino.» Solent autem distingui quattuor genera fructuum, scil. 1. fructus *naturales,* qui sine ullo *fere* labore hominis sponte nascuntur, e. g. foenum, arbores in silvis etc.; 2. fructus *industriales,* qui speciali industria humana ex rebus naturalibus producuntur, e. g. vinum ex vineis, sera ex vermibus serificis; 3. fructus *civiles,* qui oriuntur ex contractibus initis, e. g. pretium locationis, usura, annui reditus etc.; 4. *foetus animalium,* qui nascuntur ab animalibus. In nostris regionibus fere nulli fructus producuntur sine industria humana, unde aliquatenus omnes fructus sunt industriales. Sin tamen industria humana adhibita est parvi momenti, tunc pensari non debet iuxta illud: «Parum pro nihilo putatur.»

Quamquam accessio non sit idem ac commixtio, specificatio et adiunctio, tamen hic, brevitatis causa, de omnibus agimus insimul.

Definitio. *Accessio est legitimus modus acquirendi dominium alicuius rei mobilis aut immobilis, accedentis ad rem iam legitime possessam.* Fit autem accessio multis modis, scil.:

a) *Nativitate* seu origine, quando scil. ex re possessa nascitur alia, e. g. pullus ex equo, herba ex agro. Regula generalis est: «Partus sequitur ventrem», seu quidquid nascitur, ad parientis aut producentis

---

[1] Pro iure Ital. vide Cod. civ. a. 715—718; cf. *Piscetta,* Theol. mor. III, n. 124. Pro iure autem Hispan. vide Cod. civ. a. 615 sq; cf. *Saralegui,* Comm. al P. Larraga n. 708.

[2] In lingua Germanica dicitur: *Zuwachs, Verbindung, Vermischung, Verarbeitung.*

dominium pertinet. Hinc qui emit vaccam, quae ex errore non putabatur gravida, sed postea vitulum peperit, acquisivit etiam istum vitulum.

b) *Alluvione*, quando vi aquarum paulatim (non autem repentino) alicui praedio incrementum accedit. Servanda sunt in hoc casu statuta iurium modernorum [1].

c) *Adiunctione*, quando duae res ad diversos dominos pertinentes ita uniuntur, ut vel nullatenus, vel non nisi cum magno detrimento possint separari. In isto casu solent iura determinare, ut duae res sic unitae pertineant ad illum dominum, cui antea *principalior* res propria fuit, iuxta principium supra allatum: accessorium sequitur principale. Tenetur tamen iste tunc alterum dominum indemnem facere. Utra autem res principalior sit, haud facile est subinde definire. Leges igitur positivae sunt attendendae. Exemplum adiunctionis est: imago picta in aliena tela.

d) *Specificatione*, quando quis ex aliena materia construit aliquid novum, e. g. ex ligno alieno statuam. Iterum in praxi attendendae sunt leges positivae.

e) *Commixtione* seu *confusione*, quando ex duabus rebus aeque principalibus mixtis, pertinentibus ad diversos dominos oritur aliquid unum, e. g. duo acervi frumenti, vel duo examina apum in unum convolantia.

f) *Aedificatione* et *plantatione*, si dominus fundi et dominus rei plantatae vel aedificatae diversi sunt. Generatim dominium fundi secum trahit, quidquid est supra vel infra illum positum. Domus igitur est illius, cuius est fundus, praestita debita compensatione. Idem fere dicendum est de plantatione et satione iuxta antiquos versos:

Quidquid plantatur, seritur, vel inaedificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Casu occurrente, melius est rem ex aequo et bono componere. Quodsi hoc impossibile est, confessarius iam nequit aliud facere, sed iudici civili omnia relinquere debet.

ARTICULUS IV.

De praescriptione.

Agemus 1. de notione, divisione et valore praescriptionis; 2. de conditionibus requisitis ad legitimam praescriptionem; 3. de statutis nonnullorum iurium modernorum.

§ 1.

De notione, divisione et valore praescriptionis.

57 **Definitio.** Praescriptio definitur: *adeptio dominii per continuatam possessionem certo tempore a lege definito* [2].

[1] Cf. Ius Germanicum: *Einführungsgesetz* art. 65; Ius Gallicum art. 556 sq.
[2] Cf. l. 3, Dig. 41, tit. 3.

Praescriptio igitur non tantum est pura exceptio contra actionem ab altero intentam, seu clarius: praescriptio non tantum efficit, ut alius non possit me ex possessione alicuius rei aut iuris detrudere per sententiam iudicis, verum etiam dominium legitime concedit *in foro conscientiae*, ut infra n. 58 dicetur. Lex autem, quae titulos legitimae praescriptionis et praesertim modum et durationem possessionis requisitae determinat, est lex positiva sive ecclesiastica sive civilis. Licet enim praescriptio sit maxime conformis legi naturali, et proinde a quibusdam auctoribus dicatur introducta iure gentium (quod est quasi conclusio iuris naturae), tamen lex naturalis non determinat singulas conditiones necessarias ad legitimam praescriptionem, sed hoc relictum est determinationi iuris positivi civilis aut ecclesiastici.

Divisio. Praescriptio duplex solet distingui: altera acquisitiva, altera liberativa. Praescriptio *acquisitiva*, quae a iuristis auctoribus *usucapio*[1] solet vocari, est modus *acquirendi novum ius*, e. g. ius transeundi per alium agrum. Vocatur autem pulchre usucapio, quia per usum aliquid capitur ut suum. Praescriptio autem *liberativa*[2] est modus se vel suam rem *liberandi* ab aliquo onere, e. g. ab onere solvendi debitum. — Ab aliquibus auctoribus praesertim antiquis verbum «usucapio» etiam aliis sensibus sumitur[3]. Ita e. g. Schmalzgrueber[4] scribit: «Ex hoc discrimine, quod usucapio proprie tantum res corporales, praescriptio autem res quoque incorporales afficiat, nascitur discrimen alterum, quod usucapio sine possessione (ut etymon vocis ipsummet indicat) non procedat: ita autem non raro praescriptio, si nempe tendat ad res incorporales, quarum non datur vera possessio, sed quasi-possessio.» — Nos semper sumimus praescriptionem et usucapionem in sensu iuristico supra explicato. Generatim hic notare iuvat esse sat magnam confusionem in assumptione verborum hac in materia, apud diversos auctores; unde sapienter iam monuit Waffelaert[5]: «In legendis auctoribus sedulo attendendum esse modum loquendi: non enim una ratione terminos definiunt.»

Quidam auctores adhuc afferunt duas alias distinctiones. Dividunt praescriptionem 1. in *memorialem*, cuius initium adhuc in memoria hominum exsistit, et *immemorialem*, cuius initium praetergreditur memoriam hominum hodie viventium; 2. in *ordinariam*, quae spatio 3 vel 10 vel ad summum 20 annorum perficitur, et *extraordinariam*, quae annos 30 vel plures requirit. — Utraque haec divisio parvae utilitatis est neque solet agnosci a modernis codicibus civilibus.

Praescriptionis valor. Praescriptionem omnibus conditionibus 58
vestitam esse legitimum modum acquirendi dominium tum in foro publico tum in foro conscientiae, nunc ab omnibus theologis admittitur. Hoc enim evidenter requirit bonum commune. Nam:

a) Secus possessiones saepe manerent incertae et perennibus litibus expositae. Non raro enim accidit, ut homo nequeat aliter probare

---

[1] *Ersitzung*. [2] *Verjährung*. [3] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 4, a. 3, § 1.
[4] Ius can. l. 2, tit. 26, n. 1. [5] De iust. I, n. 228.

proprietatem alicuius rei nisi longinqua et pacifica possessione exercita. E. g. agricola ab immemorabili tempore vaccas duxit per viam aliquam privatam. Non potest autem probare, se habere ad hoc strictum ius. Nisi adesset remedium praescriptionis, subito posset impediri in suo modo agendi. Praeterea, si agitur de possessionibus valde antiquis et dubiis, essent lites sine fine, si ex aliis titulis deberet probari, quis esset legitimus proprietarius.

b) Secus nonnulli proprietarii essent nimis segnes in vindicandis iuribus propriis. Nunc autem, cum sciant, iura propria posse amitti praescriptione, sedulius illa tuentur.

c) His argumentis desumptis ex iure civili Romano[1] accedit auctoritas iuris ecclesiastici, in quo invenitur specialis titulus de praescriptionibus, et in quo manifeste agnoscitur valor praescriptionis legitimae in utroque foro: «Sanctorum Patrum sanctiones (et humanae leges) irrefragabiliter statuentes confirmaverunt, et nos (in praesenti Concilio cum omnibus qui sunt nobiscum) irrefragabiliter confirmamus, ut omnes possessiones ad singulas provincias nostrorum fratrum pertinentes, a quibus per triginta annos possessae sunt, quiete et sincere, absque synodali proclamatione perpetuo teneantur (nullaque vox audiendi alicui adversario concedatur).»[2]

§ 2.

De conditionibus requisitis ad legitimam praescriptionem.

Communiter enumerantur quinque conditiones his versibus expressae:

Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque,
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

59 1. **Res apta** seu praescriptibilis ea est, quae cadere potest sub dominium privatum. Ergo omnes illae res, quae dispositione legis in (privati hominis) dominium cadere nequeunt, sunt impraescriptibiles. Non autem sola lex civilis, verum etiam lex ecclesiastica et naturalis quasdam res tamquam impraescriptibiles habet. Haud raro autem hac in re est conflictus inter legem ecclesiasticam et legem civilem. Sic e. g. lex ecclesiastica praescriptionem laicalem non admittit in rebus *sacris*, quod tamen lex civilis permittit. In casu conflictus certe per se praevalet lex ecclesiastica; attamen in praxi fere semper praestat facere *compositionem* ex aequo et bono cum auctoritate legitimi superioris ecclesiastici.

A praescriptione eximuntur in particulari:

a) Omnia iura et obligationes *legis naturalis et divinae*. Hinc e. g. non datur praescriptio contra obligationem suscipiendi sacramenta, honorandi parentes, non dissolvendi matrimonium etc.

b) *Res sacrae*, i. e. ad cultum divinum consecratae et nondum exsecratae et profanatae, e. g. calices, vasa sacra, ecclesiae consecratae etc. Dico autem,

---

[1] L. 1, D. 41, tit. 3; l. 2, Cod. VII. 40. [2] c. 3. X 2, 26.

«nondum exsecratae aut profanatae»; nam in quibusdam casibus a iure canonico determinatis[1] res consecratae exsecrari aut profanari possunt, et tunc sunt iterum sicut ceterae res laicae. Notandum est insuper, res sacras pertinentes ad *Ecclesiam* non posse praescriptione acquiri *a laicis*; nihil autem impedit α) ne res sacra pertinens ad laicum praescribatur, e. g. laicus habens privilegium oratorii privati possidet plures calices consecratos; isti calices videntur acquiri posse titulo praescriptionis, sicuti ceterae res laicae mobiles; β) ne una ecclesia vel persona iuridica ecclesiastica praescribat rem sacram contra aliam ecclesiam aut personam ecclesiaticam. Sic e. g. oratorium alicuius ecclesiae iam ab immemoriali tempore exsistens in usu alicuius confraternitatis, titulo praescriptionis potest acquiri ab ista confraternitate. Sunt tamen plures res ecclesiasticae, quae numquam praescribi possunt etiam inter diversas ecclesias, e. g. limites parochiae aut dioecesis, beneficia ecclesiastica, et praesertim onera Missarum, etiam longissima consuetudine non persoluta.

c) *Res publicis usibus deputatae*, ut viae publicae, plateae, pontes etc. non possunt praescribi a *privatis* hominibus; possunt tamen praescribi ab una communitate contra aliam. Ratio utriusque est, quia istae res publicae non cadunt sub dominio hominis privati, sed communitatis.

d) *Res a iure civili vel ecclesiastico declaratae impraescriptibiles*, e. g. bona pupillorum, bona illorum, qui limitati sunt in negotiorum gestione[2].

2. **Possessio**, i. e. actualis detentio rei vel exercitium iuris. Unde 60
Regula iuris 3 in VI° statuit: «Sine possessione praescriptio non procedit.» Possessio debitis qualitatibus ornata est principalis ratio et fundamentum praescriptionis, quippe in qua totum ius oriatur ex possessione. Qualitates autem requisitae sunt sequentes: Praescribens debet rem possidere:

a) Titulo *proprietarii*, non autem animo depositarii, ususfructuarii, locatoris etc. Agitur enim de proprietate acquirenda. Porro omnes, qui rem aliquam possident nomine alieno, nequeunt habere legitimam intentionem illam sibi acquirendi simplici detentione. Non autem requiritur, ut homo per *semetipsum* rem detineat, potest enim etiam illam occupare per famulum, procuratorem etc., quia moralis et non physica detentio necessaria est.

b) *Continuo, publice, pacifice* et *certo*. Possessio debet esse *continua*; quandoque enim illa «non procedit» vel «non currit», quia aut «dormit» aut «interrupta est». Attendenda sunt statuta singulorum codicum civilium[3]. — Possessio debet esse *publica* in hoc sensu, quod ille, contra quem praescriptio procedit, eam facile scire possit; quare e. g. si quis clam fructus alicuius rei per longum tempus sibi usurpat, inde nondum praescribit contra proprietarium. Ratio est, quia clandestina possessio censetur esse facta sine bona fide, quae tamen necessaria est ad omnem legitimam praescriptionem, ut infra dicitur. — Possessio debet esse *pacifica*. Hinc qui vi aliquam rem occupavit vel contra quem lis in iudicio movetur, non potest praescribere. — Possessio debet

---

[1] Cf. nostrum Man. iur. eccl. I, q. 136—159.
[2] Cf. Cod. civ. Germ. § 206 207 937 939.
[3] Cf. Cod. civ. Germ. § 939 sqq; Cod. civ. Gall. a. 2228 sqq; Cod. civ. Helv. a. 728.

esse demum *certa* et non aequivoca aut dubia. Patet, quia etiam in isto casu vix bona fides praescribentis adesse potest. Sufficit autem certitudo moralis.

61 3. **Titulus** est causa, propter quam aliquis rem possidet, seu est ratio, propter quam possessor putat rem esse suam. Sic e. g. filius possidet bona propter hereditatem seu donationem paternam. Hereditas igitur seu donatio sunt in hoc casu tituli possessionis. Solent distingui quinque tituli: titulus verus, titulus coloratus, titulus existimatus, titulus praesumptus, titulus vitiosus. Titulus *verus* ille est, qui reapse in utroque foro dominium statim transfert, e. g. emptio, donatio. Titulus *coloratus* dicitur actio illa, quae visa est legitime ponere possessorem rei in verum proprietarium, quae tamen propter *occultum defectum* alicuius essentialis conditionis reapse proprietatem non transtulit; e. g. emptio bona fide facta alicuius rei furto ablatae. Titulus *existimatus* (vocatur etiam putativus) non eodem modo ab omnibus explicatur. Melius videtur ille tunc adesse, quando quis sincere putat se habere ius vel dominium, revera autem non habet *propter alienam culpam;* e. g. filius putat, rem a patre acceptam ex hereditate esse suam, cum reapse pater illam rem non possederit legitime. Titulus *praesumptus* est factum aliquod, quod praesumitur adfuisse et dominium effecisse, quod tamen propter *longitudinem temporis* probari non potest. Titulus demum *vitiosus* ille est, qui ex ipsa natura nequit proprietatem transferre, sed tantum concedit usum vel usumfructum. Vocatur aliquando etiam titulus *precarius,* quia tantum precario, i. e. transitorio modo dominium utile alicuius rei tribuit. Unde e. g. conductor, commodatarius, depositarius, curator numquam possunt praescribere rem sibi commissam. Eorum enim titulus possessionis est tantum precarius et vitiosus.

Nota iterum, auctores non eodem modo istos diversos titulos explicare; unde confusio vitanda est et potius attendere oportet sensum verborum quam ipsa verba. Quibus explicatis, iuxta *ius naturale* sequens principium prae oculis habendum est: Ad legitimam praescriptionem non requiritur titulus verus (quippe qui per se solum sine praescriptione dominium transfert; praescriptio igitur in hoc casu superflua est); non sufficit titulus vitiosus aut precarius (quia excludit bonam fidem, de qua infra); *sufficit autem titulus aut coloratus aut existimatus aut praesumptus.* Iura civilia moderna aliter de titulo loquuntur, ut infra patebit.

62 4. **Bona fides** est iudicium, quo quis prudenter existimat rem, quam possidet, esse suam. Sane istud iudicium est obiective erroneum, sed oritur ex ignorantia invincibili et proinde inculpabili. Mala fides adest, quando possessor scit rem possessam esse alterius. Dubia autem fides adest, quando possessor habet dubium positivum et fundatum de legitimitate suae possessionis. — Bona fides omnino necessaria est ad omnem praescriptionem (sive acquisitivam sive liberativam) inchoandam et continuandam. Ita manifeste eruitur ex Regula iuris 2: «Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit», et ex Concilio Lateranensi IV:

«Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, *in nulla temporis parte* rei habeat conscientiam alienae.» [1] — Ex hoc textu habetur, ut bona fides adesse debeat *toto tempore* praescriptionis. Unde qui bona fide praescriptionem inchoavit, postea autem fit malae fidei, iam non potest praescribere. Qui autem primo fuit in bona fide, postea autem serio dubitat, num rem legitime possideat, debet dubium solvere. Quod si hoc culpabiliter neglexerit, praescriptio iam non est legitima. Quod si autem, adhibita sufficienti diligentia, dubium solvere non potuerit, vel si dubium non fuerit ita grave, tunc illud spernendum est et valet adagium: «In dubio melior est conditio possidentis.»

In praescriptione *acquisitiva* bona fides solet exigi etiam a iuribus civilibus modernis; in praescriptione vero *liberativa* videtur sufficere *bona fides negativa* seu absentia fraudis; i. e., praescriptio valet, si debitor nihil illicitum egit, ne creditor suum ius vindicare possit. E. g. aliquis emit ab alio merces pretio 100 marcarum. Venditor non tantum non urget solutionem pretii, sed nec mittit id, quod vulgo vocatur «nota solvenda». Emptor in conscientia non tenetur monere venditorem, ut mittat istam notam. Unde saltem intra 10 annos praescribit contra ipsum, et iam non tenetur solvere summam 100 marcarum, licet bene sciat et semper sciverit, debitum nondum fuisse solutum. Ratio autem est, quia debitor habuit bonam fidem *negativam*, i. e. nihil illicite egit, ut creditor suum ius vindicaret; leges autem civiles recte statuunt, ut post tantum intervallum et tantam negligentiam creditoris, iam omne debitum solvendi sit exstinctum [2].

5. **Tempus** ad praescribendum requisitum diversimode a legibus 63
ecclesiasticis et civilibus determinatur. Antiqui auctores solebant distinguere in praescriptione:

a) tempus *brevissimum*, quod est infra biennium aut triennium;
b) tempus *breve*, quod est infra decennium;
c) tempus *longum*, quod decem annos excedit;
d) tempus *longissimum*, quod excedit triginta annos;
e) tempus *immemoriale*, cuius initii memoria non exsistit, e. g. tempus 100 annorum.

Ad dignoscendum, quantum tempus requiratur in praescriptione, solet adhuc distingui praescriptio *inter praesentes* et praescriptio *inter absentes*. Praesentes censentur hac in lege illi, qui aut in eodem territorio habitant, aut qui sub eodem gubernatore vel iudice exsistunt. Absentes vero dicuntur, in quibus istae conditiones non verificantur. —

---

[1] c. 20, X 2, 26.

[2] Cf. tamen infra n. 64 sqq, ubi de legibus civilibus sermo erit; cf. etiam *Génicot*, Theol. mor. n. 493; *Noldin*, De praeceptis n. 407.

Lex ecclesiastica magnopere discrepat a legibus modernis civilibus in determinando tempore requisito ad praescriptionem. Licet iura civilia non multum curare soleant de ordinationibus iuris canonici, tamen absque omni dubio *in conscientia* leges ecclesiasticae observandae sunt, saltem si agitur de praescriptione bonorum ecclesiasticorum. Unde e. g. bona alicuius parochiae aut monasterii non possunt acquiri titulo praescriptionis, nisi statuta legis ecclesiasticae observata fuerint. Aliter autem dicendum videtur, si agitur de *bonis laicalibus,* quae aliqua ecclesia vel persona iuridica ecclesiastica acquirebat titulo praescriptionis. In hoc casu potius leges civiles quam leges ecclesiasticae essent observandae. Ratio autem est, 1. quia bona laicalia principalius reguntur legibus civilibus quam legibus ecclesiasticis; 2. quia etiam personae ecclesiasticae tenentur observare iustas leges civiles de contractibus, de emptione, de venditione etc.

Haec sunt notanda statuta iuris ecclesiastici:

1. *Sine titulo,* i. e. cum titulo tantum praesumpto, nulla res ecclesiastica praescribitur, nisi ad minus sint elapsi 30 anni. Aliquando multo longius requiritur tempus, ut infra dicetur.

2. *Cum titulo colorato* vel existimato praescribuntur:

a) res mobiles non pretiosae post 3 annos;

b) res mobiles pretiosae[1] et res immobiles hominum privatorum post 10 annos, «inter praesentes in eadem provincia» et post 20 annos «inter absentes»;

c) res immobiles ecclesiasticae et res mobiles pretiosae ad personas uridicas ecclesiasticas *inferiores* pertinentes post 40 annos;

d) res immobiles Ecclesiae Romanae non praescribuntur nisi post 100 annos. «Patrimonium Petri» numquam praescribi potest, quia deest bona fides in occupantibus;

e) bona Benedictinorum (per communicationem privilegiorum etiam bona Ordinum Mendicantium) post 60 annos[2]. Immo Noldin docet: «Contra monasteria Cisterciensium et Mendicantium non praescribitur nisi 100 annis.»[3]

3. In praxi, quando agitur de praescriptione bonorum ecclesiasticorum, melius et tutius est rem ex aequo et bono componere, praehabita auctoritate legitima apostolica.

§ 3.

Statuta de praescriptione iuxta quaedam iura moderna.

64 **I. Ius Germanicum.**

1. Ius Germanicum apprime distinguit inter usucapionem *(Ersitzung)*, quae est praescriptio acquisitiva, et praescriptionem liberativam *(Verjährung)*.

---

[1] Res pretiosae ecclesiasticae non tantum sunt illae, quae habent valorem metallicum notabilem, scil. 500 marcarum, verum etiam illae, quae habent valorem notabilem artificiosum vel scientificum, e. g. calix valde artificiosus, manuscriptum rarum etc. (cf. *Hollweck*, Die kirchl. Strafgesetze § 158, nota 6).

[2] Cf. nostrum Man. iur. eccl. I, q. 136—159. [3] De praeceptis n. 396.

2. Bona *immobilia* non possunt acquiri neque usucapione neque praescriptione.

3. Bona mobilia possunt acquiri per usucapionem decennalem, bona fide factam [1].

4. Tempus ordinarium praescriptionis est 30 annorum [2]; attamen pleraque debita mercaturae, locationis, salariorum praescribuntur biennio [3]. «In 2 Jahren verjähren die Ansprüche der Kaufleute, Fabrikanten, Handwerker und derjenigen, welche ein Kunstgewerbe betreiben, für Lieferung von Waren, Ausführung von Arbeiten und Besorgung fremder Geschäfte.... In 4 Jahren verjähren die Ansprüche auf Rückstände von Zinsen....»

Non concordant theologi, num istae praescriptiones biennales valeant in conscientia. Negant Aertnys [4], Göpfert [5], Marc [6], sed melius cum Lehmkuhl [7] et Noldin [8] affirmatur. Sic recte scribit Noldin: «Imprimis itaque inquirendum est, utrum lex positiva vere debitum exstinguere, an solum actionem in iudicio negare intendat. Quodsi certo vel saltem probabiliter ostendi possit, intentionem legislatoris fuisse debitum elapso illo tempore prorsus exstinguendi, debitor supposita bona fide ab obligatione solvendi considerari potest immunis.... Sunt tamen, qui putant, etiam ad praescriptionem liberativam activam sufficere bonam fidem negativam, quae in absentia fraudis consistit, quamvis habeatur certa persuasio debiti nondum soluti; eum ergo, qui censum vel pretium locationis per tempus ad praescriptionem aptum non solvit, tuta conscientia solutionem negare posse, praesertim si solutio ex incuria creditoris facta non sit. Cum enim tota vis praescriptionis a lege civili dependeat, ubi lex civilis fidem positivam non exigit, etiam in conscientia ei stare licet. Neque lex potest dici iniusta, quae eo tendit, ut creditores reddantur magis diligentes atque sollertes.» — Codex civilis Germaniae (sicuti generatim omnes codices civiles moderni) non multum curat de obligatione in conscientia, sed generatim suas normas imponit. Negari non potest, has praescriptiones biennales aliquando valde bonas esse. Inde enim vitantur multae ambiguitates; debita contracta citius solvuntur, et mercatura potius fovetur quam impeditur. Insuper bona fides negativa non ita raro adesse potest. Quam saepe accidit, ut quis putat, se iam solvisse pretium pro merce prius recepta, et tamen revera non solvit! Ergo accedente bona fide negativa praescriptiones biennales contentae in § 196 forte adhiberi possunt in praxi [9].

II. **Ius Gallicum.** 65

1. Pro legitima *usucapione* requiruntur a) possessio continua, pacifica, publica, non aequivoca et vere proprietaria («Pour pouvoir prescrire, il faut une possession continue et non interrompue, paisible, publique, non équivoque, et à titre de propriétaire» [10]); b) tempus lege definitum, scil. α) ad acquirenda bona *immobilia* 10 anni, si proprietarius habitat in eodem districtu (dans le ressort de la cour impériale dans l'étendue de laquelle l'immeuble est situé), et 20 anni, si proprietarius non habitat in eodem districtu [11]. In

---

[1] Cod. civ. Germ. § 937. [2] § 195. [3] § 196.

[4] Theol. mor. III, n. 278. [5] Moraltheol. II, n. 80.

[6] Inst. mor. I, 901. [7] Das Bürgerl. Gesetzbuch 60 sq.

[8] De praeceptis n. 407.

[9] Fere eadem optime docet et defendit argumentis ex *Lugone* (De iust. et iure disp. 7, n. 48) desumptis *Alois Piscetta* (Theol. mor. III, Augustae Taurin. 1907, n. 153 sqq).

[10] Cod. civ. Gall. a. 2229. [11] Art. 2265.

istis casibus autem requiritur titulus legitimus et bona fides, quibus deficientibus requiruntur 30 anni[1]. β) Ad acquirenda bona *mobilia* nullum tempus requiritur, sed valet illud famosum principium: «En fait de meubles la possession vaut titre.»[2] Hoc principium tamen saepe falso intelligitur. Sensus illius est: Ille, qui possidet bonum mobile, censetur illud iusto titulo possidere, donec contrarium probetur. Quodsi contrarium probatum sit, possessor tenetur rem tradere, et quidem si fuerint res perditae aut furto ablatae, adhuc post 3 annos. Sin autem huiusmodi res emerit bona fide in foro publico aut a mercatore publice huiusmodi res vendente, habet ius reclamandi a proprietario pretium datum pro istis rebus[3].

2. Pro legitima praescriptione *liberativa* a) semper sufficit tempus 30 annorum, quin aut titulus exigi aut mala fides opponi possit[4]; b) tempore 5 annorum praescribuntur omnes praestationes annuae vel periodicae («tout ce qui est payable par année ou à des termes périodiques plus courts»[5]); c) tempore sex mensium, unius anni et duorum annorum plura alia debita minora, de quibus recte scribit Picot[6]: «On ne doit point considérer comme de véritables manières *d'éteindre* les obligations, mais seulement comme des présomptions de payement; c'est pourquoi (sauf une exception art. 2277) le serment peut être déféré à celui qui les invoque. Ces présomptions de payement de dettes, que dans l'usage on appelle ‚dettes criardes' sont introduites dans l'intérêt des débiteurs et surtout de leurs héritiers; elles sont fondées sur le besoin ordinaire des créanciers de pareilles obligations, sur l'habitude des débiteurs de payer promptement ces milles petites dettes journalières sans témoins et sans quittances.»

66 III. **Ius Helveticum.**

1. Ius Helveticum hac de re invenitur partim in codice civili, partim in codice obligationum commercialium.

2. Pro legitima *usucapione* ius Helveticum haec statuit:

a) Bona immobilia usucapiuntur post 30 annos, continuos et in pacifica possessione rei elapsos[7]; post decem autem annos, si bonum immobile redactum est in libro fundorum *(Grundbuch)* et pacifice, continue et in bona fide possessum est[8].

b) Bona mobilia usucapiuntur post 5 annos continuos et in pacifica possessione rei elapsos; si tamen bona fides adfuit.

3. Pro legitima *praescriptione* liberativa haec statuuntur:

a) Debita, pro quibus hypotheca data est, numquam praescribuntur[9].

b) Generaliter praescriptio locum habet post *10 annos*[10].

c) Post 5 annos autem praescripta sunt quamplurima debita, e. g. pretium locationis, foenus, salaria medicorum, opificum, servitorum etc.[11]

d) Post unum annum aut sex menses actiones pro indemnificatione obtinenda praescribuntur[12].

Praeter istas praescriptiones habentur adhuc aliae, e. g. unius mensis, trium mensium, trium annorum etc., quae praecipue locum habent in mensis nummulariis (vulgo *Bank*)[13].

---

[1] Art. 2262. [2] Art. 2279. [3] Art. 2279 2280.
[4] Art. 2262 617 706. [5] Art. 2277. [6] Code Napoléon expliqué.
[7] Cod. civ. Helv. a. 662. [8] Art. 661. [9] Art. 807.
[10] Code fédéral des obligations a. 146. [11] Ib. a. 147 585.
[12] Ib. a. 69 331 362 464 693, et Cod. civ. a. 95. [13] Cf. Cod. civ. a. 803—807.

In foro conscientiae videntur valere usucapiones et praescriptiones post elapsum tempus *ad minus 5 annorum;* semper praesupposita bona fide (positiva aut saltem negativa) praescribentis vel usucapientis. Aliae praescriptiones non videntur valere in conscientia.

IV. **Ius Italicum et Hispanicum.**

1. Codices civiles Italiae et Hispaniae valde late tractant materiam de 67
praescriptione, ita ut impossibile sit paucis verbis complecti totam materiam. Adeundi sunt igitur auctores, qui ex professo de hac re tractant.

2. Omnes res, quae sunt in commercio, sunt praescriptibiles [1]. Nihilominus sunt multae personae, contra quas praescriptio non potest obtinere [2].

3. Bona fides non requiritur a) ad praescriptionem tricennalem [3], b) ad omnes praescriptiones liberativas [4].

4. Auctores non concordant, utrum statuta legum Italicarum et Hispanicarum circa illam praescriptionem, quae non requirit bonam fidem, valeant in conscientia. Affirmativam sententiam pro lege Italica defendit Alois Piscetta [5], negativam sententiam pro lege Hispanica defendit Saralegui [6].

V. **Ius Anglicum et ius Americae Septentrionalis.** 68

1. Ius Americanum in diversis Statibus Foederatis non est uniforme; generatim tamen satis conforme est cum iure Anglico.

2. Praescriptio apprime distinguenda est a sic dicta «limitatione actionis» *(limitation of actions)*, quae nihil aliud est nisi statutum legis non admittens actiones iudiciales post determinatum tempus elapsum. De ista limitatione actionis non est multum curandum in confessionali, cum non valeat transferre in conscientia dominium rei [7].

3. Praescriptio numquam locum habet *in rebus mobilibus et in fundis* [8]. «A title by prescription can be made only to incorporal hereditaments and to certain exemptions and privileges. The rights claimable by prescription for the most part consist of *rights in alieno solo.* The most important are advowsons, tithes, commons, ways, watercourses, lights, offices, dignities, franchises, pensions, annuities and rents. Land or movables cannot be claimed by prescription.» [9] In hoc statuto ius Anglicum et Americanum differunt ab omnibus aliis iuribus Europianis (in quantum scire licet).

4. Ad praescriptionem requiritur, ut iura causantia praescriptionem exerceantur a) tamquam vera iura, non autem tamquam usurpationes aut simplices licentiae («as of right»); b) pacifice et continuo; c) publice, i. e. cum notitia proprietarii. Unde praescriptio non adest, si ius exercebatur vi, clam aut precario modo.

5. Tempus requisitum pro praescriptione *liberativa* regulariter sunt 20 anni, pro praescriptione autem *acquisitiva* («rights of common and all other profits or benefits to be taken and enjoyed from or upon any land») regulariter sunt

---

[1] Cod. civ. Ital. a. 2113; Cod. civ. Hisp. a. 1936. [2] Cod. Ital. a. 2119 sqq.
[3] Cod. Ital. a. 2135. [4] Cod. Hisp. a. 1961.
[5] Theol. mor. III, n. 143 sqq.
[6] Com. al P. Larraga n. 742: «Estas disposiciones del Código se deben entender en orden al fuero externo, . . . pero non sufragan en el interno, en el cual es indispensable la buena fe.»
[7] Cf. singularia statuta apud *Tanquerey*, Suppl. p. 15.
[8] Cf. *Slater*, Princ. Theol. mor. de iust. a. 3.
[9] Encyclop. Britann. s. v. «Prescription».

30 anni; dantur tamen exceptiones, in quibus aut 20 anni sufficiunt aut 40 anni requiruntur.

69 **Scholion. Quaedam regulae practicae pro confessario.**

1. Quilibet confessarius curet cognoscere saltem principalia statuta suae patriae de praescriptione, apprime tamen distinguens statuta *dominium transferentia* a statutis *actionem iudicialem* excludentibus. Priora statuta obligant etiam in foro conscientiae, posteriores vero non valent in conscientia transferre dominium.

2. Semper requiritur in praescriptione transferente dominium *bona fides,* i. e. iudicium prudens proprietatis recte obtentae. In praescriptione acquisitiva communiter requiritur bona fides *positiva,* in praescriptione vero liberativa saepe sufficit bona fides *negativa,* i. e. omissio cuiuslibet actionis culpabilis, quae impedire posset legitimum dominum, ne proprietatem suam vindicet [1].

QUAESTIO II.

De virtute iustitiae in se consideratae.

Postquam sufficienter dictum est de iure, nunc tractandum est de ea virtute, cuius obiectum est ius, scil. de virtute iustitiae. Dividitur haec quaestio in duo capita: 1. de notione iustitiae et 2. de partibus iustitiae.

CAPUT I.

De notione virtutis iustitiae.

70 Nomen iustitiae diversimodo sumitur, et quidem:

1. *Sensu latissimo pro complexu omnium virtutum* seu pro rectitudine morali tota et integra. In ista acceptione dicitur: «Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam.» [2] «Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.» [3]

2. *Sensu lato pro iustificatione* seu statu gratiae sanctificantis. Sic dicitur: «Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.» [4]

3. *Sensu stricto* et proprio *pro speciali virtute cardinali.* Sic autem accepta definiri potest: «**constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi**»; vel paulo latius: virtus moralis inclinans voluntatem ad reddendum unicuique ius suum strictum; vel secundum S. Thomam [5]: «habitus, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate ius suum unicuique tribuit.» Definitio haec primo loco tradita iam invenitur apud Ulpianum [6] et semper tamquam bona est habita.

Explicatur. Dicitur 1°: *constans et perpetua voluntas,* quibus verbis significatur, iustitiam esse habitum, qui residet in voluntate tam-

[1] Cf. *Crolly,* De iure et iust. I, n. 610.
[2] Mt 5, 6. [3] Mt 5, 20. [4] Rom 4, 3.
[5] S. theol. 2, 2, q. 58, a. 1. [6] L. 10, Dig. 1, 1 (lib. primo Regularum).

quam in subiecto ac illam reddit stabilem et aptam ad agendum perpetuo iuxta iustitiam. Ergo nondum adest virtus iustitiae, si homo semel alterave vice iuste agit[1], — hoc enim fieri potest sine virtute ex sola inclinatione naturali —, sed si semper et ubique reddit unicuique quod suum est. Dicitur 2°: *ius suum cuique tribuens*. Ius est enim obiectum proprium iustitiae, quae reddit unicuique omnia, quae illi debentur in stricto sensu. Dico autem «debentur in stricto sensu»; nam non pertinet ad iustitiam persolvere tantum debitum in lato sensu, quod est potius congruentia quaedam.

Ex hac definitione sic explicata apparet discrimen inter virtutem iustitiae et alias virtutes. Distinguitur namque iustitia 1. a ceteris virtutibus moralibus tum ratione *obiecti* tum ratione *subiecti*. Obiectum prudentiae est verum practicum; obiectum fortitudinis et temperantiae sunt passiones moderandae, *obiectum* autem iustitiae est bonum et iustum *alteri debitum*. Subiectum prudentiae est intellectus; subiectum fortitudinis et temperantiae est appetitus sensitivus; *subiectum* vero iustitiae est *voluntas*[2]. Distinguitur 2. a virtutibus theologicis, quippe quae sunt semper infusae et directe Deum ut obiectum habent. — Specialiter notanda est distinctio inter iustitiam et caritatem proximi. Utraque sane virtus est ad alterum, uti dicunt, scil. ad proximum; sed aliter et aliter. Caritas enim nititur omnino in *coniunctione* inter amantem et amatum. Unde qui recte amat proximum, illum diligit sicut alterum ego. Iustitia autem e contrario nititur in *distinctione* unius hominis ab alio. Unusquisque enim homo habet propriam independentiam propriaque iura inviolabilia. Unde homo potest quidem laedere caritatem erga seipsum, non autem iustitiam (proprie dictam) erga seipsum[3].

Agnoscere aliorum iura illaque non violare est officium iustitiae. Sane in se et ratione obiecti caritas multo antecellit iustitiam, sed obligatio iustitiae solet esse strictior quam obligatio caritatis, quae quandam latitudinem admittit. Iustitia non respicit personarum conditiones diversas, sed solam *rem debitam*. Unde parum refert e. g. utrum quis sit pauper an dives, an nobilis, semper enim tenetur ius unicuique reddere; et vice versa quilibet cuius ius laesum fuit, potest exigere reparationem iuris laesi. Unde in iustitia observandum est non solum medium rationis, sicut in omnibus aliis virtutibus, verum etiam *medium rei*.

CAPUT II.

De partibus iustitiae.

Non uniformo modo diversi auctores partes iustitiae assignant[4]. Praeferimus modum a S. Thoma indicatum. Assignat autem Angelicus

---

[1] Cf. S. theol. l. c. ad 3. [2] Cf. ib. a. 4.

[3] Cf. ib. a. 2. In latiore sensu potest homo etiam in seipsum, e. g. in proprium corpus, iniuriam committere.

[4] Moderni auctores solent triplicem distinguere iustitiam: legalem, distributivam et commutativam. Iustitia enim ordinat hominem ad alios. Atqui hic ordo ad alios triplex

Doctor[1] partes *subiectivas* seu species iustitiae; deinde partes *integrales*. i. e. actus et habitus necessarios ad perfectam iustitiam; et demum partes *potentiales* i. e. virtutes iustitiae annexas.

ARTICULUS I.

De partibus subiectivis seu speciebus iustitiae.

71 Distinguitur iustitia *generalis* seu *legalis* (quae ab aliquibus auctoribus etiam vocatur socialis) et iustitia *particularis*. Iustitia autem particularis subdividitur in *distributivam* et *commutativam*. Distributiva a quibusdam iterum subdividitur in distributivam *stricte dictam* et *vindicativam*. Explicantur singulae. Distinguitur ergo iustitia generalis seu legalis a iustitia particulari.

1. Iustitia *generalis seu legalis* est constans et perpetua voluntas reddendi *communitati* (sive civili, sive ecclesiasticae) ius suum[2]. Cum homo sit ex natura sua animal sociale, i. e. in societate humana vivere debeat, ei incumbunt etiam officia erga societatem. Illa igitur virtus, quae perpetuo et constanter inclinat voluntatem ad ista officia socialia adimplenda, vocatur merito iustitia generalis, et quidem partim ex obiecto et fine, quia scil. bonum sociale est bonum generale; partim ex effectu et proprio munere, quia huic virtuti incumbit officium dirigendi omnes actus et habitus hominis ad bonum sociale et commune. Sic ex imperio iustitiae generalis miles fortis strenue pugnat pro bono communi; quilibet civis solvit tributa et observat leges ob bonum commune. Iustitia generalis vocatur etiam, et quidem haud immerito, iustitia *legalis*, quia praecipuum illius munus est observare leges, quippe quae semper necessario sint ordinatae ad bonum commune. Sunt qui autument, hanc iustitiam generalem non esse virtutem specialem, sed rationem quandam omni virtuti communem; at melius et rectius cum Angelico Doctore[3] iustitia generalis seu legalis habetur

---

est, scil. partis ad totum; totius ad partem; et partis ad partem. Iamvero iustitia legalis ordinat partes ad totum, inclinando membra societatis, ut bonum commune reipublicae operentur; iustitia distributiva ordinat totum ad partem, i. e. inclinat gubernatorem rei publicae ad distribuenda bona et onera iuxta merita et vires uniuscuiusque; iustitia commutativa ordinat partes inter se, inclinando singulos homines ad reddendum unicuique ius suum. — Quae quidem divisio facillime intelligitur, sed iam a *Dom. Soto* (De iust. et iure l. 3, q. 5, a. 1) impugnata est. Virtutes enim non distinguuntur proprie iuxta subiecta, quae ordinant, sed iuxta obiecta formalia, in quae primo et per se tendunt. Iamvero non triplex sed duplex est obiectum formale, in quod iustitia *primo et per se* tendit, scil. aut bonum commune (iustitia legalis) aut bonum privatum (iustitia distributiva et commutativa). Unde *Aristoteles* (Ethic. I. 5, c. 2) et post ipsum *S. Thomas* (S. theol. 2, 2, q. 58, a. 7) rectius et profundius bimembrem divisionem iustitiae adhibuerunt, scil. in iustitiam generalem seu legalem, et iustitiam particularem. — Licet autem iustitia distributiva et commutativa primo et per se in bonum privatum tendant, remote tamen procurant etiam bonum commune reipublicae. *Cathrein* (Moralphil. I 359) singularem opinionem propugnat, scil. iustitiam legalem non pertinere ad virtutem cardinalem iustitiae. Hanc sententiam merito reicit *Vermeersch* (Quaest. de iust. n. 20 sqq).

[1] Cf. S. theol. 2, 2 q. 58, a. 5 sqq, et q. 61, a. 1.

[2] Ib. q. 58, a. 5. [3] Ib. a. 6.

virtus specialis ab aliis virtutibus reapse distincta. Sane iustitia legalis exercet vim generalem super omnes alias virtutes, illas ordinans in bonum commune, sicut etiam Deus ordinat singulas etiam minimas creaturas in bonum universi mundi; sed sicut inde non licet concludere, Deum esse quid commune et generale (quod esset Pantheismus), ita ex vi et influxu generali iustitiae legalis haec non potest vocari quid commune omnibus virtutibus. Insuper caritas est certe virtus specialis, et tamen imperat omnibus virtutibus earumque actiones in suum finem et obiectum dirigit [1]. — Iustitia generalis (seu legalis seu socialis) maxime necessaria est pro bono communi; sine illa enim pax perturbatur, atque multa damna etiam concivibus infliguntur. Idque maxime, si gubernatores communitatis illam laedunt iniustas leges condendo.

2. Iustitia *particularis* est constans et perpetua voluntas reddendi singulis personis (sive illae sint personae physicae sive sint iuridicae [2]), ius suum, et subdividitur in distributivam et commutativam.

Iustitia *commutativa* est constans et perpetua voluntas personae privatae reddendi alteri privatae ius suum strictum, servata absoluta aequalitate rei reddendae ad rem acceptam. Haec iustitiae pars accipit nomen commutativae iustitiae, quia praesertim locum habet in commutationibus, e. g. emptionis et venditionis. Pulchre autem S. Thomas ostendit, iustitiam istam non tantum locum habere in emptione et venditione, sed in omnibus sex ultimis praeceptis Decalogi [3]. Iustitia commutativa est iustitia in strictissimo sensu; unde eius laesio semper involvit obligationem restitutionis.

Iustitia *distributiva* est constans et perpetua voluntas inclinans principem alicuius communitatis, ut praemia, dignitates, honores, necnon onera communia (et — casu occurrente — etiam poenas) distribuat in subditos iuxta meritorum facultatumve proportionem. Ex hac definitione sequitur, ut iustitia distributiva sit principaliter in principe, qui per illam inclinatur, seposita acceptione personarum, ad iuste distribuenda bona et onera communia. Participative autem illa etiam invenitur in subditis, quatenus isti contenti sunt distributione a superiore facta.

Iustitia *vindicativa* a pluribus theologis tamquam pars iustitiae distributivae habetur; est enim constans et perpetua voluntas principis distribuens debitas et *condignas poenas* in subditos reos. Ab aliis theologis iustitia vindicativa reducitur ad iustitiam legalem seu gene-

[1] Cf. ib.

[2] In iustitia particulari, terminus erga quem iustitia exercetur, est persona privata, sive physica sive iuridica. In iustitia commutativa non solum terminus, in quem iustitia exercetur, est persona privata, sed etiam ille, qui exercet iustitiam. Sic e. g. Petrus reddit Paulo iustum pretium pro re empta. In hoc actu iustitiae commutativae Petrus et Paulus sunt personae privatae. — Petrus reddit gubernio iustum pretium pro re empta. Etiam in hoc actu iustitiae commutativae uterque contrahens consideratur ut persona privata. Etenim gubernium tunc consideratur ut persona privata iuridica vendens merces suas, non autem ut superior dirigens subditos suos.

[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 61, a. 3.

ralem, quia in poenis infligendis imprimis bonum publicum est curandum. Demum non desunt theologi, qui volunt, illam esse partem iustitiae commutativae, quia superiores ex quasicontractu inito in susceptione officii reos punire tenentur. — In tanta opinionum varietate unusquisque abundet in suo sensu. Si consideratur iustitia vindicativa in quantum iustam proportionem observat inter delicta et poenas luendas, absque dubio pertinet ad iustitiam distributivam; sin autem consideratur praecise ut conducens ad bonum commune, imperatur a iustitia legali; demum si iudex propter gravem negligentiam omittit punitionem delinquentium, nocet bono communi, graviter deest officio suo ac proinde ad restitutionem tenetur, quia laesit iustitiam commutativam [1].

ARTICULUS II.

De partibus integralibus iustitiae.

72 A S. Thoma enumerantur duae partes quasi integrales iustitiae, scil. *facere bonum,* non quidem sub generali conspectu, sed sub speciali ratione *debiti erga alium,* et *declinare a malo* sub eadem ratione. Ad rem scribit Angelicus Doctor [2]: «Si loquamur de bono et malo in communi, facere bonum et vitare malum pertinet ad omnem virtutem, et secundum hoc non possunt poni partes iustitiae, nisi forte iustitia accipiatur prout est omnis virtus: quamvis etiam iustitia hoc modo accepta respiciat quandam rationem boni specialem, prout scil. est debitum in ordine ad legem divinam vel humanam. Sed iustitia, secundum quod est specialis virtus, respicit bonum *sub ratione debiti ad proximum;* et secundum hoc ad iustitiam specialem pertinet facere bonum sub ratione debiti in comparatione ad proximum, et vitare malum oppositum, scil. quod est nocivum proximo. Ad iustitiam vero generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem et ad Deum; et vitare malum oppositum. Dicuntur autem haec duo partes iustitiae generalis vel specialis, quasi integrales, quia utrumque eorum requiritur ad perfectum actum iustitiae. Ad iustitiam enim pertinet aequalitatem constituere in his, quae sunt ad alterum, ut ex supra dictis patet. . . . Constituit autem aliquis aequalitatem iustitiae, fa-

---

[1] *S. Thomas* (S. theol. 2, 2, q. 80, a. un. ad 1) dicit: «Vindicta, quae fit auctoritate publicae potestatis, secundum sententiam iudicis pertinet ad iustitiam commutativam.» Similia habet Angelicus Doctor ib. q. 108, a. 2 ad 1. Exinde tamen nondum licet concludere, *totam* iustitiam vindicativam pertinere ad iustitiam commutativam. Etenim Angelicus Doctor videtur loqui de eo casu, quo iudex punit unum subditum, quia ille laesit alium. Tunc profecto iudex tenetur primo subdito tantam poenam infligere, quantum malum illatum fuit alteri, ita ut sit compensatio et quasi commutatio. Sed si iudex infligit poenas ad salvandum bonum publicum laesum, tunc talis vindicatio videtur pertinere ad iustitiam legalem. *Billuart* (De iust. diss. 5, a. 3) dicit vindicationem esse actum quidem elicitum a iustitia commutativa, sed imperatum a iustitia legali. Similia habet Caietanus in Commentariis ad citata loca. Ceterum tota haec controversia est parvi momenti. Videsis *Lugo,* De iust. et iure disp. 1, n. 69.

[2] L. c. q. 79, a. 1.

ciendo bonum, i. e. reddendo alteri, quod ei debetur; conservat autem aequalitatem iustitiae iam constitutae, declinando a malo, i. e., nullum nocumentum proximo inferendo.» Ex quibus sequitur, ut actus restituendi bonum alienum iniuste ablatum et actus resarciendi damnum causatum, qui quandoque ut actus iustitiae enumerantur, reducantur ad actum declinandi a malo proximo illato.

ARTICULUS III.

De partibus potentialibus iustitiae.

Partes potentiales alicuius virtutis cardinalis vocantur virtutes, quae 73
quidem cum illa conveniunt in obiecto generaliter considerato, sed deficiunt quadamtenus a perfecta ratione ipsius. Munus autem iustitiae est reddere alteri debitum, et quidem secundum aequalitatem. Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum exsistens a ratione iustitiae deficit: 1. in quantum deficit a ratione *aequalis;* 2. in quantum deficit a ratione *debiti.* Propter primam deficientiam tamquam partes potentiales adiunguntur iustitiae tres virtutes, scil. religio, pietas et observantia. 1. Etenim *religio* est virtus reddens Deo debitum cultum, sed numquam homo valet ita colere Deum, sicut ille meretur. 2. *Pietas* est virtus inclinans ad debitum honorem et amorem reddendum parentibus. Sed secundum aequalitatem non potest parentibus recompensari, quod eis debetur a filiis. 3. *Observantia* est virtus inclinans ad debitum cultum praestandum hominibus magna virtute et dignitate praestantibus. Porro etiam virtus magna non recompensatur secundum aequale praemium in hac terra. — Propter alteram deficientiam, scil. debiti stricti, adiunguntur iustitiae sex virtutes: scil. 1. *Veracitas* seu veritas, quae est virtus inclinans ad semper dicendum verum et numquam mentiendum. Ad hanc virtutem reducuntur a) fides seu *fidelitas* in promissis; b) *simplicitas,* qua quis exterius se talem verbis et factis exhibet, qualis interius est. Veracitati opponuntur mendacium, infidelitas, hypocrisis, simulatio et generatim omnia illa, de quibus in octavo praecepto Decalogi agitur. 2. *Gratitudo* vel gratia, quae est virtus inclinans ad aliqualiter saltem compensandum beneficium receptum. 3. *Vindicatio,* quae est virtus ulciscens iniurias commissas. Vindicationi valde affinis est virtus poenitentiae, qua quis reparare conatur iniurias Deo illatas peccando. 4. *Liberalitas,* quae moderatur amorem pecuniae, ut eam ad nostram et proximi utilitatem Deique honorem libenter elargiamur. 5. *Affabilitas,* quae efficit conversationem cum proximo gratam et decentem. 6. *Aequitas* seu epikeia, quae inclinat ex iustis causis praetermittere verba legis et potius agere iuxta praesumptam intentionem legislatoris[1]. — Ut consideranti facile patet, in omnibus istis sex virtutibus enumeratis non est ita stricta obligatio *debiti,* sicut in iustitia, proindeque omnes merito enumerantur tamquam partes potentiales virtutis cardinalis iustitiae. De singulis infra sermo redibit.

[1] Epikeia sumitur in diversis sensibus, ut infra dicetur. Cf. etiam I, n. 231 sqq.

QUAESTIO III.

De laesione iustitiae et reparatione iustitiae laesae.

Dividimus istam quaestionem in quattuor capita: 1. de iniustitia in genere; 2. de iniustitia commissa per ablationem rei alienae; 3. de iniustitia commissa per damnificationem proximi; 4. de restitutione.

CAPUT I.

De iniustitia in genere.

Sicut vario sensu usurpantur voces ius et iustitia, ita et iniuria et iniustitia. Primo enim iniustitia significat generaliter statum peccati; deinde omne, quod opponitur cardinali virtuti iustitiae, sive generali sive particulari. Hinc iniustus dicitur transgressor legis, iudex acceptor personarum, fur et latro. De iniustitia in primo sensu hic non agimus, sed tantum de iniustitia, ut est directe opposita virtuti cardinali iustitiae. — Iniustitia et iniuria nonnumquam, praesertim a modernis auctoribus, e. g. Waffelaert[1], Tanquerey[2], ita distinguuntur, ut iniustitia significet *habitum*, iniuria vero *actum*. Res est parvi momenti.

74 **Principium 1.** *Iniustitia seu iniuria, quae opponitur virtuti cardinali iustitiae, est peccatum mortale ex genere suo; potest autem esse leve peccatum sive ex imperfectione actus (i. e. ex inadvertentia vel imperfecto consensu), sive ex parvitate materiae.*

Ita docent omnes. Ipsa S. Scriptura testatur saltem aliquos iniustitiae actus esse peccatum mortale; e. g.: «Nolite errare: . . . Neque fures . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.»[3] Porro si aliqui actus vitii, sine ulla alia specie morali addita, sunt peccata mortalia, sequitur, ut tale vitium ex genere suo sit peccatum mortale. — Praeterea iustitia perquam necessaria est pro vita sociali, ita ut merito vocari possit fundamentum boni ac pacis communitatis, et sine illa pacifica cohabitatio hominum sit prorsus impossibilis. Ergo qui laedit iustitiam, committit magnum damnum. Insuper caritas graviter laedi potest per actus iniustitiae, qui causare solent proximo tristitiam, rixas, odia, damna etc. Laesio autem caritatis ex genere suo est peccatum mortale. Iniustitia ergo ex genere suo est peccatum mortale. Sed difficillimum est determinare in particulari, quando singuli eius actus sint peccata mortalia vel venialia ex gravitate aut levitate materiae. Econtra non ita difficulter determinatur, quando adsit imperfectio actus ex inadvertentia aut ex consensu imperfecto. Tamquam regula generalis circa gravitatem materiae haberi potest: Iniustitia est peccatum grave, si ex ea ortum est *notabile damnum aut proximo aut bono communi*, seu ut dicit S. Thomas[4]: «Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda

---

[1] Tract. de iust. II, n. 2. [2] Synopsis Theol. mor. n. 264.
[3] 1 Cor 6, 10. [4] S. theol. 2, 2, q. 73, a. 3.

per se quidem secundum nocumenta, quae proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpae.» Explicatur haec regula: Omnis iniustitia causat damnum et quidem ordinarie duplex damnum, scil. proximo et bono communi; e. g. fur auferens summam 100 francorum causat damnum: 1. legitimo proprietario, ut per se patet; 2. bono communi, quia pacem communem, tranquillitatem publicam et mutuam coniunctionem hominum perturbat. — Potest eadem regula etiam hoc modo exprimi: Iniustitia est grave peccatum, quoties damnum patiens et gubernator communitatis rationabiliter sunt graviter inviti. Unde e. g. si quis aufert pauperi operario 2 francos, ipse operarius *et* gubernator sunt rationabiliter serio inviti; sin autem quis aufert 100 francos homini ditissimo, forsan illi non causet magnum damnum laesivum, attamen superior communitatis debet esse graviter invitus, quod talia furta committantur in suo territorio.

Principium 2. *Omnes quidem iniuriae adversantur virtuti iustitiae, sed nihilominus non sunt eiusdem speciei moralis infimae, sed distinguuntur secundum obiecta formaliter diversa.* 75

Hinc alia est iniustitia commissa in furto, alia in homicidio, alia in detractione etc. Ratio autem est, quia uni eidemque virtuti possunt multa vitia opponi. Praesertim solent distingui duae magnae categoriae iniustitiae, scil. iniusta ablatio rei alienae et iniusta damnificatio proximi in diversis eius bonis. Unde de utraque categoria singillatim agemus.

Principium 3. *Iniustum per se et formaliter loquendo, nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens.*

Ita verissime et praegnanti stilo scribit S. Thomas [1]. Prima pars huius 76
dicti per se patet, quia nemo peccare potest nisi volens. Iniustitia autem formalis semper est peccatum. Distinguenda est enim iniustitia formalis, quam quis sciens et volens committit, ab iniustitia materiali, quae laedit quidem obiective ius alterius, sed sine culpa agentis. Iniustitia formalis, quae opposita est iustitiae commutativae et damnum efficienter et realiter causat proximo, inducit obligationem restitutionis, non autem — saltem semper — iniustitia materialis, ut infra dicetur. — Altera pars supradictae sententiae exprimitur quoque in Regula iuris 27 in VI°: «Scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus»; eget tamen aliqua explicatione, quia non est vera, nisi consensus habeat sequentes conditiones: a) *ut sit liber.* Unde si quis coactus a praedone consentit, ut sibi pecunia auferatur, nihilominus patitur iniuriam et reclamare potest pecuniam ablatam; b) *ut sit licitus.* In multis enim casibus homo nequit licite consentire, quia scil. non habet dominium perfectum, seu quia agitur de iuribus inabdicabilibus, e. g. qui occidit consentientem, peccat et iniustitiam committit; pariter qui committit adulterium cum uxore, consentiente marito [2]; pariter qui percutit clericum renuntiantem

[1] Ib. q. 59, a. 3.

[2] Cf. Prop. 50 damnatam ab Innocentio XI: «Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum» (*Dens.* n. 1200).

privilegio canonis etc. Quando autem quis habet perfectum dominium alicuius rei, tunc illi volenti non fit iniustitia; e. g. homini diviti habenti poma in horto suo, neque invito, quod pueri vicini ista poma usurpent, non fit iniuria, si revera pueri auferunt poma.

Cum igitur iniustitia formalis non procedat nisi a sciente et volente illam, quaestio oritur, quomodo haec scientia et voluntas influant in actum externum, praesertim quantum ad obligationem restitutionis. Ad quam quaestionem sic respondeo: Si quis habet intentionem alteri nocendi, peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem, nisi actus externus ex mala hac intentione positus sit etiam *per se solus contra iustitiam.* E. g. si homo privatus ex odio erga inimicum eius domum ardentem non salvat, licet facile hoc possit, committit quidem peccatum grave, sed ad restitutionem non tenetur, quia actus externus salvandi domum non ex iustitia, sed ex caritate tantum illi praecipitur. Iudex, qui iuxta leges quidem, sed praecipue ex intentione nocendi, condemnat reum, peccat, sed ad restitutionem non tenetur, quia actio eius externa non est iniusta. Ratio autem istius responsionis desumitur ex indole iustitiae commutativae, in qua observandum est imprimis «*medium rei*». Numquam autem adest obligatio restitutionis nisi medium rei laesum sit.

CAPUT II.

De iniusta ablatione rei alienae.

77 **Praenotamen.** Iniusta ablatio rei est vel simplex vel qualificata. In primo sensu est idem ac furtum. In altero sensu adiungitur aliqua qualitas speciem mutans. Huiusmodi qualitates sunt duae: rei sacrae et vis adhibitae in ablatione iniusta. Sunt igitur tres species iniustae ablationis, scil. furtum simplex, sacrilegium reale et rapina. De sacrilegio melius infra sermo erit, quando tractabitur de sacrilegio quoque locali et personali. Veteres auctores praeter furta qualificata modo enumerata assignabant quaedam alia, scil. 1. *peculatum,* quo quis ex bonis publicis aliquid surripit aut in suos usus privatos convertit; 2. *plagiatum,* quo quis hominem sive liberum sive servum abducit in servitutem; 3. *abigeatum,* quo quis furatur pecora in pascuis. — Quae quidem omnia non habent nisi valorem historicum; in praxi confessionali de illis eodem modo iudicandum est ac de furto simplici.

Rapina est iniusta ablatio rei alienae praesente et nolente domino, cui gravis violentia aut metus infertur. Ergo rapina includit duplicem iniustitiam: alteram *realem,* alteram *personalem;* aufertur enim iniuste res aliena, quod constituit iniustitiam realem; insuper metu aut violentia gravissima iniuria infertur personae domini praesentis, quod constituit iniustitiam personalem. Unde patet, rapinam esse multo gravius peccatum quam simplex furtum. Proinde etiam multo gravius furto punitur a tribunalibus civilibus. Sed rapina non tantum est gravius peccatum quam furtum, verum etiam *specifice* distinguitur a furto, quia includit iniustitiam specie distinctam[1]. Quantum autem

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 66, a. 4 et 9.

ad restitutionem bonorum raptorum, eadem valent, quae infra n. 80 sqq dicentur de restitutione bonorum furto ablatorum.

Claritatis causa omnia, quae dicenda sunt in hoc capite, dividimus in tres articulos: 1. de natura et gravitate furti in genere; 2. de quibusdam furtis in particulari; 3. de causis ablationem rei alienae excusantibus.

ARTICULUS I.

De natura et gravitate furti in genere.

Definitio. Furtum definitur: **occulta ablatio rei alienae** 78
domino rationabiliter invito[1].

Explicatur. Dicitur 1°: *occulta,* quia si esset aperta ablatio, haberetur rapina. Dicitur 2°: *ablatio,* quae includit iniustam detentionem; nam «detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta.»[2] Ad furtum ergo reducuntur actiones sequentes: non solvere debita, fraude vel dolo aliquid surripere, rem inventam domino non restituere etc. — Ablatio sive detentio intelligitur facta cum animo rem sibi retinendi eaque utendi ac fruendi; nam si ablatio facta esset ex alia intentione, e. g. rem commodandi, vel mox reddendi, vel destruendi, non esset furtum. Dicitur 3°: *domino rationabiliter invito.* Furtum stricte dictum[3] non est, si dominus consentit in ablationem, vel si est invitus non tam de ipsa ablatione quam de *modo* ablationis (e. g. si uxor aufert clam quaedam minora bona, maritus de ipsa ablatione rei, quippe quae sit minoris momenti, non est invitus, sed de modo ablationis, scil. de furtivo agendi modo uxoris), vel si est irrationabiliter invitus. Dominus autem est irrationabiliter invitus, si ex *iustitia* aut ex *pietate* (non autem ex mera caritate) tenetur permittere ablationem rei. E. g. maritus stricte tenetur ad convenientem uxoris sustentationem; quam si negligit, uxor potest sibi clam surripere, quae sunt necessaria. Nec maritus rationabiliter potest invitus esse contra talem uxoris modum agendi. Pariter homo dives esset irrationabiliter invitus, quod pauper in extrema necessitate degens necessaria ad vitam sumat ex bonis divitis, vel quod ancilla det pauperibus ciborum fragmenta, quae secus perirent.

Malitia furti. Furtum est ex genere suo peccatum mortale, ut 79
patet ex supra dictis de iniustitia. Furtum enim est iniustitia, quae est peccatum mortale ex genere suo. Praeterea fures excluduntur a regno coelorum, ut patet ex textu supra n. 74 citato. Porro nemo excluditur a regno coelorum nisi propter peccatum mortale. A Christo vero praeceptum non furandi recensetur inter mandata, quae observare quis debet, si vult ad vitam ingredi[4]. Nemo autem dicat ex istis textibus sequi, ut furtum non tantum sit peccatum mortale ex

[1] Cf. ib. a. 3. [2] Ib. ad 2.

[3] Aliquando sumitur furtum in latiore sensu, et tunc est dolosa ablatio cuiuscumque rei (etiam propriae) apud alium depositae (cf. S. theol. l. c. a. 5 ad 3).

[4] Cf. Mt 19, 18.

genere suo, sed etiam ex *toto* genere suo, quia semper excludit a regno coelorum. Etenim divinae misericordiae haud conveniens esset, si e. g. puer furans pomum propter hoc in infernum detruderetur per totam aeternitatem. Textus igitur S. Scripturae intelligendi non sunt de istis minimis furtis, quae vix merentur nomen furti, sed de furtis maioribus, quae apud Deum et homines agnoscuntur ut probrosa.

80 **Gravitas materiae in furto.** Paucae sunt materiae in tota Theologia morali, in quibus tanta opinionum varietas exsistit quanta in determinanda gravitate furti. Animadvertendum tamen videtur, hic non tam agi de gravitate *peccati* furti — quae multum dependet a conscientia laxa aut meticulosa agentis — quam de *gravi obligatione restitutionis* orta ex ablatione rei alienae. Sane videtur esse satis arbitrarium, si quis moralista velit determinare, e. g., qui 10 francos abstulit, vadit in infernum; qui 9 francos furatus est, vadit in purgatorium. Econtra satis rationabiliter theologi moralistae — tacente immo et consentiente Ecclesia — conantur determinare casus, in quibus post factum furtum adsit *gravis obligatio restitutionis.* Restitutio enim reparat *ordinem socialem* laesum. Tamquam regula in determinanda obligatione gravi restitutionis attendi debet damnum, quod iniusta ablatione causatum est. Furtum est enim contra virtutem iustitiae, et in peccatis contra iustitiam commissis, gravitas non tam ex affectu, quo dominus erga rem ablatam fertur, neque ex indignatione vel tristitia, qua exinde afficitur, quam ex damno illato desumenda est. Unde e. g. qui aufert iniuste aliquam aviculam valde amatam forsan peccat graviter contra caritatem, quia tristavit vehementissime dominam aviculae, sed non peccat graviter contra iustitiam, quia non intulit grave damnum materiale.

Communissime theologi moderni assignant in furto materiam gravem, alteram *absolute,* alteram *relative.*

Materia absolute gravis desumitur ex solo valore rei ablatae, quin ulla ratio habeatur ad conditionem personae, cui res ablata est. Ideoque materia absolute gravis semper et ubique constituit gravem obligationem restitutionis. Quaenam autem sit materia absolute gravis, auctores non concordant. Tanquerey[1] putat esse in Europae regionibus 20 ad 30 francos; in Statibus vero Americae Septentrionalis esse 7—8 dollars; Noldin[2] opinatur esse 30 marcas; idem docet Lehmkuhl[3]; Waffelaert[4] vero dicit esse circiter 40 francos. Assentior his tribus ultimis auctoribus putans, semper adesse gravem obligationem restitutionis, si quis prorsus iniuste sine ulla excusatione abstulerit res alienas pretio 30 marcarum vel 40 francorum. Ratio est, quia nostris temporibus communis persuasio populi fert, ablationem 30 marcarum esse rem considerabilem et esse severe puniendam. Dico autem: *prorsus iniuste et sine ulla excusatione,* nam si fur habeat aliqualem excusationem, aut

---

[1] Synopsis Theol. mor. n. 436. [2] De praeceptis n. 416.
[3] Theol. mor. I, n. 1114. [4] De iust. II, n. 215.

si dominus non sit ita invitus, tunc maior summa necessaria est ad inducendam gravem restitutionis obligationem. Unde e. g. admonerem quidem, sed non stricte obligarem ad restitutionem filium, qui patri ditissimo abstulit 50 marcas.

Materia relative gravis illa est, quae grave nocumentum affert domino, considerata eius conditione. Alii auctores assignant quantitatem, qua paterfamilias ad quotidianam sustentationem suam cum familia indiget[1], alii melius certam taxam definiunt hoc fere modo:

a) relate ad pauperes miseros circiter 1 marcam;

b) relate ad homines mediocris fortunae circiter 5—6 marcas;

c) relate ad divites circiter 15—20 marcas;

d) relate ad ditissimos circiter 30 marcas, *seu eadem quantitas, quae tamquam absolute gravis censetur.*

Circa has taxas duo videntur esse notanda: 1. Non sunt omnino certae regulae, quia nulla authentica illarum sanctio alicubi invenitur. Nihil aliud sunt nisi opinio rationabilis et satis fundata. 2. In illis non attenditur damnum, quod forsan *per accidens* sequi potest ex furto; e. g. si quis operario aufert instrumentum pretii 1 marcae, ordinarie non peccat mortaliter; attamen si operarius propter istud instrumentum deficiens non potest laborare per tempus notabile, tunc fur praevidens hanc laboris omissionem peccat mortaliter, non quidem propter ablationem instrumenti, sed propter iniustam damnificationem causatam.

Scholion. De gravitate furti caute ponderanda. In ponderanda 81
quantitate absolute vel relative gravi attendi debent circumstantiae temporum et locorum. Unde e. g. quantitas assignata ab auctoribus saeculorum elapsorum nostris temporibus est nimis parva, cum valor pecuniae sit nunc valde diminutus. Similiter valor pecuniae est multo minor in magnis urbibus industrialibus quam in ruralibus regionibus dissitis[2]. Semper autem confessarius memor sit illius, quod S. Augustinus dixit de discrimine inter peccatum veniale et mortale: «Difficillimum est invenire, periculosissimum definire.» Unde sapienter monet Billuart[3]: «Non ergo praesumant animarum directores ad singulos et individuales casus certo resolvere: Hoc est mortale, hoc est veniale, nisi id aperte constet. . . . Et dum ea de re a poenitentibus interrogantur, prudenter responsionem absolutam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiant.»

ARTICULUS II.

De quibusdam furtis in particulari.

Regulae supra datae ad discernendam gravitatem furti (vel potius gravem obligationem restitutionis in quibusdam furtis) aliquantulum temperandae sunt, vel quia inter res ablatas fuerunt multa intervalla, vel

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 52.

[2] Cf. *Waffelaert*, De iust. I, n. 215, ubi habetur longa computatio differentiae valoris secundum diversa tempora.

[3] De iure et iust. diss. 9, a. 3.

quia dominus non censetur esse ita invitus, vel quia res non fuit ita aliena. Unde quaedam dicenda supersunt 1. de furtis minutis; 2. de furtis domesticis; 3. de furtis in rebus publicis.

§ 1.

De furtis minutis in genere.

82 Furta minuta vocantur levioris materiae furta saepius repetita. Ex se ista furta minuta sunt peccata venialia; fiunt autem graviter mala 1. ex prava intentione et 2. ex frequenti repetitione.

1. *Ex prava intentione* quidem, si quis intendit multis parvis furtis tandem obtinere quantitatem notabilem, e. g. si famulus intendit surripere hero suo 100 francos, et, ne detegatur, hoc propositum exsequitur non semel, sed 50 vicibus per tempus unius anni. Prava haec intentio efficit, ut famulus statim peccet mortaliter simulac huic proposito consensum dat. Singulis autem vicibus, quando surripit 2 francos, implicite saltem renovat pravam suam intentionem et proinde mortaliter peccat. Nihilominus non stricte tenetur in confessionali dicere, se intendisse furtum 100 francorum hocque exsecutum esse 50 vicibus, sed sufficit, si confitetur simpliciter: furatus sum 100 francos; aut habui intentionem furandi 100 francos, quod et secundum talem quantitatem feci. Ratio est, quia omnia ista furta minuta coalescunt in unum actum moralem, nisi forte aliquando revocata fuerit intentio. Tunc enim plura essent peccata[1].

2. *Ex frequenti repetitione* furtorum minutorum, etiam si non praecessit explicita intentio adipiscendi quantitatem gravem, oritur grave iniustitiae peccatum gravisque obligatio restituendi, dummodo tres sequentes conditiones adsint: a) ut inter singula furtula *non sit notabile intervallum;* b) ut singula furtula *non revocata aut restituta sint;* c) ut *materia totalis* omnium furtulorum unitorum sit *gravis.*

Requiritur igitur a) ut inter singula furtula non exsistat notabile intervallum, quale censetur tempus 2 mensium, si agitur de materia, quae licet non sit gravis, tamen fere accedit ad materiam gravem. Ita S. Alphonsus[2]. Unde e. g. si quis aufert homini diviti hodie 10 francos et post bimestre iterum 10 francos et sic deinceps, ista furtula non coalescunt propter notabile intervallum interiectum inter duo furtula. Attamen puto, in praxi talia furtula saepius repetita tandem aliquando coalescere, quia vix possibile est, ut desit inde ab initio intentio perveniendi ad summam considerabilem. Sin autem agitur de furtulis revera *minimis*, e. g. dimidii franci, illa non coalescunt etiam post brevius intervallum, ut puta post quindenam[3]. Ratio horum omnium est,

---

[1] Cf. supra I, n. 376 de distinctione numerica peccatorum.

[2] Theol. mor. l. 3, n. 530.

[3] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 422, qui putat iam post hebdomadam ista exigua furtula non coalescere.

quia iuxta communem aestimationem hominum illa furtula non coalescunt, si tantum intervallum inter singula exstitit; et praeterea, quia tunc vel numquam vel non nisi post longum tempus materia gravis aderit. E. g. sartor quolibet tantum bimestri fragmentum panni retinet, ordinarie autem strictam iustitiam servat. Forsan post 10 annos omnia ista fragmenta simul sumpta constituent materiam gravem. Nemo sane dicat, inter primum fragmentum et ultimum adhuc exsistere unionem moralem et proinde sartorem teneri ad restitutionem sub gravi.

Deinde requiritur b) ut singula furtula non sint revocata aut restituta. Patet, quia furtula revocata aut restituta non possunt coalescere cum sequentibus, quippe quae in esse moris iam non exsistant.

Ultimo requiritur c) ut materia totalis omnium furtulorum unitorum sit gravis. Communiter autem theologi moralistae opinantur, in furtulis requiri maiorem quantitatem quam in furto, quod semel et simul commissum est; scil. requiri quantitatem *dimidio maiorem*, si furtula facta sint *eidem* domino; sin autem *pluribus* dominis aliquid ablatum sit, requiri quantitatem *duplo maiorem* aut (si sunt multi domini), *absolute gravem*, scil. 40 francos. Ratio patet ex supra dictis. Gravitas enim furti pensanda est ex damno obiectivo illato legitimo domino. Porro legitimus dominus, cui longo spatio temporis aliqua summa ablata est, non tantum damnum patitur, quantum pateretur si hoc simul et semel accidisset. Sin autem sunt diversi et *multi* domini, adhuc minus est damnum singulis causatum, ac proinde sola materia absolute gravis merito assignatur tamquam inducens gravem restitutionis obligationem. Si e. g. sartor, laborans pro aliquo mercatore vestiario satis diviti, qualibet hebdomada iniuste retinet quaedam panni fragmenta pretio 2 francorum, non tenetur sub gravi ad restitutionem, nisi valor omnium fragmentorum habeat quantitatem dimidio maiorem, i. e. 20 + 10 = 30 francorum. Sin autem ista fragmenta pertineant ad plures dominos, requiretur quantitas duplo maior (vel absolute gravis), nempe 40 francorum.

In repetitis furtulis singulae ablationes separatim consideratae non sunt quidem nisi peccata venialia. Cum autem sequens furtulum sit semper approbatio saltem implicita praecedentis, tandem aliquando accidit, ut ultimum furtulum in se quidem leve, sit approbatio implicita ablationis materiae gravis, et proinde grave peccatum constituat. Qui postquam gravem materiam furtulis abstulerit pergit in furando, toties mortaliter peccat, *quoties attendit ad materiam iam surreptam* et renovat intentionem retinendi illam cum aliis. Ita sententia communis [1]. In praxi autem sufficit, si confessarius cognoscat summam furtulis sublatam et forsan tempus, quo durante furtula facta sunt. — Tota fere doctrina de furtis minutis complecti potest hac phrasi: Furta minuta grave peccatum constituunt, si perpetrata sint aut cum intentione perveniendi ad gravem materiam, aut si, sine notabili intervallo interiecto, gravem materiam congesserint.

---

[1] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 11. a. 4; *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1117.

Nota. Furta minuta saepe perpetrantur in re domestica[1], aut etiam a mercatoribus et operariis, e. g. a cauponibus, qui aquam miscent vino, ab agricolis adulterantibus lac, ab opificibus subtrahentibus parvas materias sibi praebitas[2]. In praxi propter consuetudines generales forsan contrarias vel propter consensum domini aliqualiter praesumptum, aliquando non ita urgenda est restitutionis obligatio; attamen insistendum est, ut furtula ista cessent. Ceterum longior sermo de mercatoribus adulterantibus merces vel clam diminuentibus mensuram infra redibit, ubi de emptione et venditione agetur.

§ 2.

De furtulis domesticis.

83 Furtula praesertim in re domestica frequentia sunt, atque non raro perpetrantur ab uxoribus, filiis familias et famulis. Paterfamilias non solet esse ita invitus contra talia furtula, ac si perpetrata sint ab extraneis; immo aliquando non est invitus contra ipsam ablationem, sed tantum contra clandestinum modum ablationis Dedisset enim ipse rem ablatam, si conveniens petitio illi porrecta esset. Omnes theologi admittunt, in furtulis domesticis ordinarie maiorem quantitatem requiri ad restitutionis obligationem inducendam. Regula vero generalis, quae non patitur exceptiones, hac in re constitui nequit. Sequentes autem normae tamquam *directivae* haberi possunt:

1. *In esculentis et poculentis ordinariis ad proprium usum sumptis furtula numquam attingunt materiam gravem.* Ratio est, quia paterfamilias tenetur nutrire convenienter omnes domesticos suos. Quod si non facit, domestici habent ius sumendi illud, quod paterfamilias iniuste denegat. Sed etiam in casu, quo nutrimentum conveniens praestatur, paterfamilias non censetur esse graviter invitus, si domestici aliquid amplius sumant, dummodo tamen haec nutrimenta non aliis tradant aut vendant, et dummodo non agatur de nutrimentis *valde pretiosis.* Sane si agitur de nutrimentis valde pretiosis, e. g. de vino Champagne, tunc paterfamilias est graviter invitus, quod istud insumatur a famulis suis. Sed etiam in isto casu non obligarem ad restitutionem *uxorem* aut *filios familias*, quia tunc quoque paterfamilias censetur esse invitus magis de modo clandestino ablationis aliisque malis effectibus inde secutis, quam de ipsa oblatione. — Quando autem nutrimenta a domesticis dantur aut venduntur extraneis, facilius obligatio restitutionis adesse potest. Uxor potest licite ea dare tamquam eleemosynam, et aliquatenus etiam filii; famuli vero non possunt ea elargiri, et a fortiori non vendere, nisi secus certo peritura essent. De furtulis in tabaco paterno factis a filiis familias idem dicendum est ac de furtulis in esculentis et poculentis. Herus autem ordinarie est graviter invitus, quod famuli

[1] De qua infra n. 83.
[2] Cf. infra de contractu emptionis (n. 279).

furtula huiusmodi in tabaco faciant; unde potest coalescere materia gravis et obligatio restitutionis.

2. *Uxores* raro tenentur ad restitutionem ob furtula commissa. Uxor enim non est serva, sed socia mariti, et proinde aliqualem habet dispositionem de bonis communibus. Maritus igitur non est graviter invitus de ipsa ablatione rei, sed potius de *modo clandestino* ablationis. Si uxor de bonis propriis quaedam abstulerit, numquam tenetur ad restitutionem, etsi egit contra voluntatem mariti, ad quem pertineat eorum administratio. Unicus fere est casus, quo necessaria esset restitutio, si uxor prorsus irrationabiliter contra voluntatem mariti notabilem summam pecuniae communis paulatim expendisset, e. g. emendo ornamenta prorsus superflua.

3. In furtulis *filiorum familias* iudicandis prius videre oportet, num consideratis omnibus circumstantiis paterfamilias revera sit graviter invitus tum quoad substantiam, tum quoad modum ablationis. Si enim paterfamilias non esset graviter invitus, nec adesset gravis obligatio restitutionis. In praxi saepe difficillimum est determinare, num adsit gravis obligatio restitutionis. Si parentes sunt opulenti et in prolium educatione multa profuse expendunt, facilius praesumi potest, illos non esse graviter invitos, si filius aliquantisper lautius vivat et clam expendat moderatam summam a patre ablatam. Sin autem parentes non sunt ita divites, sed insudant in educatione numerosae prolis; si praesertim ex furtulis repetitis unius filii fratres et sorores eius damnum notabile patiuntur, tunc severius iudicium ferendum est. In hoc casu applicari possunt verba Proverbiorum: «Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est.» [1] Hinc recte dicit Billuart [2], graviter esse culpandos atque restitutioni obnoxios filios familias non solum dum pecunias aut mobilia a parentibus surripiunt, pretium mercis venditae aut saltem eius partem retinent, debita a parentibus solvenda contrahunt, sed etiam «dum missi ad studia aut ad aliquam artem addiscendam, pecunias sibi traditas ad libros comparandos, ad pensionem solvendam etc. . . . expendunt in compotationes, scortationes, lusus aliaque illicita et vana.» — Omnes theologi concordant asserentes furtula filiorum familias coalescere ad materiam gravem, sed omnino discordant in determinanda gravitate materiae. Cum doceat Bannez, gravem materiam adesse, si filius quotannis 50 aureos (c. 250 francos) patri diviti furatus sit, Lessius, Navarra aliique volunt, duos vel tres aureos iam constituere materiam gravem [3]. Moderni theologi communiter asserunt, in furtis filiorum familias ad grave peccatum requiri materiam *duplo maiorem* quam in furtis extraneorum. — Cum in praxi filii familias, qui furtula commiserunt, rarissime restituere valeant, confessarius prudenter inducat huiusmodi poenitentes, ut a parentibus condonationem petant. Sic enim isti filii familias salutariter humiliantur et futura peccata praecaventur.

---

[1] Prov 28, 24. [2] De iure et iust. diss. 11, a. 5. [3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 543.

4. *De furtulis famulorum* severius iudicandum est quam de furtulis uxorum et filiorum familias, quia multo rarius praesumi potest consensus legitimi domini. Nisi agatur de cibo et potu consumptis ab ipsis famulis[1] et nisi praesumpta adsit licentia heri, furta minuta famulorum coalescunt, *velut si committantur ab extraneis*. Herus enim nedum minus invitus est, quod famulus, cui curam rei domesticae commisit, aliquid sibi furetur, quam quod extraneus; sed potius est magis invitus, quia sic ex famulorum infidelitate ipsi imminet periculum gravis damni. — Quod dictum est de furtulis famulorum, valet etiam de furtulis operariorum in officinis domini. Ad dignoscendam obligationem restitutionis oportet ad duo imprimis attendere: 1. ad damnum reapse causatum, 2. ad consuetudines forsan in aliqua officina exsistentes. Si enim proprietarius officinae aliqualiter cognoscit consuetudinem furtulorum ab operariis patratorum neque strenue contradicit, raro adest gravis obligatio restitutionis. Nihilominus operarii deterrendi sunt ab huiusmodi furtulis.

§ 3.

De furto in rebus publicis.

84 Specialis difficultas adest pro confessario, si iudicare debet de furtis commissis in detrimentum non alicuius hominis privati, sed communitatis aut civitatis. Nonnulli enim abhorrent quidem a furto boni privati, sed non graviter illicitum putant e. g. caedere ligna in silvis publicis ibique herbas aliosve fructus colligere. Etiam veteres Moralistae[2] benignas sententias de istis furtis proposuerunt, quia tunc temporis silvae abundabant et ligna parvi pretii erant tum propter abundantiam tum propter difficultatem ea in regiones dissitas transportandi. Hodiernis autem temporibus res prorsus mutata est. Silvae sunt diminutae, ligna sunt pretiosa. Quando agitur de furtis istorum bonorum publicorum, confessarius sequentes normas applicare potest:

1. Leges civiles prohibentes, ne in silvis publicis colligantur rami aridi, herba, racemi aliique fructus silvestres, communiter sunt tantum leges poenales[3]. Istae enim res, nisi colligantur, solent in silvis putrescere atque esse fere nullius utilitatis. Unde communiter non sunt inquietandi incolae, qui in silvis vicinis publicis absque alio damno illato istas res colligunt, praesertim si sunt pauperes. Si tamen civitas aut fiscus solet vendere etiam istas res silvestres, aliter est dicendum.

2. Leges civiles prohibentes caesionem ipsarum arborum obligant in conscientia. Unde qui notabilem quantitatem arborum ex silva publica surripiat, peccat graviter et ad restitutionem tenetur. Notabilis vero quantitas censetur materia absolute gravis, scil. valor circiter 40 francorum, quia civitas aut fiscus possidens ista bona publica putatur valde dives. In computando autem hoc valore, arbores aesti-

---

[1] Cf. supra sub n. 83[1]. [2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 529.
[3] Ita etiam *Noldin*, De praeceptis n. 418.

mandae sunt prout crescunt in silvis, et non prout prostant apud mercatores. Unde nondum aliquis sub gravi ad restitutionem tenetur, si e. g. abstulit arborem, quae valet in silva 10 francos, post caesionem autem et transportationem usque ad emporium mercatoris valet 100 francos. Severius iudicandi sunt illi malefactores, qui propter futiles rationes in silvis publicis eradicant arbores plantasque iuniores. Verumtamen isti sunt potius damnifactores quam fures.

3. Furta in istis rebus publicis raro perpetrantur unica vice in notabili quantitate, sed solent fieri divisim. Tunc ergo applicandae sunt regulae superius datae de furtis minutis. Si ergo quis non habet intentionem furandi materiam gravem, et inter singula furtula est aliquod intervallum notabile, furta non coalescunt nec inducunt gravem restitutionis obligationem.

Scholion. De defraudato pretio vehiculi publici. Quasi species 85
furti in rebus publicis haberi potest, si quis habens schedulam III classis vehitur II aut I classe in via ferrea absque debita licentia. Qui corrumpit officiales ad ita agendum, certo peccat et ad restitutionem tenetur; secus autem non facile erit peccatum grave, neque obligatio restitutionis. Ratio est, quia via ferrea fere nullum damnum patitur per hunc agendi modum. Adest quidem lucrum cessans, sed non exsurgunt maiores expensae pro via ferrea, sive superioris classis vehicula sunt vacua, sive occupata. Attamen restitutio facienda esset, si (casu insolito) propter occupatum locum superioris classis nova vehicula essent adiungenda. Tunc enim damnum non ita spernendum oriretur pro fisco viae ferreae. — Si quis autem sine ulla omnino schedula empta vehatur in via ferrea aliisque vehiculis publicis, puto illum ad restitutionem obligari. Nam non solum hoc censetur esse aliquid turpe iuxta communem aestimationem hominum, sed etiam est damnificatio et furtum evidens, quia tunc proprietariis istorum publicorum curruum furtive aufertur pretium legitimum transportationis. Nec dicat quis, vehicula debere currere sive sint vacua, sive sint occupata, proindeque nullum damnum oriri ex occupatione furtiva. Etenim, licet hoc sit verum, tamen proprietarii sunt rationabiliter et graviter inviti, quod quis utatur istis vehiculis sine ullo pretio soluto; non sunt autem ita graviter inviti, quod quis habens schedulam inferioris classis, utatur classe superiore, ut experientia constat.

ARTICULUS III.

De causis ablationem rei alienae excusantibus.

Duae causae legitimam reddunt ablationem rei alienae, scil. 1. extrema necessitas auferentis et 2. recta compensatio occulta.

§ 1.

De extrema necessitate tamquam causa excusante.

Principium. *In extrema necessitate licet ex bonis alienis tantum* 86
assumere, quantum satis est ad se liberandum ex tali necessitate. Ita omnes.

Ratio est, quia in extrema necessitate omnia bona terrestria fiunt iterum communia. Deus enim dedit terram inhabitandam et bona fruenda omnibus hominibus. Ergo quilibet homo habet ius, ut de bonis terrestribus vivere et in casu extremo sibi assumere possit ea, quae sunt omnino necessaria.

Eget tamen hoc principium aliquali explicatione: a) In *extrema* tantum necessitate licet auferre bona aliena, non autem in qualibet necessitate *gravi*. A fortiori non licet rem alienam auferre in necessitate *communi*. Hinc pauperes communes mendicantes non possunt licite rem alienam sibi sumere, invito domino. Innocentius XI proscripsit propositionem: «Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.»[1] Sane verbum «furari» in propositione damnata non est sumendum in sensu formali (quia numquam, nec etiam in extrema necessitate, licet furari seu iniuste rem alienam surripere), sed in sensu *materiali* i. e. pro «sumere physice rem alienam». Loquendo in hoc sensu materiali etiam Angelicus Doctor quaerit: «Utrum liceat alicui propter necessitatem furari?» Et respondet: «Si tamen adeo sit evidens et urgens necessitas, ut manifestum sit, instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum, puta cum imminet personae periculum et aliter subveniri non potest, tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suae necessitati subvenire, sive manifeste sive occulte sublatis: nec hoc proprie habet rationem furti vel rapinae.»[2]— Quaenam necessitas sit extrema aut quasi-extrema, non concordant auctores; nunc autem satis communiter sub illa enumeratur non tantum proximum periculum vitae, sed etiam periculum perdendi membrum principale aut sensum corporis (aut castitatem). Ita Bannez citatus a Lugo et Lehmkuhl[3]. Merito autem docent theologi, in necessitate extrema non tantum propria sed etiam *proximi* licitum esse auferre, quae sunt necessaria. Sic e. g. mater non habens nutrimentum pro puero fame perituro, potest auferre lac.

b) Non licet plus assumere quam sit satis ad se liberandum ex tali necessitate. Si ergo sufficit e. g. rem alienam commodare, non licet eam in proprietatem assumere. Similiter necessitate praeterita oportet rem ablatam restituere, si tamen adhuc possibile est. Quid autem faciendum, si necessitate extrema praeterita et re in tali necessitate consumpta homo inopinate capax fit restituendi rem ablatam? Sane expedit, ut rem ablatam compenset, sed ad id non stricte obligatur. Etenim homo degens in extrema necessitate rem alienam ablatam revera facit suam ac proinde illam numquam restituere tenetur. Ita quoque Noldin[4]. Ceterum iste casus est potius theoreticus quam practicus. Nam si homo superavit extremam necessitatem, fere semper aliquam

---

[1] *Denz.* n. 1186. Cf. de sensu istius propositionis damnatae *Dom. Viva* et *Ballerini-Palmieri*, De furto n. 22 sq.

[2] S. theol. 2, 2, q. 66, a. 7; cf. etiam Comm. *Caietani* in hunc locum.

[3] Theol. mor. I, n. 1121; cf. etiam *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 520.

[4] De praeceptis n. 425.

spem habuit postea compensandi rem ablatam. Tali autem spe exsistente homo revera tenetur compensationem facere ex bonis deinde adeptis.

c) Addunt theologi, etiam in extrema necessitate non licere auferre alteri rem, si ex ablatione etiam alter in extremam necessitatem casurus sit. Ratio est, quia in isto casu «melior est conditio possidentis». Unde e. g. si duo cadunt in mare, quorum unus et forsan debilior habet balteum aereum, non potest alter hunc balteum surripere ad se salvandum, quia sublato balteo primus possidens in proximum mortis periculum detruditur.

Scholion. De magnis bonis alienis auferendis in extrema necessitate. 87 Iam supra (I, n. 592) diximus, in extrema necessitate subveniendum esse pauperi etiam cum magno incommodo, dummodo tamen non agatur *de magnis et extraordinariis expensis faciendis.* Si quis autem huic obligationi non satisfacit, non peccat contra iustitiam, sed tantum contra caritatem [1]. A pari quaeri potest, num versans in extrema necessitate possit a divite surripere *magnam* summam pecuniae ad se liberandum ex tali necessitate. Theologi non concordant. Negant Lacroix et Concina, affirmant Sporer et Lugo apud S. Alphonsum [2], qui asserit: «Casu quo pauper est in extrema necessitate alicuius rei magni valoris, iuste potest eam accipere; quia ius habet ad illam arripiendam. Non ideo tamen dives tenetur dare, cum ipse tantum ex caritate obligetur, quae non obstringit cum tanto incommodo.» — Forsan rectius cum distinctione respondetur: 1. Pauper in extrema necessitate degens *non tenetur* magnam pecuniae summam surripere etiam ad vitam tuendam. Ratio est, quia nemo tenetur adhibere media extraordinaria ad vitam servandam [3]. 2. Pauper in *proxima* extrema necessitate degens *potest* surripere etiam magnam pecuniae summam ad vitam servandam. Sic e. g. alicuius instituti nummularii (vulgo *Bank*) custos, cui praedo minatur mortem, nisi tradatur clavis cassae continentis magnam summam pecuniae alienae, versatur in extrema necessitate *proxima,* et proinde clavem, immo et alienam pecuniam tradere potest ad salvandam vitam. Ratio est, quia vitam suam pluris aestimare potest quam pecuniam sibi commissam. 3. Pauper in extrema necessitate *remotiore* degens non potest sumere magnam pecuniae alienae summam. Sic e. g. pauperrimus paterfamilias phthisi pulmonum laborans, cui medicus cum morali certitudine dixit ipsum esse certo et breviter moriturum, nisi statim proficiscatur ad regionem saniorem, nihilominus non videtur licite posse surripere summam e. g. 1000 francorum ab aliquo

---

[1] Ita saltem iuxta sententiam probabiliorem (cf. *S. Alph.* l. c. n. 520, quaer. 6). Dicit quidem Leo XIII (Encycl. «Rerum novarum» d. 16 Maii 1891) loquens de obligatione dandi eleemosynam: «Non iustitiae, *excepto in rebus extremis,* officia ista sunt, sed caritatis christianae.» Sed Summus Pontifex videtur sumere verbum iustitiae non pro iustitia commutativa, ex cuius laesione oritur obligatio restitutionis, sed pro iustitia generali seu legali. Cf. S. theol. 2, 2, q. 118, a. 4 ad 2.

[2] L. c. quaer. 3.

[3] Cf. supra de praecepto caritatis erga seipsum (I, n. 567).

divite, ut possit proficisci et sic vitam salvare. Ratio est, quia secus multis illusionibus et inordinationibus praeberetur ansa, ac pax socialis non parum perturbaretur.

§ 2.

De occulta compensatione.

Saepe accidit, ut quis ius strictum suum non possit convenienter sibi *publice* vindicare, sive propter timorem, sive propter aliam impotentiam moralem. In isto casu aliquando compensatio occulta licite adhiberi potest. Definiri autem potest occulta compensatio: *recuperatio rei propriae per alienae occupationem occultam.* Stricte loquendo occulta compensatio habetur, si quis *pretium aequivalens* sibi occulte procurat pro re vel labore tradito; attamen latiore sensu vocari potest occulta compensatio etiam recuperatio propriae rei ab alio iniuste detentae. Nos sumimus compensationem in utroque sensu.

88 **Principium.** *Occulta compensatio, vestita debitis conditionibus, licita est, sed raro exercenda et adhuc rarius a confessario consulenda est.*

Explicatur et probatur. Occulta compensatio vestita debitis conditionibus licita est. Etenim si adsint istae conditiones, de quibus statim sermo erit, per occultam compensationem neque ius proximi neque socialis ordo laeditur atque nihil aliud fit nisi iusta defensio contra iniuriam alterius. — Raro autem exercenda et consulenda est occulta compensatio, quia est periculis illusionis et perturbationis plena. Iamvero non licet se exponere periculis nisi raro et vera necessitate flagitante. Ad liceitatem compensationis occultae sequentes conditiones requiruntur[1]:

1. ut debitum sit strictum et certum;
2. ut debitum non possit aliter recuperari sine notabili incommodo;
3. ut damnum debitoris aut tertiae personae praecaveatur.

89 Prima igitur eaque principalis conditio, ut licita sit compensatio occulta est, ut debitum sit a) strictum et b) certum. *Strictum* debitum oritur ex vero dominio acquisito. Unde si adest sola convenientia, non autem vera obligatio iustitiae, non licet adhibere occultam compensationem, e. g. si herus liberaliter promisit donum, sed non praebuit, famulus nequit se occulte compensare. — Deinde requiritur, ut debitum sit moraliter *certum.* Distinguitur duplex certitudo: *iuris* et *facti. Certitudo facti* fundantis ius prorsus requiritur; e. g. certum debet esse factum donationis, emptionis etc. Iuxta S. Alphonsum[2] autem in tribus casibus sufficit *probabilitas iuris,* et non requiritur certum ius, «scil. quando compensatur fama cum pecunia; infamia cum infamia data; et legatum relictum in testamento non solemni». Paulo latius explicatur ultimus casus, duo enim priores raro in praxim deduci possunt. Adest testamentum forma legali non vestitum et proinde in foro externo invali-

---

[1] Cf. *Dom. Soto,* De iure et iust. l. 5, q. 3, a. 3.
[2] Theol. mor. l. 3, n. 521.

dum. In hoc testamento plura legata assignantur, quae si debita forma expressa essent, certum ius legatariis darent; nunc autem illis non dant nisi ius probabile, cum plures gravesque theologi doceant, testamentum informe esse invalidum etiam in foro conscientiae. Adest ergo in isto casu certitudo facti, scil. certo exsistit testamentum; sed exsistit tantum probabile et non certum ius ad legata in testamento designata. Nihilominus iuxta S. Alphonsum aliosque auctores in isto casu legatarius potest licite legata sibi comparare per occultam compensationem. In praxi iste casus nequit solvi nisi attendendo codices civiles modernos. — Fere numquam autem licet compensationem cum probabili iure exercere, nisi ex consilio prudentis confessarii alteriusve periti ac timorati viri, quia secus adest grave periculum hallucinationis in propria causa.

Altera conditio ad licitam compensationem occultam est *moralis impossibilitas aliter rem propriam recuperandi.* Etenim ordo iuris exigit, ut quilibet via ordinaria rem suam recuperare studeat[1], et solum si eam sine notabili difficultate, e. g. sine rixis, expensis aliisve gravibus incommodis, petere non potest, licet occulte se compensare. Ceterum haec conditio obligat tantum *sub levi.*

Tertia conditio exigit, *ut damnum debitoris aut tertiae personae praecaveatur.* Ex occulta compensatione multiplex damnum oriri potest: e. g. debitor erronee putat, se adhuc solvere debere et proinde bis solvit; tertia persona in suspicionem furti venire potest. Patet occultum compensatorem debere haec damna cavere, *in quantum est possibile.* Hoc enim exigit caritas.

Ex omnibus hucusque dictis apparet, occultam compensationem esse raro exercendam, scil. in solo casu moralis necessitatis. A fortiori confessarius rarissime vel numquam consulere debet illam, propter nimia pericula coniuncta. Licet enim occulta compensatio quandoque licita sit in foro conscientiae, tamen in foro civili non agnoscitur, sed tamquam furtum punitur. Confessarius ergo, qui illam consulit, se periculo exponit punitionis a tribunali civili propter instigationem ad furtum.

Resolves. 1. Occulte se compensare dicunt quandoque famuli, 90
operarii, artifices, officiales etc., quia non recipiant sufficiens salarium; sed raro haec compensatio licita est, quia saepe desunt tres conditiones supra recensitae pro liceitate compensationis occultae. Praesertim solet deesse prima conditio, scil. famulis non competit strictum et certum ius ad compensationem. Quare Innocentius XI proscripsit propositionem: «Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.»[2] At licite famuli possunt se compensare, a) si *cogantur* ad labores in contractu non stipulatos; b) si *cogantur* ad salarium prorsus insufficiens et iniustum[3]; c) si *cogantur* ad reparationem damni, quod

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 66, a. 5 ad 3. [2] *Denz.* n. 1187.
[3] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 622.

sine culpa causaverunt, e. g. frangendo sine culpa aliquod vas pretiosum (nisi tamen in contractu etiam haec reparatio stipulata sit).

2. Occulta compensatio licita est, si quis prorsus iniuste condemnatus fuerit a iudice; i. e. si iudex commiserit errorem *facti*.

3. Occulta compensatio licita est, si filii maiorennes *cogantur* ad laborandum in domo paterna et si secundum iura civilia habent ius ad competens salarium, quod illis tamen negatur. Non omnia iura, e. g. ius Germanicum, ius Gallicum, concedunt filiis maiorennibus in istis casibus salarium, et proinde occulta compensatio tunc non licet. Ius autem Helveticum[1] concedit salarium.

CAPUT III.

De iniusta damnificatione.

Dividimus hoc caput in quattuor articulos: 1. de iniusta damnificatione in genere; 2. de iniusta damnificatione cooperativa; 3. de iniusta damnificatione per facta corporalia; 4. de iniusta damnificatione per verba.

ARTICULUS I.

De iniusta damnificatione in genere.

Damnificatio in genere sumpta includit etiam furtum rapinamque; nam «quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat»[2]; attamen iuxta acceptionem strictiorem et hodie ubique usitatam damnificatio distinguitur a furto et definiri potest:

91 **Definitio.** *Iniusta damnificatio est actio, qua quis alteri damnum causat, quin ipse emolumentum materiale inde capiat.* — Damnificator igitur causat damnum alteri et ipse non ditescit; fur vero causat alteri damnum et ipse ditescit. Unde e. g. ille, qui comburit vestem alterius, est damnificator; qui vero vestem alterius aufert sibi, est fur. — Ceteris paribus damnificatio solet esse gravius peccatum quam furtum, quia ex *odio* proximi saepe procedit, furtum vero solet causari ex inordinata concupiscentia pecuniae aut ex egestate furantis aliisque motivis, quae non sunt tam graviter peccaminosa quam odium proximi.

92 **Divisiones.** 1. Ratione *causae* damnificatio dividitur in *solitariam* et *cooperativam*. Prima habetur, quando damnificator per se solum causat damnum, altera vero, quando infert, *adiuvantibus aliis*, damnum. Damnificatio cooperativa peior est damnificatione solitaria, quia in illa non solum iustitia, sed etiam caritas proximi laeditur per scandalum vel cooperationem ad malum. De cooperativa damnificatione specialiter tractabimus in sequenti articulo.

2. Ratione *obiecti* damnificatio potest esse a) in bonis *supernaturalibus*, b) in bonis *naturalibus* sive corporalibus sive spiritualibus.

---

[1] Art. 633. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 62, a. 4.

Pessima est damnificatio in bonis supernaturalibus. Hinc qui destruit in anima proximi gratiam sanctificantem, fidem, aliaque dona supernaturalia gravissime peccat. De hac damnificatione sufficienter dictum est supra I, n. 605 sqq in tractatu de scandalo. In bonis autem naturalibus damnum potest proximo inferri dupliciter: vel eo, quod res proximi actione aut omissione iniusta alterius destruitur (e. g. vestis proximi comburitur aut ex industria aut ex culpabili negligentia), vel eo, quod proximus a consecutione boni debiti iniuste arcetur (e. g. aliquis inducit iniuste patrem, ut filium ab hereditate excludat). Bona naturalia, in quibus iniusta damnificatio accidere potest, sunt multa, e. g. fama, honor, corpus, vita, fortuna etc., de quibus omnibus infra dicetur.

3. Ratione *modi* (vel etiam moralitatis) damnificatio aut est pure *materialis* aut *formalis*. Formalis damnificatio vocatur illa, quae coniuncta est cum peccato seu, ut dicunt, quae procedit ex *culpa theologica*. Sic e. g. qui sciens et volens iniuste comburit domum alterius, committit damnificationem formalem. — Damnificatio materialis illa est, quae quidem reapse causat damnum, sed sine culpa *morali* damnificantis. E. g. ille, qui explodit scolpetum volens occidere leporem, et prorsus fortuito absque ulla neglecta cautione ferit hominem latentem, committit damnificationem materialem. Quae quidem damnificatio materialis aliquando coniuncta est cum sic dicta *culpa iuridica*, quae scil. nihil aliud est nisi omissio illius diligentiae, quam requirit lex positiva ad damnum praecavendum. Culpa iuridica ab auctoribus solet subdividi in latam, levem et levissimam. Culpa iuridica *lata* consistit in omissione etiam istius diligentiae, quam homines ordinarie et mediocriter prudentes diligentesque adhibere solent in operationibus suis. — Culpa iuridica *levis* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores. — Culpa iuridica *levissima* est omissio diligentiae, quam soli diligentissimi et acuratissimi quique in actionibus suis adhibere solent. — Quae quidem triplex subdivisio culpae iuridicae non invenitur expressa in codicibus modernis civilibus, qui non solent distinguere nisi inter negligentiam gravem et levem [1]. Culpa iuridica adesse potest (licet rarissime) sine ulla culpa theologica; vocatur tunc culpa mere iuridica, et damnificatio inde causata est pure materialis; ordinarie tamen culpa iuridica est coniuncta cum culpa theologica plus minusve gravi; quia revera est peccatum, non adhibere in actionibus nostris illam diligentiam, quam lex positiva iuste exigit.

Principium 1. *Damnificatio formalis non solum est ex genere* 93
suo peccatum grave, sed etiam inducit obligationem restitutionis, si

---

[1] *Grobe und geringe Fahrlässigkeit.* Cod. civ. Germ. § 276 statuit: «Fahrlässig handelt, wer die im Verkehr erforderliche Sorgfalt außer acht läßt», et § 827: «Wer im Zustande der Bewußtlosigkeit oder in einem die freie Willensbestimmung ausschließenden Zustande krankhafter Störung der Geistestätigkeit einem andern Schaden zufügt, ist für den Schaden nicht verantwortlich.»

haec triplex conditio adest, nempe si est vere, efficaciter et formaliter iniusta, vel, uti alii dicunt, si est iniusta, damni efficax et theologice culpabilis.

Explicatur et probatur. Damnificationem formalem esse peccatum ex genere suo mortale, per se patet. Etenim illa laedit tum caritatem tum iustitiam. Ad hoc autem, ut ex damnificatione formali revera obligatio restitutionis oriatur, requiritur:

94 1. Ut *actio damnificativa sit vere iniusta,* vel ut laeserit iustitiam commutativam seu ius strictum alterius. Sane actio damnificativa potest esse graviter peccaminosa, quin inducat obligationem restitutionis. E. g. ille, qui ex odio non salvat domum ardentem inimici, licet hoc facile possit, peccat graviter contra caritatem, sed non tenetur restituere, quia inimicus non potest ex iustitia exigere, ut sua domus ab alio homine privato salvetur. Omnino igitur requiritur, ut *ius strictum* proximi laedatur. Hinc facile solvuntur sequentes casus:

Resolves. a) Qui importunis precibus, suasionibus etc. inducit patrem, ut filio etiam partem legitimam subtrahat, tenetur ad restitutionem; laesit enim strictum ius filii.

b) Qui precibus, suasionibus etc. inducit divitem, ne det eleemosynas determinato pauperi, non tenetur ad restitutionem. Pauper enim (nisi sit in extrema necessitate) non habet strictum ius ad eleemosynam.

c) Qui detractione, calumnia, vi, fraude etc. procuravit, ne dives determinato pauperi daret eleemosynam, ad restitutionem tenetur. Nam licet pauper non habeat strictum ius ad eleemosynam, habet autem strictum ius, ne impediatur ab eleemosyna recipienda per media iniusta, qualia sunt detractio, calumnia. — Idem valet de illo, qui fraude avertit moribundum, ne testamentum condat in favorem tertii.

d) Qui detractione, calumnia aliisve mediis illicitis excludit aliquem a consecutione alicuius boni, cuius acceptio aut collatio *obiective mala est,* peccat quidem propter media illicita adhibita, sed ad restitutionem non tenetur. In hoc casu adesse peccatum, per se patet, quia «finis bonus non iustificat media mala». Non exsistere obligationem restitutionis exinde licet perspicere, quia homo exclusus a consecutione boni illiciti habuit quidem strictum ius, ne detractio, calumnia aliave media peccaminosa contra ipsum adhiberentur, sed nullum prorsus ius habuit ad ipsam consecutionem boni. E. g. aliquis fraude et mendacio calumnioso avertit iuvenem, ne pecuniam det meretrici. Non tenetur ad restitutionem erga meretricem. Etenim meretrix, licet habeat ius, ne mendacium calumniosum de ipsa dicatur, tamen nullum prorsus ius habet ad pecuniam accipiendam a iuvene libidinoso (saltem ante factam fornicationem).

95 2. *Actio damnificativa debet esse efficaciter iniusta.* Seu aliis verbis actio debet esse vera causa per se damni illati. Ratio est, quia ad reparandum damnum ille solus obligari potest, qui est *vera causa* illius sive per seipsum sive per alios ad hoc inductos. Unde non oritur stricta obligatio restitutionis, si actio fuerit a) in se bona aut indifferens, licet intentio agentis fuerit pessima; b) solummodo *causa per accidens* damni; c) occasio damni; d) conditio sine qua non damni.

Resolves. a) Iudex condemnans reum ex odio fere diabolico, sed iuxta leges iustas, peccat graviter contra caritatem propter odium suum, sed quia actio eius non est mala et iniusta, non tenetur ad restitutionem.

b) Caupo propinans vinum ebrioso, praevidens in ebrietate hominem habiturum esse magnum damnum, non tenetur ad hoc damnum resarciendum, quia eius actio non fuit per se, sed tantum *per accidens* causa istius damni. Si tamen caupo directe intendit hoc damnum ideoque propinat vinum, ut homo in ebrietate constitutus illud damnum revera patiatur, tunc revera iniuste agit eiusque actio est causa per se (saltem instrumentalis) damni, ac proinde debet damnum causatum resarcire.

c) Furtum commissum a Petro dedit occasionem, ut suspicio criminis caderet in Paulum, qui inde gravum damnum passus est. Petrus non tenetur ad restitutionem, quia eius furtum non est nisi *occasio* istius suspicionis. Si tamen Petrus consulto direxerit suspicionem furti in Paulum, adhibendo e. g. eius vestes aut instrumenta in furti exsecutione, occultando furti materiam in camera Pauli etc., tunc iniuste egit et tenetur ad restitutionem. Paulus enim habet strictum ius, ne quis data opera ipsi pravam suspicionem causet [1].

d) Si quis gladium reddit homini praeparato ad occidendum alium, est quidem conditio sine qua non huius occisionis, sed nihilominus non tenetur ad restitutionem ob occisionem factam, quia non est causa per se damni illati.

3. *Actio damnificativa debet esse formaliter iniusta seu procedere ex vera* 96
culpa theologica. Ratio est obvia; etenim sine vera culpa theologica seu peccato admisso actio damnificativa non est voluntaria. Iamvero actio non voluntaria nullam moralitatem nullamque obligationem importat. Insuper obligatio restitutionis oritur aut ex re aliena accepta aut ex iniusta actione. Porro nulla res aliena accepta est, quia damnificator non est ditior factus, ut supponitur. Neque etiam eius actio fuit iniusta, cum ob defectum voluntatis nullam moralitatem habuerit. Demum restitutio pro damnificatore est quaedam poena. Atqui poena supponit culpam. Ergo ubi nulla est culpa moralis, ibi nec est moralis obligatio restitutionis. Ex dictis sequitur non adesse obligationem restitutionis in sequentibus casibus:

Resolves. a) Medicus, qui ex errore inculpabili praebuit aegroto remedium nocivum, neque peccavit neque ad restitutionem tenetur.

b) Confessarius, qui ex errore inculpabili poenitentem liberavit ab obligatione restitutionis, neque peccavit neque ad reparationem damni tenetur.

c) Homo, qui prorsus fortuito sine ulla negligentia alium occidit, neque peccavit, neque obligatur ad reparationem damni materialis forsan illati.

De gravitate obligationis restituendi. Ex culpa theologica gravi oritur 97
gravis obligatio restitutionis, si tamen fuerit vere et efficaciter iniusta. Si autem culpa theologica fuerit levis, prius videndum est, qua ex causa sit levis: utrum ex parvitate materiae, an ex alia causa. Si fuerit levis ex parvitate materiae, i. e. ex parvo damno illato, adest *levis* obligatio restitutionis. Ita docent omnes, saltem moderni auctores. Ratio est, quia omnis iustitia commutativa laesa exigit reparationem, quae quidem mensuranda est tum ex parte materiae tum ex parte culpae. Iamvero in praesenti casu est materia levis et culpa levis. Ergo adest etiam levis obligatio restitutionis. Sin autem cum levi culpa [2] causatum fuerit *grave damnum,* auctores non concordant de obligatione restitutionis faciendae. Sunt quattuor sententiae:

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 635.

[2] Haec culpa levis potest accidere dupliciter: 1. *ex errore aut conscientia erronea,* e. g. aliquis vult destruere rem alienam, quam putat esse levem, quae tamen revera est magni valoris; 2. *ex imperfectione actus,* e. g. aliquis ex parva sed culpabili inconsideratione causat grave damnum.

1. Qui ex culpa levi causavit grave damnum, tenetur sub mortali ad reparationem totius damni. Ita Henricus a S. Ignatio[1] et pauci alii.

2. Tenetur ad reparationem totius damni sub levi. Ita Vasquez[2] et aliqualiter Waffelaert[3].

3. Tenetur ad reparationem partialem damni pro conditione culpae iuxta prudens iudicium viri. Ita Bonacina[4].

4. Tenetur ad nihil. Ita S. Alphonsus[5], Lugo[6], Lehmkuhl[7], Noldin[8], Göpfert[9] et plures alii.

Prima sententia obsoleta est. *Theoretice* loquendo nobis melior videtur secunda sententia, quia obligatio restitutionis mensuranda est praecipue ex culpa agentis, connotante tamen damnum realiter causatum. Hinc ubi est nulla culpa moralis, nulla est obligatio moralis restitutionis; ubi est gravis culpa, oritur et gravis obligatio (dummodo damnum causatum sit grave). Ergo videtur esse rationabile, ut ubi grave damnum cum levi culpa causatum fuerit, adsit levis obligatio reparandi hoc damnum. Argumentum autem, quod solet afferri pro quarta sententia minime est convincens. Dicunt: Neque gravis neque levis obligatio restitutionis ex levi culpa oritur. Ergo nulla obligatio exsistit. Non *gravis:* quia gravis obligatio non habet proportionem cum levi culpa; non *levis,* quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. Sed respondetur: Transmissa prima parte argumentationis, de qua hic non exsistit difficultas, altera pars est parum probativa. Numquid levis obligatio non potest esse circa gravem materiam? Numquid quis nequit se voto obligare sub levi ad rem gravem, e. g. ad peregrinationem longinquam? Numquid legislator nequit praecipere rem gravem sub levi obligatione? — Deinde haec quarta sententia aeque repugnat sensui communi hominum ac legislationi civili. En casus: Petrus hodie cum levi culpa comburit vestem Pauli. Tenetur sub levi ad restitutionem huius materiae levis, quod quidem satis communiter docent etiam auctores quartae sententiae. Crastina die Petrus cum aequali levi culpa comburit totam domum Pauli. Nunc ad nihil tenetur iuxta quartam sententiam, quia levis obligatio non potest versari circa tantam materiam! Alius casus: Petrus ditissimus non ex gravi, sed ex aliquali negligentia incendit domum Pauli, qui sic ad extremam paupertatem redigitur. Iuxta quartam sententiam Petrus potest tranquille frui divitiis suis nihilque solvere debet; Paulus autem potest mendicare et lugere de domo sua combusta, sed nullum ius erga Petrum habet! Numquid haec correspondent sanae aestimationi hominum? — Codex quoque civilis Germaniae[10] statuit, ut iuxta aequitatem compensari oporteat damnum illatum sine ulla culpa, dummodo tamen compensans inde non privetur bonis pro suo statu necessariis.

Ex omnibus hucusque dictis apparet, quartam sententiam *theoretice* non esse veram. Unde vel ipsi asseclae illam limitant[11].

Resolves. *In praxi* sedulo attendendae sunt in singulis casibus circumstantiae tum agentis tum damni illati, ut patet ex sequentibus exemplis:

1. Qui ex errore invincibili putat et vult destruere vitreum vile inimici, revera autem destruit cristallum pretiosissimum, ad totum damnum reparandum obligatur sub levi (si tamen potest).

---

[1] Ethica amor. l. 9, c. 116.
[2] De restit. c. 2, § 2, dub. 2, n. 2.
[3] Tract. de iust. II, n. 266.
[4] De restit. disp. 1, q. 1, n. 56.
[5] Theol. mor. l. 3, n. 552.
[6] De iust. et iure disp. 8, n. 57.
[7] Theol. mor. I, n. 1153.
[8] De praeceptis n. 435.
[9] Moraltheol. II, 161.
[10] § 829.
[11] Cf. *Noldin,* De praeceptis n. 434.

2. Qui ex quadam negligentia levi causat alteri grave damnum prorsus improvisum, mitius tractari potest. In quotidiana enim vita est moraliter impossibile, ut huiusmodi negligentiae leves evitentur. Si quis autem potuit et debuit praevidere grave damnum proximi et nihilominus est negligens, graviter peccat ac proinde obligatur ad restitutionem damni. E. g. medicus, qui praevidet magnum damnum aegroti et nihilominus vere negligens est, peccat graviter et ad restitutionem tenetur. Sin autem haec negligentia est valde parva, medicus ad nihil tenetur, quia est nimis difficile, ut medicus quotidie adhibeat in omnibus casibus perfectam diligentiam.

3. Qui ex motu secundo-primo irae alium graviter vulnerat aut occidit, non quidem ad totum damnum resarciendum ordinarie obligari potest in praxi (quia tunc etiam tribunalia civilia admittunt circumstantias attenuantes), sed tamen non videtur esse aequum, ut prorsus nulla compensatio exigatur. In hoc casu potest bene applicari sententia tertia supra a Bonacina proposita.

Optime notat Billuart de tota hac controversia: «Ceterum, quidquid sit de speculatione huius quaestionis, communiter advertunt cuiusvis sententiae auctores, raro contingere in praxi, quod causetur damnum grave ex culpa veniali; quia, licet inconsideratio venialis sit frequens in subrepticiis cogitationibus et internis animi motibus, qui saepe, facile et subtiliter oriuntur et quidem circa obiecta naturali inclinationi conformia, raro tamen contingit in operibus externis gravis momenti, quia ordinarie statim suum periculum ingerunt et fortius mentem excitant ad sui considerationem, aut saltem ad confusam periculi cognitionem. Unde, nisi certo constet, inadvertentiam fuisse venialem, habenda est in praxi pro mortali, conformis scil. damno, et inculcanda est obligatio restituendi sub mortali.» [1] Similia habet Concina, qui valde moderate et non rigide de hac controversia iudicat [2].

Principium 2. *Ex damnificatione materiali non oritur obligatio restitutionis nisi in duobus casibus, scil. 1) post sententiam iudicis; 2) si libere ita sit stipulatum.* 98

Explicatur et probatur. 1. Damnificatio materialis ex nulla culpa morali causatur, ac proinde nequit imponere in conscientia obligationem restitutionis, quae est poena pro culpa commissa. Nihilominus leges, quae decernunt etiam post damnificationem materialem adesse obligationem reparandi damnum, sunt iustae. Etenim istae leges omnibus civibus pariter favent; reddunt singulos homines vigilantiores, ne aliis ullum damnum inferant, et praecavent multas cavillationes et fraudes. Non obligant autem istae leges in conscientia, nisi post sententiam iudicis; quia generatim omnes leges positivae exigentes aliquam poenam duram, quae consistit in actione ponenda, non obligant, nisi post sententiam iudicis condemnatoriam [3].

2. Si praecesserit specialis contractus *explicitus*, obligans alterum contrahentem ad restitutionem in quocumque casu damnificationis, talis contractus est licitus, ac proinde etiam absque culpa theologica damnum causatum reparandum est. Tales contractus sunt saepe quasi-

---

[1] De iure et iust. diss. 8, a. 5. [2] De iust. et iure diss. 2, c. 5.
[3] Cf. supra de legibus I, n. 212.

assecurationes. E. g. possessor viae ferreae debet pretium restituere mercium, quae destructae sunt durante transvectione, quocumque demum modo haec destructio acciderit. — Sin autem contractus initus non est ita explicitus, sed potius implicitus, e. g. in commodato, in deposito, in susceptione alicuius officii, distinguendum est:

a) Si contractus est in solam utilitatem *recipientis,* ut in commodato, tunc damnificator tenetur ad restitutionem etiam *ex culpa levi iuridica,* cui tamen in praxi semper adiuncta est saltem levis culpa theologica. Ex commodato oriri obligationem pro damnificatore etiam leviter culpabili, iam determinavit Gregorius IX: «Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur, licet casus fortuitus . . . sibi non debeat imputari.» [1] Aequitas enim naturalis exigere videtur, ut res alteri commodata summa diligentia custodiatur. Unde e. g. si quis perdit librum commodatum etiam cum levi culpa, tenetur pretium illius restituere.

b) Si contractus cedit in solam utilitatem *dantis,* recipiens non tenetur de damno nisi *ex culpa lata* [2]. Ratio est, quia in istis contractibus recipiens nihil habet nisi onus, ac proinde esset iniquum, si praeter onus custodiae adhuc ex culpa levissima ad restitutionem teneretur. Casus iste saepe accidit in contractu depositi. Iura civilia solent statuere, in quantum recipiens aliquod depositum teneatur omnia damna resarcire, e. g. via ferrea aut caupo recipiens sarcinas viatorum. Ista statuta videntur obligare in conscientia etiam ante sententiam iudicis.

c) Si contractus cedit in utilitatem *utriusque* contrahentis, aut si tantum intercessit contractus implicitus ratione officii suscepti, contrahens tenetur resarcire damnum ortum *ex culpa lata iuridica.* Ratio autem est, quia quandocumque contractus sive explicitus sive implicitus fuerit initus, contrahens in se assumit onus fideliter observandi omnes clausulas contractus. Unde e. g. qui *pretio determinato* ab alio commodavit equum, tenetur damnum resarcire, quod equus ex lata culpa commodantis perpessus est. Medicus aut confessarius tenetur reparare damna, quae ex eorum culpa lata sunt orta. In praxi haec culpa lata semper includit culpam theologicam plus minusve gravem. Hinc e. g. confessarius, qui falso liberavit poenitentem ab obligatione restitutionis, tenetur reparare pro viribus damnum illatum, quia vi officii suscepti debet recte iudicare de obligationibus poenitentis. Longior sermo de hac re redibit infra in tractatu de poenitentia.

99 **Corollaria.** Ex duobus principiis positis et explicatis adhuc eruuntur sequentia:

1. Qui *eidem* personae (physicae vel iuridicae) multis parvis damnificationibus leviter culpabilibus et in unum coalescentibus tandem aliquando grave damnum intulerit, tenetur *sub gravi* ad reparationem damni illati. Ratio est, quia huic personae grave damnum scienter intulit et proinde in ulterioribus

---

[1] Cap. unic., X 3, 15. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 62, a. 6.

damnificationibus (saltem implicite approbans praecedentes) commisit gravem culpam theologicam. Sic e. g. ancilla, quae saepe sine debita licentia ex bonis heri parva dona dedit extraneis, tenetur sub gravi ad restitutionem, si inter singula dona non intercesserit notabile spatium temporis et omnia dona simul sumpta constituunt materiam gravem[1]. Sin autem propter notabile intervallum singula dona non coalescunt, non adest gravis obligatio restitutionis.

2. Qui *diversis personis* multa levia damna scienter causavit, tenetur *sub levi* illa reparare. Ratio est, quia nemini grave damnum illatum est, neque damnificator suis actibus ditior factus est. Differt ergo damnificatio levis multiplex illata diversis personis a furtis minutis, quia in illis damnificator non ditescit, in istis vero fur tandem ditior evadit.

3. Qui sine culpa posuerit actionem, ex qua damnum proximi secuturum sit, tenetur effectus actionis, in quantum possibile est, praecavere. Quod si non facit, approbat implicite actionem positam, fit theologice culpabilis et ad reparationem damni secuturi tenetur. Hinc e. g. medicus, qui inadvertenter falsum pharmacum propinavit, debet pro viribus effectus praecavere; secus ad reparationem damni tenetur[2].

4. Qui volens damnificare Petrum, ex errore damnificat Paulum, nihilominus ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia actio eius est vere, efficaciter et formaliter iniusta. Unde sententia opposita quorundam auctorum[3] est improbanda. Est celeberrimus casus, quem S. Alphonsus proponit[4]. Aliquis vult incendere domum Titii inimici; accedit ad domum, quam putat esse Titii, quae tamen revera est Caii, et incendit illam. Iuxta sententiam auctorum modo citatorum incendiarius ad nullam reparationem tenetur, saltem si non in confuso intenderit comburere etiam domum Caii. Non enim — aiunt — adest iniuria formalis in isto casu, quia incendiarius nullo modo voluit damnum inferre Caio, qui forsan est eius amicus. — Merito abhorrent quam plurimi moderni auctores ab hac sententia. Etenim iste incendiarius intendit et causat formaliter iniuriam proximi; est autem prorsus per accidens, quod erret circa personam damnificatam. Unde puto, esse in praxi reiciendam istam sententiam, quippe quae nimis repugnet morali hominum sensui, neque parvam invidiam causaverit casuisticae theologiae. — Pariter reicienda est similis sententia proposita a Gury[5], qui putat, non adesse obligationem restitutionis, si quis animo vindictae impulsus glandem explosit in capram inimici sui, sed loco caprae illaesae attigit et occidit vaccam eiusdem inimici. Etenim licet iste damnificator noluerit actu suo occidere hanc vaccam, tamen voluit damnum inferre inimico suo. Ergo adest gravis culpa theologica et damnum grave causatum; ac proinde adest etiam gravis obligatio restitutionis.

5. Qui solam iustitiam distributivam laeserit, non tenetur ad restitutionem. Saepissime autem simul cum iustitia distributiva laeditur quoque iustitia commutativa, et tunc sane reparatio damni facienda est. — Iniquus distributor officiorum et munerum publicorum tenetur ad restitutionem *erga communitatem,* si ministros prorsus ineptos elegerit, non autem si quidem digniores praetermiserit, sed tamen dignos et aptos statuerit. Aliquando etiam debet

---

[1] Defensores quartae sententiae supra allatae excusant hanc ancillam a restitutione, saltem si non attenderit ad grave damnum commissum. Ita *Noldin,* De praeceptis n. 434.

[2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 564.

[3] *Lugo,* De iust. et iure disp. 17, n. 78 vel potius disp. 18, n. 86; *Lacroix,* De consc. l. 3, n. 200; *S. Alph.* l. c. n. 629; *Sporer,* De iust. tr. 4, c. 2, n. 139; *Göpfert,* Moraltheol. II, n. 160. [4] L. c. [5] Comp. Theol. mor. I, 672.

reparare damnum causatum dignioribus praetermissis, si scil. a) muneris alicuius candidati per modum *onerosi* contractus convocantur; b) si supremus societatis superior inferiores distributores obligaverit, et quidem ex iustitia commutativa, ut optimos candidatos eligerent. In praxi raro aderit obligatio evidens et certa reparationis, si agitur de officiis et muneribus laicalibus. Aliter autem est, si agitur *de collatione beneficiorum ecclesiasticorum.* Circa quae sequentia communiter ab auctoribus docentur: Semper est peccatum grave, scienter conferre aliquod beneficium ecclesiasticum candidato *indigno.* Si praetermisso digniore candidato confertur beneficium minus digno, adhuc est peccatum; immo si agitur de *beneficio curato,* est peccatum grave [1]. Quando ex electione candidati indigni vel minus digni damnum grave obvenit beneficio seu communitati, collator iniustus tenetur hoc damnum reparare; econtra ad nihil tenetur ex iustitia erga dignos vel digniores candidatos praetermissos, quia isti nondum habebant strictum ius ad beneficium propositum. Unica exceptio est, si pro beneficio obtinendo sic dictus «Concursus» factus est, ut solet fieri in pluribus regionibus pro parochiis et quibusdam canonicatibus. Tunc enim iuxta sententiam probabiliorem et multo communiorem laeditur iustitia commutativa etiam erga candidatum digniorem iniuste praetermissum. Ratio est, quia evocatio ad concursum est quasi-contractus, iuxta quem collator promittit et debet conferre beneficium digniori. Unde in Concilio Tridentino [2] decretum est, ut iniuste praetermissus habeat ius appellandi, quo possit sibi evincere beneficium iniuste sibi negatum. Et revera talis candidatus iniuste praetermissus saepe non parvum damnum materiale patitur, quia non recipit reditus beneficii sibi inique denegati. Sunt tamen plures auctores (Dom. Soto [3], Navarrus [4], Martin. Ledesma [5]), qui negant obligationem restitutionis. De his duabus sententiis S. Alphonsus [6] scribit: «Non audeo recedere a prima sententia communi et valde probabiliori. Sed hanc secundam nec etiam audeo dicere improbabilem; quia revera non videtur constare, quod inter episcopum et oppositores intercedat pactum illud obligans rigorose ex iustitia commutativa.» Cum in Germania aliisque regionibus iam non habeatur *concursus proprie dictus* ad beneficia obtinenda, in istis regionibus iam non est ita practica haec quaestio.

ARTICULUS II.

De damnificatione cooperativa.

100 Quae hucusque dicta sunt, actionem damnificantem in se respiciunt et ipsum agentem, quatenus aut solus aut principaliter egit. Saepe autem accidit, ut plures cooperentur ad unum idemque damnum procurandum. Ideo statim occurrit quaestio, quae et quanta restitutionis obligatio in isto casu singulis cooperantibus incumbat. Cooperatio autem potest fieri novem modis, iuxta illos tritos versiculos:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

[1] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 1 de reform., et prop. 47 damnata ab Innocentio XI (*Denz.* n. 1197).

[2] L. c. [3] De iust. et iure l. 4, q. 6, a. 3 ad 6 concl. posterior.

[4] Man. c. 17, n. 74. [5] In IV sent. 2, 4, q. 18, a. 2, dub. 9, concl. 2.

[6] Theol. mor. l. 4, n. 109.

Tres posteriores modi dicuntur cooperatio *negativa:* sex vero priores vocantur cooperatio *positiva.*

Generatim notandum est, eadem prorsus duo principia applicari etiam in damnificatione cooperativa, quae supra de damnificatione simplici allata sunt, scil. 1. ex cooperatione non oritur obligatio restitutionis, nisi illa sit vere, efficaciter et formaliter iniusta; 2. ex cooperatione materiali non oritur obligatio restitutionis, nisi a) post sententiam iudicis condemnatoriam; b) nisi sit ita libere stipulatum. Aliqualis tamen exsistit difficultas in ipsa applicatione istorum principiorum, unde de singulis modis cooperationis damnificantis sequentia breviter notentur.

§ 1.

De cooperatione positiva.

1. Iussio, mandatum.

Stricte loquendo iussio non est idem ac mandatum, quia iussio 101
supponit *auctoritatem,* quae inducit aliquem ad agendum, cum mandatum ex *libera conventione* alteri actionem exercendam committat[1]. Pater iubet filio aliquid facere; amicus vero mandat amico aliquod opus. Mandatum vel iussio potest fieri vel *expresse,* ut si pater dicit filio: fac hoc; vel *virtualiter,* ut si herus significat subditis sibi gratum fore, si tale furtum faciant, vel si conqueritur, neminem ulcisci iniuriam sibi illatam. Qua ratione occisio S. Thomae Cantuariensis imputata est Henrico II Angliae regi. — In praesenti materia sumimus promiscue iussionem et mandatum. Mandans seu iubens est causa principalis; mandatarius autem vel exsecutor est causa secundaria vel instrumentalis. Quare etiam principaliter imputantur damna ex actione iniusta secuta mandanti seu iubenti.

Principium. *Ille, qui iubet aut mandat efficaciter et formaliter opus laedens iustitiam commutativam, tenetur ad restitutionem erga damnificatum, et aliquando etiam erga mandatarium.*

Veritas huius principii patet tum ex supra dictis de damnificatione iniusta, tum ex propositione 39 ab Innocentio XI damnata: «Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.»[2]

Obligationes mandantis erga damnificatum. Iubens aut mandans tenetur *damnificato* omnia damna reparare, quae vi mandati causata et praevisa sunt. Ratio est, quia iuxta commune adagium, «quod quis per alium fecit, ipse fecisse censetur». Dixi autem, iubentem vel mandantem teneri reparare damna *praevisa* et revera *vi mandati* causata. Nam si mandatarius limites mandati excesserit aut si damna prorsus inopinata acciderint, tunc iubens aut mandans de istis non obli-

---

[1] In lingua Germanica iussio est *Befehl;* mandatum vero *Auftrag.*

[2] *Denz* n. 1189.

gatur, quoniam omnia ista non sunt illi voluntaria ac proinde non imputanda. — Unde qui conduxit alium, ut tertiam personam percuteret, tenetur reparare damnum isti tertiae personae illatum. Sin autem praeter mandatum ille alius tertiam personam non tantum percusserit, sed occiderit, mandans non tenetur reparare damnum ex homicidio ortum. — Quando mandans mandatum suum revocat hocque mandatario notum facit ante exsecutionem mandati, tunc iam ad nihil tenetur, etsi iste ex propria malitia damnum infert; sin autem revocatio mandatario vel non innotuerit vel *post* exsecutionem mandati facta fuerit, obligatio mandantis immutata manet.

Obligationes mandantis erga mandatarium seu exsecutorem. Mandans debet etiam *mandatario* reparare damna forsan habita in exsecutione mandati, si vi, fraude aut etiam abusu suae auctoritatis mandatarium coegerit, et hoc damnum saltem in confuso praeviderit. Secus autem ad nihil tenetur. Ratio est, quia in primo casu mandans formaliter et efficaciter damnificavit mandatarium; in secundo vero casu mandatarius quasi propria sponte egit et proinde sequelas suae actionis portare debet. — Unde herus, qui famulam metu gravi et iniusto induxit ad periurium damnosum proferendum, tenetur omnia damna reparare, quae passura est famula ex periurio facto. Sin autem famula ex mandato quidem heri, sed prorsus libera peieravit, ipsa et non herus tenetur portare sequelas periurii probabiliter praevisas. Attamen etiam in hoc casu valde conveniens est, ut mandans partem damni in se assumat.

Nota. Ratihabitio non aequivalet mandato aut iussioni; quare si quis ratum habet damnum, quod alter in eius gratiam, sed sine eius mandato patravit, peccat quidem, sed non ad restitutionem tenetur, quia non est causa efficax damni. Regula 10 iuris in VI°: «Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari», non valet in hac materia, sed tantum in contractibus et poenis canonicis.

2. **De consulente.**

102 Consulens damnificationem ille est, qui suasione sua alium moraliter movet ad damnum inferendum. Consulens convenit cum mandante in eo, quod uterque impellit alterum ad damnum faciendum, sed in eo discrepat, quod consulens *ordinarie* est causa secundaria damni, dum mandans est causa primaria. Exsecutor consilii enim ordinarie agit proprio nomine, cum exsecutor mandati agat nomine alterius. Ex quo sequitur, ut exsecutor consilii primario, consulens autem non nisi secundario ad reparationem damni illati teneatur. — Consilium diversis modis fieri potest, sed praecipue est duplex: doctrinale et impulsivum. Consilium *doctrinale* convincit rationem, actionem esse licitam vel omnibus circumstantiis ponderatis esse faciendam, aut instruit de aptis mediis ad actionem perficiendam. Tale consilium doctrinale idque falsum praeberet e. g. confessarius, qui suaderet poenitenti, procurationem abortus esse licitam ac faciendam. Consilium autem *impulsivum* potius influit

in voluntatem hortatu, precibus, promissis etc. Consilium impulsivum vocatur *nudum*, si motivis intellectualibus non innititur; vocatur autem *vestitum*, si cum suasione etiam motiva convincentia aliave media agendi subministrantur. — Ad iudicandam obligationem restitutionis ortam ex consilio, nihil aliud requiritur nisi applicatio principii supra allati, scil. *consilium tunc obligat ad reparationem damni secuti, si fuerit vere, efficaciter et formaliter contra iustitiam commutativam.* Ex quo principio illico sequuntur sequentia **corollaria:**

a) Consilium non censetur efficaciter damnosum, quod datur ei, qui iam 103
omnino determinatus est ad damnum inferendum, neque propter consilium ad maius malum perpetrandum movetur. Quodsi quis non ipsam substantiam actionis damnosae, sed modum, tempus aut alias circumstantias iniuste suaserit, videndum est, num hoc consilium efficaciter aliquod damni intulerit[1]. Si ita est, obligatio reparandi illius damni adest; secus non. — Hic celebris occurrit quaestio, num liceat suadere minus malum illi, qui iam paratus est ad maius malum? Praecisa quaestione de moralitate istius consilii in aliis materiis (de quibus videsis supra I, n. 121 de moralitate actuum humanorum), in praesenti tantum loquimur de consilio minoris mali in materia iustitiae commutativae. Respondemus autem cum distinctione:

α) Qui suadet minus malum *eidem* personae inferendum, non peccat, neque ad reparationem damni tenetur. Hinc qui suadet latroni parato ad occidendum hominem, ut tantum auferat pecuniam illius, non peccat. Si tamen tale consilium datur *pravo animo,* puta, quia facilius et securius damnificator potest causare minus malum, consulens non tantum peccat, sed etiam ad restitutionem tenetur pro quanto haec circumstantia nocet proximo.

β) Qui suadet, ut damnum in bonis fortunae potius divitibus *in genere* inferatur quam homini pauperi, item non peccat. In praxi iste casus raro accidet, quia damnificator omnino paratus ad agendum, etiam solet esse determinatus quantum ad personas damnificandas. Unde, qui suo consilio vult eum avertere a mala actione, debet illi suadere aliquid determinatum et non aliquid generale.

γ) Qui suadet, ut damnificator potius Petro diviti damnum inferat quam Paulo pauperi et forsan amico, peccat et ad reparationem damni tenetur. Ita sententia communis et vera, quia talis consulens est revera iniusta causa efficax damni tali personae determinatae illati. Atque haec persona est rationabiliter invita, quod sibi ex consilio isto damnum est illatum[2]. Quidam tamen theologi[3] etiam in hoc casu consulentem excusant a peccato et reparatione damni illati, quia, inquiunt, consilium huiusmodi est conforme caritati, proindeque damnificatus est quidem graviter invitus contra *damnificatorem,* sed non contra consulentem. Merito dicit Tanquerey[4]: «Hoc argumentum debile videtur; nam si consilium non fuisset datum, damnum huic determinatae personae illatum non fuisset; iamvero haec non tenetur iuri suo cedere ad vitandum maius damnum alterius. Unde in praxi prior opinio nobis sequenda videtur.»

b) Qui consilium datum strenue revocat, *antequam* damnum illatum est, non tenetur ad reparationem damni, quod non obstante revocatione damni-

---

[1] Cf. *Billuart,* De iure et iust. diss. 8, a. 13. [2] Cf. ib.

[3] Vasquez, Turrianus, Ballerini; Göpfert (Moraltheol. II 164) vocat hanc sententiam sat probabilem. [4] De iust. c. 3, n. 522.

ficator illaturus est. Ita docent omnes, si consilium datum fuit impulsivum vel *nudum* et non vestitum. Sin autem consilium fuerit rationibus fulcitum atque media ad exsecutionem operis indicaverit, non sufficit simplex revocatio, sed consulens tenetur totis viribus damnum proximi praecavere; et si damnificatorem ab exsecutione iniustae actionis avertere nequit, tenetur damnificandum monere, ut sibi caveat. Quod si consulens haec omnia fecerit, praesertim si dederit malum consilium in bona fide, iam ad nihil amplius tenetur, quia non est damni causa theologice culpabilis. Quodsi vero *ex mala fide* consulens dederit consilium, quod nunc ita strenue revocat, videtur itam esse liber a damno illato reparando, quia tunc revera fecit omnia, quae potuerit, ad damnum proximi praecavendum, et quia damnificator tunc iam non ex virtute consilii accepti, sed ex propria malitia agere censetur. Contrarium tamen docent quidam auctores, e. g. Billuart [1].

c) Consulens malam actionem ordinarie ad nihil tenetur erga *damnificantem*, nisi tamen α) dolo, fraude et mendaciis usus fuerit, et β) ex officio suo tenebatur dare rectum consilium. Ratio est, quia ille, qui exsequitur consilium acceptum, libere et scienter damnificat. Scienti autem et volenti non fit iniuria. Sin autem exsequens consilium in errorem inductus fuit mendaciis et fraudibus consulentis, aut ex reverentia erga consulentis statum atque officium revera passus est iniustitiam, et ius habet ad indemnitatem exigendam. Hic ultimus casus accidere potest praesertim in officio advocati et confessarii. Advocatus vel confessarius dans falsum consilium, ex quo sequitur damnum materiale sive pro acceptante et exsequente consilium, sive pro tertia persona, peccat, et si consilium datum non pro viribus revocat, ad reparationem omnis damni obligatur. Quilibet enim petens consilium strictum ius habet exigendi, ut is, qui *ex officio* dare debet consilia, sufficientem scientiam habeat et moralem diligentiam adhibeat. Ille quoque, qui non ratione officii, sed tamquam mera persona privata consilium nocivum dederit, tenetur saltem ex caritate, illud revocare, et hoc valet, sive ex bona sive ex mala fide consilium dederit. Ratio est, quia quilibet tenetur saltem ex caritate, damnum proximi praecavere.

d) In praxi saepe dubium est, num consilium datum revera *efficaciter* damnum patratum produxerit. Hoc praesertim valet, si mulieres plebeiae aliique generatim, quorum insufficientia nota est, consilium nocivum dederint. Proindeque satis raro aderit gravis obligatio damni reparandi, quod consilium capiens tertiae personae intulerit. Praesertim valde dubium est, num ille, qui *exemplo* suo alium ad iniustam damnificationem movet, ad restitutionem teneatur. Negant Valentia, Sanchez, Laymann; affirmant Billuart aliique, sed in casu particulari videndum est, num exemplum aut scandalum datum revera efficaciter in actionem alterius influxerit. Si ita est, adest obligatio reparationis; secus non. Ut plurimum influxus mali exempli est dubius, et proinde non adest obligatio reparationis.

3. De consentiente.

104 Consensus aliquando sumitur pro approbatione alicuius facti. Sic e. g. homo irreligiosus audiens iniquas leges contra Ecclesiam esse latas exclamat: Hoc bene factum est. Plane consentio. — Talis consensus per se nullo modo influit in damnum illatum; per accidens

[1] De iure et iust. diss. 8, a. 13; cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 559.

tamen potest causare iniustam damnificationem, quia iniqui legislatores videntes consensum populi redduntur animosiores in pravis legibus condendis neque revocant leges iniquas iam latas. — In praesenti loquimur de consensu, qui *per se* damnificat, et tunc consentiens dicitur ille, qui approbatione externa, suffragio vel sententia sua vere et efficaciter cooperatur ad damnum proximi, e. g. iudex iuratus (vulgo *le jure*), qui cum aliis sententiam fert; deputatus, qui suo suffragio cum aliis iniquam legem condit (v. g. de bonis ecclesiasticis rapiendis); elector, qui cum aliis quendam indignum ad officium vel beneficium eligit. — Iterum hic applicandum est principium generale supra enunciatum, scil. *consentiens ad reparationem damni tenetur, si vere, efficaciter et formaliter suo consensu ad damnum cooperatus fuerit.* Ex quo principio sequentia **corollaria** fluunt:

a) Qui negligens fuit in eligendis deputatis ad «Parlamentum», non 105
obligatur ad reparationem damni, quod ortum est ex iniquis legibus, quae a deputatis conditae sunt, tum quia votum unius electoris minimum influit in electionem deputati, tum quia electores non possunt respondere de omnibus legibus, quas condent deputati electi. Sed nihilominus fideles sunt diligenter et prudenter instruendi, ut ius suffragii probe exerceant, ne pravi deputati eligantur. Merito quis vocavit iniuriam et vanum timorem plurimum civium, qui suffragium non dant pro bonis deputatis, «*peccatum electorale*». Quod quidem peccatum non videtur esse levioris ponderis. Sane si nostris temporibus viri catholici unitis viribus ius suffragii exercerent pro eligendis bonis deputatis, non adessent tot leges nequissimae. Propterea maxime solet displicere hominibus Indifferentismo et malesano Liberalismo addictis, si sacerdotes diligenter commoneant fideles, ut ius suffragii rite exerceant; ac proinde hostes religionis continuo movent querelas contra tales sacerdotes, quasi isti se ingerant rebus politicis. Ideoque in hac re magna *prudentia* opus est, ne sacerdotes accusentur aut in ephemeridibus publicis, aut in tribunali laicali.

b) Deputati in comitiis publicis, qui vel *α)* ex condicto (i. e. qui ad easdem partes pertinent, seu eiusdem «fractionis» sunt) vel *β)* suffragiis secretis, vel *γ)* aliis modis efficaciter iniquam legem condiderunt, tenentur sub gravi ad reparationem damni materialis causati. In praxi duplex oriri potest difficultas, nempe, utrum suffragium unius vel alterius deputati revera efficaciter influxerit in legem iniquam condendam, et deinde, quantum damnum ex lege condita ortum sit. Saepe utraque et praesertim secunda difficultas certo solvi nequit. Sin autem non certo constet de efficaci influxu suffragii, obligatio reparandi damni imponi non potest. Cum fere semper agatur de legibus bona ecclesiastica laedentibus, deputato, qui sic peccavit et nunc poenitentiam agere cupit, post absolutionem a censuris forsan incursis convenienter imponitur congrua eleemosyna danda Ecclesiae, nisi confessarius velit pro maiore securitate consulere S. Poenitentiariam.

c) Qui sive culpabiliter sive bona fide consensum dedit ad damnum inferendum, illum revocare tenetur. Quod si fecerit *ante* damnum illatum, ad nihil ultra obligatur; quod si vero non fecerit, de damno reparando tenetur.

106 4. **De palpone.**

Palpo dicitur ille qui laudando, vituperando, adulando movet alium ad damnificandum. Sic e. g. palpo est, qui irridet patientiam laesi; qui exaggerat iniuriam illatam dictitans huiusmodi non esse ferendum a viro nobili; qui describit vilitatem offendentis etc., et haec omnia facit ad alterum instigandum ad vindictam. Pariter palpo est, qui praedicat furti aut damnificationis utilitatem. Qui ergo his aut similibus modis movet vere, efficaciter et formaliter ad iniustam damnificationem, tenetur ad restitutionem. Neque necesse est, quod damnum *directe* intendat; sufficit, ut indirecte velit illud, praevidens secuturum ex sua palpatione. Quae supra dicta sunt de consulente, valent etiam de palpone; unde palpo iisdem obligationibus obnoxius est ac consulens, dummodo tamen revera efficaciter in damnum alterius influxerit. Aliquando palpo sumitur pro approbatione aut laude operis iniusti iam *facti*. Patet huiusmodi approbationem non inducere obligationem damni reparandi, nisi tamen inde damnificator ad novas iniurias inductus aut ad iniuriam iam factam non reparandam instigatus fuerit.

107 5. **De praebente recursum.**

Recursum praebens seu receptans (vulgo *Hehler, receleur, receiver of stolen goods*) ille est, qui malefactori aut furi *ut tali* refugium praebet, quo securus evadat contra insequentes et bona furtiva deponere possit. Dixi *ut tali*, quia si eum recipit et fovet non ut furem aut malefactorem, sed ut amicum aut consanguineum, non est receptans aut recursum praebens. Iure merito huiusmodi receptores malefactorum graviter puniuntur; saepe enim maius causant damnum quam ipsi malefactores aut fures[1]. In foro autem conscientiae receptatores tenentur ad reparanda damna, in quantum a) securiores reddunt malefactores ad iniurias faciendas et b) sunt causa, cur bona ablata non restituantur. Huiusmodi receptatores sunt praesertim plures sic dicti «mercatores antiquitatum»[2] et veteramentarii[3], qui a famulis, filiis familias aliisque hominibus scienter emunt res furto ablatas. Quantum ad modum restitutionis, isti receptantes sunt tractandi sicut possessores malae fidei, aut aliquando, si res empta non certo est ablata furto, sicut possessores dubiae fidei[4].

Praebens recursum haud raro participat etiam in re iniuste ablata. Tunc autem tenetur ad restitutionem non solum ut recursum praebens, sed etiam ut in praeda participans, de quo statim sermo erit.

---

[1] Unde commune adagium: «Ohne Hehler keinen Stehler!» «S'il n'y avait point de receleur, il n'y aurait point de voleur.»

[2] *Altertumshändler.* [3] *Althändler, Trödler.* [4] Cf. infra n. 215 sqq.

6. De participante. 108

Participans duplex est: a) participans *in praeda*, qui partem rei iniuste ablatae accipit; b) participans *in actione*, qui principalem damnificatorem adiuvat in actione iniusta, e. g. furi instrumenta praebendo, excubias agendo etc.

Participans *in praeda* restituere debet ea omnia, quae a fure iniuste ablata ipse accepit. Ideo tractandus est tamquam possessor malae, dubiae aut bonae fidei[1].

Participans *in actione* iniusta reparare debet damna, quorum ipsa sua actio est causa efficax et culpabilis. Omnino autem requiritur, ut adfuerit culpa theologica; secus enim non adest obligatio restitutionis, idque praesertim, si cooperatio tantum fuit materialis[2]. Participans enim excusabitur a reparatione damni causati, dummodo adsint requisitae conditiones, scil. 1. ut actus non sit intrinsece malus; 2. ut eliciatur ex causa relative gravi; 3. ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona vel saltem indifferenti. In praxi saepe difficulter determinatur *quantitas* reparationis faciendae. Sit haec regula generalis: Si cooperatio ita necessaria fuit, ut sine illa impossibilis fuisset actio damnosa, tunc cooperans tenetur totum damnum (in solidum) reparare[3]. Sin autem cooperatio non erat adeo necessaria, ita ut etiam sine illa damnum causatum fuisset, cooperans tantum *ad partem* damni reparandam tenetur, et quidem pro quantitate influxus.

Solent hic auctores movere quaestionem, num a culpa et restitutione excusentur ii, qui ob metum gravis detrimenti cooperantur in iniusta actione damnificativa. Solutio huius quaestionis non potest aliter dari ac recurrendo ad principia de voluntario indirecto. Sed difficultas exsistit in recta applicatione istorum principiorum. Satis communiter docent auctores: 1. numquam licere immediate cooperari ad iniustam *necem* alterius; 2. numquam licere immediate cooperari ad iniustam *vulnerationem gravem* alterius. — Sin autem agitur de damnificatione in *bonis fortunae*, tunc auctores non concordant. Omnes quidem concedunt cooperationem *remotam* ad damnificationem esse licitam, dummodo adsit causa proportionate gravis. Sic e. g. ob metum mortis vel alterius gravissimi mali licere scalam tenere furi ascendenti, tradere ipsi claves ad reserandam arcam, deferre praedam iam ablatam et similia[4]. Illicitam et intrinsecus malam esse cooperationem *proximam* ad iniustam damnificationem docent Billuart[5], Salmanticenses[6]. Hanc autem cooperationem proximam ex gravissima causa, e. g. metu mortis, esse licitam docent S. Antoninus[7], Sporer[8], S. Alphonsus[9], Lehmkuhl[10]

---

[1] Cf. infra n. 209 sqq.

[2] Cf. quae supra (I, n. 57 et 618) dicta sunt de voluntario indirecto et de cooperatione.

[3] Quid sit restitutio in solidum, cf. infra.

[4] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 8, a. 13, § 6 dico 2°. [5] L. c. dico 1°.

[6] Curs. Theol. mor. tr. 21 de praec. decal. c. 8, n. 75, ubi revocatur opposita sententia antea exhibita.

[7] Summ. theol. P. 2, tit. 1, c. 12. [8] De iust. tr. 4, c. 3, n. 41 et 42.

[9] Theol. mor. l. 3, n. 571. [10] Theol. mor. I, n. 1205.

pluresque alii, et quidem recte. Etenim ablatio seu damnificatio rei alienae non est iniusta, nisi in quantum dominus est rationabiliter invitus. Iamvero dominus non est rationabiliter invitus, si ego in gravissima necessitate constitutus illi damnum in fortuna causem, praesertim si habeo intentionem reparandi pro viribus hoc damnum[1].

§ 2.

De cooperatione negativa.

109 **Notiones.** Cooperatores negativi ii sunt, qui proximi damnum non impediunt, licet ad hoc *ex iustitia* teneantur. Tres modi huius cooperationis assignantur, qui quidem materialiter, non autem formaliter diversi sunt, scil. «mutus, non obstans, non manifestans». — *Mutus* dicitur, qui non loquitur, neque praemonet *damnificandum,* cum ad id ex officio aut contractu teneatur; e. g. custos, qui adveniente fure non clamat neque monet proprietarium. — *Non obstans* ille est, qui, dum infertur damnum, non obstat, licet ad hoc ex iustitia teneatur; e. g. custos silvae, qui non impedit, ne ligna caedantur iniuste. — *Non manifestans* vocatur ille, qui post damnum illatum damnificatorem non denuntiat domino laeso aut *superiori,* licet ex officio ad hoc teneatur; e. g. idem silvae custos, qui quidem bene cognoscit fures lignorum, sed eos non denuntiat auctoritati publicae.

Principium. *Qui ex iustitia commutativa damnum impedire tenentur illudque non impediunt, quando sine gravi incommodo possunt, damnum illatum reparare tenentur.*

Ratio est, quia in hac omissione culpabili habentur omnes conditiones iniustae damnificationis; est enim vere, efficaciter et formaliter iniusta. — Dicitur autem: «qui ex iustitia commutativa damnum impedire tenentur»; nam si adest tantum obligatio caritatis, oboedientiae vel alius virtutis, non oritur obligatio reparationis. Iam vero ex iustitia commutativa damnum impedire debent illi, qui ad id se obligaverunt aliquo *contractu explicito aut implicito.* Contractus implicitus habetur in libera susceptione cuiuslibet muneris seu officii. — Dicitur deinde: «quando sine gravi incommodo possunt»; nam nemo censetur se obligare ad praecavendum damnum alterius cum magno proprio incommodo, nisi hoc explicite in contractu contineatur.

110 **Corollaria.** 1. Confessarius, qui etiam ex culpabili negligentia omittit monere poenitentem de restitutione facienda, per se non tenetur ad reparationem damni, quod legitimo domino ex isto silentio oritur. Ratio est, quia confessarius non est vi officii sui constitutus ad bona temporalia sive sui poenitentis sive aliorum protegenda. Nihilominus talis confessarius male administraret sacramentum ac proinde peccaret; immo si eius silentium aequivaleret positivae approbationi, et praesertim

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 571.

si poenitens expresse de obligatione restitutionis quaesivisset, tunc confessarius esset causa efficax damni et ad restitutionem teneretur [1].

2. Famulus, qui non avertit damnum ab heri bonis sibi *specialiter* commissis, tenetur ad restitutionem. Quando autem agitur de aliis bonis heri non specialiter suae curae commissis, multi putant, famulos ex iustitia debere impedire damnum, quod *ab extrancis* inferatur, non autem damnum, quod infertur ab homine domestico, e. g. a filiis familias aut a famulo sodali. Alii tamen probabiliter utrumque negant et agnoscunt solam caritatis obligationem. Quae tamen obligatio caritatis facile gravis esse potest tum erga herum, tum erga malefactorem; cuius quidem obligationis memores sint famuli altum silentium tenentes de furtis filiorum familias.

3. Parentes aut superiores, qui permittunt, ut filii aut subditi proximo inferant damnum, peccant, sed ad reparationem damni non tenentur, nisi 1. sententia iudicis civilis eos propter culpam iuridicam commissam condemnaverit; 2. silentium illud potius positivo influxui comparandum sit, ac pro consilio aut excitatione habeatur; 3. damnum illatum sit a puero ante usum rationis, i. e. ante primum septennium completum. Ratio autem est, quia qualitas parentis aut superioris per se non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum.

4. Custodes vectigalium, silvarum, agrorum etc. tenentur ad reparationem damni *notabilis* illati, si damnificatores impune abire permittunt; at si agitur de damnis minoris momenti, non debent summum rigorem erga damnificatores exercere; tum quia secus sibi et aliis maiora incommoda procurarent, tum quia haec est voluntas domini laesi rationabiliter praesumpta.

5. Ille, qui a fure aliove damnificatore pecuniam accepit ad desistendum a denuntiatione [2], certo tenetur ad reparationem, si *ex officio* tenebatur denuntiare; certo etiam tenetur reddere pecuniam forsan ex ipso furto provenientem. Sed extra hos casus controvertitur: Quidam negant [3], quia tunc non laeditur iustitia, sed caritas tantum. Alii affirmant [4], quia pecuniam accipere et tacere in hoc casu nihil aliud est, nisi auxilium et securitatem praestare furi. Secunda sententia verior videtur, si pecunia praebetur *ante* furtum aut damnum committendum; econtra prima sententia verior et in praxi tuta est, si pecunia praebetur illi, qui *post* furtum aut damnum patratum hoc fortuito cognovit. Semper autem (licet non peccet contra iustitiam) male agit recipiens pecuniam ad celandum furtum aut damnum causatum, quia est contractus turpis et quia se exponit magnae infamiae et periculis, si suus agendi modus detegatur.

---

[1] Ib. n. 578. [2] Vulgo *Schweigegeld, hush-money.*

[3] *Lugo,* De iust. et iure disp. 19, n. 102; *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1208; *Génicot,* Cas. consc. I, n. 547.

[4] *Tanquerey,* De virt. iust. n. 541; *Crolly,* De iure et iust. III, n. 703.

ARTICULUS III.

De iniusta damnificatione per facta in bonis corporis humani.

111 **Praenotamen.** Postquam dictum est de damnificatione in genere, nunc de nonnullis damnificationibus, in quibus specialis difficultas invenitur, in particulari agendum est. Sequendo vestigia Angelici Doctoris[1] agemus prius de iniuriis commissis *per facta,* et deinde de iniuriis commissis *per verba.* Per facta iniuria potest accidere tripliciter: 1. laedendo directe ipsam personam proximi; 2. laedendo indirecte proximum, nempe in alia persona illi intime coniuncta; 3. laedendo proprias res proximi. De hac tertia laesione iam satis dictum est supra de damnificatione in genere. Laesio ipsius personae proximi prohibetur quinto praecepto Decalogi: «Ne occides», quibus verbis vetatur primario quidem homicidium, secundario autem quidquid proprium vel alienum corpus indebito modo laedit. Proximus autem laeditur indirecte in persona secum intime coniuncta per adulterium et stuprum. Ordo igitur dicendorum est sequens: 1. de iniuria contra proprium corpus; 2. de iniuria contra corpus proximi; 3. de iniuria ex stupro et adulterio orta.

§ 1.

De iniuria contra proprium corpus.

Supra n. 6, quando sermo fuit de obiecto dominii, probatum est homini competere quidem dominium utile, sed non dominium absolutum sui corporis. Homo est enim quasi villicus Dei ac proinde iniuriam committit erga Deum, si corpore abutitur vel illud pessumdat.

112 **Principium 1.** *Gravissimum peccatum est suicidium directum et privata auctoritate factum, i. e. occisio sui ipsius cum plena advertentia et perfecto consensu facta.*

Prob. Suicidii peccatum strictissime prohibetur a lege a) divina, b) naturali, c) ecclesiastica. In quinto Decalogi praecepto lex divina inculcat: «Non occides.» — Triplici ratione suicidium directum laedit *ipsum ius naturale;* est enim contra caritatem sui ipsius, violat iura communitatis humanae et ipsius Dei. — Suicidium ergo primo laedit caritatem sui ipsius. Etenim unusquisque debet se ipsum diligere, et ex hoc amore oritur vehementissima inclinatio semetipsum conservandi atque resistendi morti. Unde suicidium est quid innaturale et laedens caritatem sui. Insuper facit iniuriam societati humanae. Quilibet enim homo debet esse membrum utile societatis humanae. Atqui proprio motu e vita discedendo homo iam nullam utilitatem afferre potest societati. Ergo iniuriam committit. — Demum suicidium est valde iniuriosum Deo, qui vitam homini dedit et continuo conservat ac proinde est perfectus dominus cuiuslibet vitae humanae. Unde optime dicit S. Paulus: «Nemo enim nostrum *sibi* vivit, et nemo *sibi* moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive

[1] S. theol. 2, 2, q. 64 sqq.

ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.»[1] Qui autem vitam suam suicidio perimit, destruit proprietatem Dei et proinde gravem iniuriam Deo infert[2]. — Suicidium graviter prohibetur a *lege ecclesiastica*, quae in poenam tanti criminis prohibet, ne suicidae corpus in loco sacro sepeliatur, neve Missa aliave liturgica suffragia pro illo celebrentur[3]. Has autem poenas ecclesiasticas non incurrunt illi, a) qui ex amentia aliave causa usum rationis impediente suicidium commiserunt; b) qui signa poenitentiae dederunt, antequam exspiraverint; c) si crimen fuit prorsus occultum, ne fama superstitum violetur; d) si dubium fuit, num mors ex suicidio orta sit, vel num suicidium fuerit commissum in amentia.

Dicitur autem, suicidium *privata* auctoritate factum esse gravissimum peccatum. Nam sive ex auctoritate divina sive ex auctoritate publica suicidium liceret. — Patet Deum posse alicui homini praecipere suicidium; ipse est enim supremus dominus vitae et mortis. Num autem revera Deus umquam tale praeceptum dederit, non certo constat. Facta enim, quae in vitis sanctorum[4] leguntur, non certo probant adfuisse praeceptum divinum. Isti sancti habuerunt certissime optimam intentionem, sed potuerunt per ignorantiam invincibilem aliquid facere, quod obiective illicitum fuit[5].

Numquid autem quis posset se occidere ex imperio auctoritatis publicae? E. g. aliquis condemnatus ad mortem per venenum aut suspensionem, potestne ipse venenum sumere vel se suspendere? Iste casus in Oriente accidit. Negat Billuart[6] (suamque sententiam vocat communiorem), sed non certo constat, id esse intrinsecus malum; quare reo liceret hunc moriendi modum *iubente* supremo iudice adhibere. «Si enim posset reus aperire os, ut venenum in eo infundatur; sic etiam potest manibus illud haurire, et sic etiam gladio se transfigere. Tunc enim iudex constituit reum carnificem sui ipsius.» Ita S. Alphonsus[7].

Scholion. De principalibus causis suicidii. Nostris temporibus suicidia fiunt frequentiora de die in diem. Causa fundamentalis huius lugubris experientiae videtur esse *defectus fidei* magis magisque irripens. Impossibile est enim, quod homo bene conscius de poenis gehennae (quas certo per totam aeternitatem patietur, si cum plena advertentia et deliberatione suicidium commiserit) non mavult tolerare omnes dolores huius mundi quam committere suicidium. Unde suicidia etiam multo frequentius accidunt apud incredulos quam apud catholicos. — Alia causa suicidiorum sunt libri et theatra, in quibus saepissime suicidium glorificatur et proinde commendatur. Sacerdotes non omittant populum deterrere ab enormi crimine suicidii.

---

[1] Rom 14, 7 sq.

[2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 64, a. 5, ubi etiam refutantur excusationes, quae aliquando pro suicidio afferuntur.

[3] Rit. Rom. tit. 6, c. 2, n. 3.

[4] S. Apolloniae, S. Pelagiae, S. Sophroniae.

[5] Cf. *Lessium* l. 2, c. 9, n. 23 apud *Noldin*, De praeceptis n. 327.

[6] De iust. diss. 14, a. 4, dico 4°.

[7] Theol. mor. l. 3, n. 369.

113 **Principium 2.** *Etsi autem suicidium directum numquam est licitum, aliquando tamen permittitur suicidium indirectum, i. e. actio inducens quidem mortem, sed praeter directam intentionem agentis.*

Explicatur. Actio indirecte causans mortem non est intrinsecus mala, ac proinde accedente causa proportionata licet. Sed nec indirecte licet se occidere nisi ex causa valde gravi, quia homini incumbit gravis obligatio conservandi vitam corporalem. Quaenam autem sit causa proportionate gravis, debet in singulis casibus prudenter aestimari. Eo maior requiritur causa, quo illa propius et certius mortem inductura est. Inter causas permittentes suicidium indirectum enumerantur *bonum publicum* et *bonum spirituale*. Certum est enim, hominem posse et debere vitam suam maximo periculo exponere, si hoc exigat bonum publicum. Sic milites cum evidenti vitae periculo debent pugnare in proelio; parochi debent sacramenta administrare, etiamsi propter epidemiam grassantem se exponant infectioni mortali. Etiam bonum spirituale et notanter bonum virtutis est causa excusans. Hinc missionarii laudabiliter proficiscuntur in regiones exteras et insalubres cum manifesto mortis periculo; sorores religiosae infirmis peste laborantibus servire possunt. — Si periculum mortis non est ita proximum, etiam levior causa excusare potest. Unde licet e. g. operariis vitrum conflare, metalla inaurare, in fodinis sulfureis laborare etc. cum periculo vitam notabiliter abbreviandi. Semper tamen peccat ille, qui ex *futili* ratione vitam suam periculo exponit aut abbreviat, e. g. viri, qui ex vana gloria pugnant in sic dictis pugnis taurinis, plures funambuli, ieiunium diutissime protrahentes (solius experientiae aut sponsionis causa). Pariter, qui mortem sibi accelerant per crapulam, per immoderatas passiones, per morphinismum; qui labores prorsus insolitos sine sufficienti ratione in se suscipiunt; qui recusant sumere remedia etiam ordinaria ad sanitatem conservandam aut recuperandam [1].

114 Quaestiones duas hic movent auctores: 1. *Num liceat se occidere ob vitandam mortem certam et duriorem?* Respondet S. Alphonsus [2]: «Licet se *indirecte* occidere: puta si quis se eiciat per fenestram, ut effugiat incendium; praesertim si adsit aliqua spes mortem evadendi. Ita docent Busenbaum, Lugo cum Lessio, Continuator Tournely et Sporer. Ac Elbel hoc permittit etiam reis detentis in carcere, ad evadendam certam sententiam mortis, vel etiam carcerem perpetuum.» Quidquid est de prima parte huius sententiae, quae videtur probabilis, cum ibi non agatur de ipsa morte sibi inferenda, sed potius de se exponendo maximo mortis periculo; sententia autem ab Elbel propugnata sustineri non posse videtur, nisi agatur de solo *periculo* mortis, non autem de certa ipsa morte. Secus etiam licerent illa saepius evenientia suicidia, quae committunt malefactores condemnati ad perpetuos labores in carceribus. Quod quidem nemo sane dicet. Ceterum ex ipsis verbis Elbel apparet, illum non loqui nisi de periculo mortis. Dicit enim: «Etiam in his circumstantiis non intendunt [milites] se ipsos occidere, sed solam per fugam quaerere liberationem a squalore perpetui carceris, qui multis haud immerito

[1] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 10, a. 3. [2] Theol. mor. l. 3, n. 367.

videtur intolerabilior ipsa morte; ergo si praeter eorum intentionem ex tali fuga mors sequatur, minime reputari debent hanc intendisse, sed potius in ordine ad eam permissive se habuisse.» [1]

2. *Num virgo possit eligere potius mortem quam sui violationem?* Certum 115
est, virginem non posse se directe occidere ad violationem evitandam, e. g. transfigendo gladio cor suum. Est etiam expressa sententia S. Thomae [2] dicentis: «Similiter etiam non licet mulieri se ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur; quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, ut vitet minus crimen alienum; non enim est crimen mulieris per violentiam violatae, si consensus non adsit, quia non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis, ut Lucia dixit.» Unde quae habentur in Decreto Gratiani [3] ex S. Hieronymo [4]: «In persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere», aut sunt pie explicanda, aut sunt deserenda. — Deinde etiam certum est, virginem in isto casu fugere posse cum evidenti periculo mortis, e. g. se proiciendo ex fenestra alta; sed non est certum, num virgo debeat potius permittere se occidi quam violari; e. g. cum invasor ei mortem minatur, nisi copulam permittat. Plures auctores affirmant [5], quia, cum femina possit copulam impedire, si timore inducta quiescit, sua tunc cooperatio vere moralis et voluntaria fit. Alii theologi [6] negant, dummodo virgo mere passive se habeat et absit periculum consensus. Ratio est, quia in illo casu violatio est aliquid mere physicum, et sicut virgo potest ad sanitatem recuperandam permittere violationem physicam per operationem chirurgicam, ita saltem ob eminentissimum periculum mortis potest permittere istam violationem per copulam extortam. Sane in secundo casu virgo praebet cooperationem materialem et proximam ad peccatum invasoris, et proinde requiritur multo maior causa quam in casu operationis chirurgicae; sed nihilominus invasor iste iam in corde reus est stupri ante opus externum patratum, et insuper fieret reus homicidii tum interni tum externi, si virgo non permissive se haberet. Ergo permissio mere passiva virginis potius prodest quam obest animae invasoris. Huic sententiae favere videtur etiam S. Augustinus [7].

De sui mutilatione. Eodem iure, quo prohibetur suicidium, 116
prohibetur etiam sui ipsius *mutilatio*. Sicut enim homo non habet plenum suae vitae dominium, ita nec etiam potest disponere de membris suis nisi ad usus a Deo determinatos. Verum quia partes sunt propter totum, si membri alicuius abscisio est necessaria ad totam vitam corporalem salvandam, licet membrum abscidere. Ita cum S. Thoma [8] docent omnes theologi. Ergo licet se submittere chirurgicis operationibus, quando vere utiles aut necessariae sunt ad sanitatem servandam. Praeterea liceret manum abscidere, si hoc esset necessarium ad fugam capiendam et sic ad evadendam mortem. Ob alios autem fines mutilatio fieri non potest, quia Deus numquam, neque ex-

[1] De homicid. n. 16, ed. *Bierbaum*. [2] S. theol. 2, 2, q. 64, a. 5 ad 3.
[3] c. 11, C 23, q. 5.
[4] Comm. in Ionam l. 1, n. 402 (*Migne*, Patr. lat. 25, 1129).
[5] Lugo, Salmanticenses, Azor, Bonacina etc., apud *S. Alph.* l. c. n. 368.
[6] Navarrus, Toletus, Soto etc. [7] De civ. Dei l. 1, c. 18.
[8] S. theol. 2, 2, q. 65, a. 1.

plicite neque implicite, tale ius hominibus concessit. Hinc non licet adolescenti se mutilare ad effugiendum servitium militare, neque pauperi ad maiores eleemosynas obtinendas, neque ad castitatem servandam evirationem seu castrationem facere, sicut fecisse narratur Origenes[1]. Unde merito Ecclesia tulit poenam irregularitatis contra illos, qui se castraverunt.

Num autem liceat pueros castrare (cum eorum consensu) ad conservandam vocem? Respondet S. Alphonsus: «Prima sententia probabilior negat cum Busenbaum, Sporer, Salmanticens., Lugo, Bonacina, Diana, Villalobos etc. Si enim dicunt: pro bono animae hoc non licet, quanto minus pro lucro temporali? Deinde aiunt, quod conservatio vocis non est bonum tanti momenti, ut liceat agere, quod natura reprobat. Secunda tamen sententia, quam tenet Tamburinus . . . et probabilem putant Mazzotta, Elbel, affirmat licere, modo absit periculum vitae et non fiat pueris invitis. Ratio istorum est, quia eunuchi utiles sunt pro bono communi, ad divinas laudes in ecclesiis suavius canendas; tum quia conservatio vocis non parvi quidem momenti in eis dicendum est bonum, cum per illud conditionem notabiliter in melius mutent, et per totam vitam nobilem et pinguem sustentationem sibi comparent. Et ideo tantum bonum iusta esse causa videtur, ut cum illo tale corporis nocumentum resarçiri licite possit. Tanto magis, quod hoc in dies in usum deducitur et ab Ecclesia toleratur.»[2] — Feliciter hodie iste usus castratorum cantatorum magis ac magis eliminatur. Et revera castratio ob hunc finem videtur esse illicita; nam plus quam dubium est, num cantus istorum castratorum sit suavior quam cantus virorum et puerorum. Et praeterea, si propter lucrum materiale capiendum licita esset castratio, tunc eunuchi apud Turcas etiam liciti essent. Insuper licitum esset frangere plantas pedis, sicuti fit apud Sinenses et Iaponenses. Insuper liceret virgini, cui maximae insidiae contra castitatem struerentur, corpus suum deturpare per mutilationem. Deinde liceret etiam procurare vasectomiam[3]. Quae quidem omnia abhorret sensus communis fidelium et recta theologia moralis. Ergo prima sententia in praxi tenenda est.

117 **Scholion. Desiderium mortis** potest esse quid 1. licitum; 2. illicitum; 3. imperfectum. Hoc desiderium est *licitum*, si oritur ex motivo bono, scil. ex desiderio coniunctionis cum Deo, iam amplius non posse peccare etc. In hoc sensu docet S. Paulus esse multo melius habere desiderium dissolvi et esse cum Christo, quam permanere in carne[4]. Est autem *illicitum*, si oritur ex pravo motivo, e. g. si quis cum rebellione erga voluntatem divinam mortem sibi optat, si quis ex impatientia iam amplius non vult hanc vitam tolerare. Raro autem hoc desiderium mortis est graviter illicitum, quia saepe non est ita voluntarium et serium. Demum desiderium mortis est quid moraliter *imperfectum*, si quis ab aliquo malo terreno, puta gravi morbo, incarceratione, durissima vitae statu etc., ita abhorret, ut malit mortem corporalem quam istud malum sustinere. Etsi tale desiderium non est graviter peccaminosum, quia iam in S. Scriptura dicitur: «Melior est mors quam vita

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 65. a. 1 ad 3. [2] Theol. mor. l. 3, n. 374.

[3] Vasectomia est caesio «vasorum deferentium». Quae quidem operatio chirurgica facillima esse solet et hodie saepe exercetur ad reddendum virum vel mulierem incapacem ad generandum. [4] Cf. Phil 1, 23—24.

amara» [1], est tamen aliquid imperfectum, quia homo patienter tolerando huiusmodi vitae terrenae mala gravissima in coelo pretiosam habebit mercedem, quam perdit desiderando mortem. Sunt nonnulli homines, qui etiam in ordinariis angustiis huius vitae saepe exclamant: Utinam essem mortuus! Utinam essem in sepulcro! etc. Huiusmodi exclamationes profecto sunt vitandae et obiective illicitae, sed saepe sunt actus semi-deliberati nec serio voliti; unde aut nullum aut veniale sunt peccatum.

§ 2.

De iniuria contra corpus proximi.

Praenotamen. Multis modis iniuria committi potest contra corpus proximi, maxime autem occisione ipsius seu homicidio. Homicidium est idem ac hominis proximi occisio. Proximus autem potest vel laedere bonum commune et tunc est malefactor puniendus, vel personae privatae causare magnam iniuriam corporalem, et tunc est aggressor repellendus, vel demum esse prorsus innocens. Tractamus igitur 1. de occisione malefactoris, 2. de occisione aggressoris, ubi etiam sermo erit de 3. duello et 4. de bello, et demum 5. de occisione innocentis, ubi agetur etiam 6. de craniotomia et 7. de abortu.

1. De occisione malefactoris seu de cruenta punitione.

Principium. *Auctoritas publica eaque sola ius habet occidendi* 118
eos, qui commiserunt gravissima crimina.

Prob. Ratio est, quia poena mortis est medium necessarium ad servandum bonum commune. Nisi enim magni malefactores possent occidi a publica auctoritate, isti semper arrogantiores evaderent et pacem securitatemque publicam valde diminuerent. Ideo etiam in S. Scriptura legimus hanc potestatem collatam auctoritati publicae [2] eiusque usum invenimus apud omnes populos. Nemo autem praeter *publicam auctoritatem* poenam mortis inferre potest, quia malefactores solum ob bonum commune licite occidi possunt. Ergo solus ille, qui ex officio procurare debet bonum commune, i. e. superior communitatis, morte potest aliquem punire. Ad rem scribit Angelicus Doctor: «Occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis, et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandae; sicut ad medicum pertinet praecidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura totius corporis. Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem; et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis.» [3] — Unde illicite agunt illi homines privati, qui quosdam malefactores statim post crimen commissum occidunt propria auctori-

[1] Eccli 30, 17. [2] Cf. Ex 22, 18 et Rom 13, 4.

[3] S. theol. 2, 2, q. 64, a. 3. Similia habentur ib. a. 2 et 7; q. 65, a. 1 et ad 2; q. 108, a. 3 ad 1; De malo q. 1, a. 5 ad 12; Contra gent. 3, 146. Semper autem affertur eadem ratio pro liceitate poenae mortis, scil. necessitas boni communis.

tate, quae quidem praxis vocatur vulgo *Lynchjustiz, lynching*. Ita saltem obiective loquendo, quia forsan plures ita agentes sunt in bona fide.

Iudices a suprema auctoritate constituti neminem licite possunt ad mortem damnare, nisi postquam in iudicio moralis certitudo habita sit de crimine gravissimo commisso. Pauca sunt crimina, quae a modernis codicibus criminalibus puniuntur poena mortis, e. g. homicidium voluntarium, perduellio, quaedam crimina durante bello. Non requiritur quidem ad liceitatem sententiae mortis, ut reus confessus sit crimen suum in iudicio, sed omnino oportet, ut moralis de crimine patrato certitudo habeatur. Milites et satellites ad capiendum aut custodiendum reum destinati nequeunt quidem illum fugam capessentem occidere, verum possunt explodere sclopetum in crura fugientis, ut ille capi possit. Sin autem hoc modo fugiens casualiter occidatur, satellites non peccaverunt. Ceterum satellites, custodes, milites solent habere speciales instructiones, quomodo in singulis casibus debeant agere. Non sunt inquietandi in conscientia, si iuxta has instructiones agant. — Per se patet, ante mortis sententiae exsecutionem tempus esse reo concedendum, sese cum Deo reconciliandi mediante bona confessione. Plures codices criminales statuunt, ut nulla mulier praegnans morte puniri possit, sed ut prius exspectandus sit partus.

Antiquis temporibus lex civilis permittebat, ut maritus possit occidere adulterum, qui in flagranti delicto capiebatur. Cum autem quidam theologi hanc legis civilis permissionem extenderent etiam ad uxoris occisionem, damnata est ab Alexandro VII propositio (19): «Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.» [1] Iam S. Thomas hanc quaestionem solvit: «Lex civilis quasi licitum computat, quod in ipso actu [adulterii] eam [scil. uxorem] interficiat, non quasi praecipiens, sed quasi poenam homicidii non infligens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis. . . . Et ideo in *nullo casu* licet viro interficere uxorem propria auctoritate.» [2]

119 **Verberatio punitiva.** Quae dicta sunt de poena mortis infligenda malefactoribus, valent etiam, proportione servata, de mutilatione et verberatione. Antiquis temporibus et etiam in Vetere Testamento quaedam crimina puniebantur mutilatione membrorum, e. g. abscisione manus, effossione oculorum etc. [3] Licet istae poenae fuerint durissimae et hodie iam non sint in usu, tamen potuerunt esse licitae et iustae. Qui enim habet potestatem occidendi, a fortiori habet potestatem mutilandi. *Privato homini* numquam licet mutilare alium sine eius legitimo consensu. Unde nec etiam medici possunt operationem chirurgicam facere sine consensu aegroti explicito et licito, qui quidem consensus in pueris usu rationis carentibus et in personis voto religioso

[1] *Denz.* n. 1119. [2] 4, dist. 37, q. 2, a. 1.
[3] Cf. Ex 21, 24; Lv 24, 20; Dt 19, 21.

obstrictis suppleri potest a legitimis superioribus. — Non tantum suprema potestas, sed etiam quilibet legitimus superior potest inferiores delinquentes moderate verberare. Cuicumque enim competit ius puniendi, ei etiam conceditur potestas moderate verberandi delinquentem. Unde nihil obstat, quominus parentes et magistri pueros inoboedientes moderate et discrete verberibus puniant. In his tamen cum magna iustitia, prudentia et moderatione agendum esse per se patet. Nulli autem *privato homini* licet verberare alium privatum, nisi tamen agatur de iusta defensione. Ratio est, quia non pertinet ad hominem privatum punire alium sibi aequalem. Saepe autem homini privato licet moderate verberare pueros dyscolos et damnificantes, tum quia merito supponi potest licentia parentum, tum quia secus fere nullum aliud remedium in praesto est, arcendi illos a damnificatione.

Scholion. De adversariis poenae mortis. Waldenses, Anabaptistae, Ieremias Bentham, Caesar Beccaria, Ch. Lucas, Spedalieri aliique negabant potestatem morte puniendi malefactores, et de facto in quibusdam paucis regionibus poena mortis abolita fuit, sed post paucos annos saepe instaurata est (e. g. in pluribus districtibus Helvetiae et Statuum Americae Septentrionalis). Tristis enim experientia comprobavit, malefactores non posse satis compesci timore carceris. Unde poena mortis haberi debet tamquam remedium salutare et efficax ad praecavenda crimina enormia, et ad pacem in republica conservandam. Non vacat solvere obiectiones, quae proferri solent ab adversariis poenae mortis; videsis Cathrein [1].

2. De occisione iniusti aggressoris seu de cruenta defensione.

Principium. *Unicuique licet iniustum aggressorem occidere, si* 120
hoc est necessarium a) ad servandam propriam vitam; b) ad servandam vitam proximi, et praesertim personae coniunctae; c) ad integritatem membrorum aliaque bona magni valoris tuenda.

Antiqui auctores hoc principium breviter enuntiabant: Licet occidere iniustum aggressorem cum moderamine inculpatae tutelae.

Prob. Ratio est, quia in istis casibus occisio aggressoris non directe intenditur, sed conservatio maximi boni, quod iniustus aggressor malitiose impugnat. Habentur igitur omnes conditiones, quae requiruntur ad ponendam causam, ex qua sequitur duplex effectus, alter bonus, alter malus, scil. conservatio vitae propriae et destructio vitae alterius. Etenim 1. intentio est bona, 2. habetur causa proportionate gravis, 3. actio posita non est in se mala, cum sit defensiva propriae vitae. Ergo licite agit, qui se ipsum defendit, etiam cum iniusti aggressoris occisione. Ita docent fere omnes theologi, paucis contradicentibus, e. g. Gerson, Norisio, Henrico a S. Ignatio. — Audiatur S. Thomas [2]: «Secundum iura, vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandum occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitae suae providere quam vitae alienae.»

---

[1] Moralphil. II 677 sqq. [2] S. theol. 2, 2, q. 64, a. 7.

Explicatur principium. Dicitur 1°: unicuique *licet*, quia generatim nemo *tenetur* hunc defensionis modum eligere. Occidere enim alium hominem est quid valde durum et horrendum. Porro generatim nullus homo privatus tenetur adhibere medium ita durum ad conservandam propriam vitam, nisi sit valde necessarius bono communi. Sic e. g. potest exsistere obligatio occidendi aggressorem, si invasus est pater, uxor, episcopus, Papa. Tunc enim accedit obligatio pietatis et caritatis. Sane illi, qui ad defensionem aliorum ex *officio* tenentur, ut milites, politia publica, etiam obligantur sub gravi occidere iniustos aggressores, si secus vita aliorum servari non potest.

Dicitur 2°: *iniustum* aggressorem; quia si aggressor iuste agit, non licet illum occidere, ut si satelles vel iustitiae minister ex legitima auctoritate iuridice damnatum ad mortis supplicium trahit, non licet vim vi repellere et istum satellitem aut ministrum occidere. Patet per se. Hinc ille, qui detinetur in carcere, non potest custodem carceris occidere ad propriam libertatem acquirendam. — Non requiritur autem, ut aggressor sit *formaliter* iniustus, seu ut agat ex culpa theologica, sed sufficit, ut velit salutem corporalem graviter damnificare. Unde etiam ebrius, amens, furiosus etc., mortem mihi intentans, potest occidi, si aliter actio eius impediri nequeat. Sive autem aggressor sit formaliter, sive sit materialiter iniustus, potest occidi, etsi forsan sit *in statu peccati mortalis* ac proinde in gehennam iturus sit; nam 1. status peccati mortalis non est certus in materialiter iniusto aggressore; 2. formaliter iniustus aggressor sibi ipsi et quidem sibi soli tale periculum imputare debet. — Aggressor ille tantum hic intelligitur, qui *actu* vim infert, non autem, qui est in potentia plus minusve remota inferrendi damnum. Unde occidi potest e. g. iniustus aggressor, qui iam stringit ensem, qui iam dirigit sclopetum in aliquem; non autem ille, qui praevidetur post aliquos dies aggressurus aut qui falso accusaturus est. Merito igitur damnata est ut scandalosa propositio (18) ab Alexandro VII: «Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.» [1]

Dicitur 3°: *ad servandam aut vitam propriam, aut vitam proximi, aut integritatem membrorum aliaque bona magni valoris.* Ergo non ob defensionem cuiuslibet boni licet iniustum aggressorem occidere. — Unde damnatae sunt ab Innocentio XI propositio (30): «Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat» [2]; et propositio (31): «Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.» [3] — Ratio autem horum omnium est, quia ex una parte caritas et iustitia laederetur, si proximus, licet iniuste aggrediens, privaretur maximo bono, scil. vita sua, propter parvum

[1] *Denz.* n. 1118. [2] *Denz.* n. 1180. [3] *Denz.* n. 1181.

damnum mihi illatum; ex altera autem parte unusquisque habet ius strictum sibi servandi bona magni valoris, ut sunt vita propria, vita proximi, integritas membrorum, pudicitia etc. Sin autem alter iniuste vult haec bona auferre, potest omnibus viribus retundi, quod si non potest aliter fieri, etiam occisione illius. Consulto autem dixi, «si hoc non potest aliter fieri»; etenim in defensione semper observandum est *moderamen inculpatae tutelae*. Unde si haec bona magni valoris servari possunt e. g. per verberationem aut mutilationem iniusti aggressoris, hoc utique fieri debet, et in isto casu occisio graviter esset peccaminosa. Bona, quae (servato sic moderamine inculpatae tutelae) defendere licet, sunt igitur praeter vitam et membra etiam bona fortunae et pudicitia.

a) **Bona fortunae** magni valoris, dummodo tamen ista bona 121
revera possideantur. Nam non licet occidere eum, qui nos impedit a consecutione bonorum, circa quae tantum habemus *ius ad rem*, ut patet ex propositione (32) damnata ab Innocentio XI: «Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam, ad quae ius inchoatum habemus et quae nos possessuros speramus.» [1] S. Alphonsus [2] quaerit, an liceat occidere furem rei magni momenti, et vocat sententiam affirmantem probabilissimam et communem, quam tenent S. Antoninus, Sylvius, Dom. Soto, S. Raymundus, Caietanus, Lugo, et clare adhaeret S. Thomas [3]. Postquam enim Angelicus Doctor attulit textum S. Scripturae: «Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis» [4], infert: «Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum.» Ergo supponit pro certo, textum istum permittere occisionem invasoris bonorum. Nec obstant verba, quae postea leguntur in eodem loco Exodi: «Quodsi orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.» Etenim quando ortus est sol, fur potest facilius cognosci atque per sententiam iudicis bona ablata repeti possunt. Ergo tunc illicita esset occisio furis, quia excederet moderamen inculpatae tutelae. Sententiam contrariam tenet Billuart [5]; sed rationes ab eo allatae non videntur esse probativae.

Quodnam sit bonum *magni valoris*, non ita certo constat. Non sufficit valor unius aurei ut patet ex modo citata propositione 31 ab eodem Innocentio XI damnata; censent autem theologi, rem magni valoris esse illam, cuius pretium aequivalet circiter summae *1000 marcarum*. Immo D'Annibale [6] putat, rem magni valoris esse iam 400 lire.

b) **Pudicitia.** Unde licet mulieri invasorem pudicitiae vi repellere, 122
et si iniustus aggressor vult copulam carnalem extorquere, mulier, deficientibus aliis mediis, potest illum occidere. Ita communis sententia. Etenim si licet defendere bona fortunae magni valoris per occisionem

[1] *Denz.* n. 1182. [2] Theol. mor. l. 3, n. 383.
[3] S. theol. 2, 2, q. 64, a. 7, arg. Sed contra. [4] Ex 22, 2.
[5] De iure et iust. diss. 10, a. 6, § 1. [6] Summula Theol. mor. II, n. 283.

invasoris, a fortiori licet hoc modo salvare bonum pudicitiae, quod est multo excellentius. Etenim in isto casu mulier non tantum exponitur periculo consentiendi actui peccaminoso, verum etiam evadendi gravida et portandi maxima onera partus et educationis prolis[1]. Cuniliati O. Pr.[2] de hac re scribit: «Invasor pudicitiae alienae, volens vi opprimere mulierem honestam, puellam aut masculum, posito quod nulla alia via evadendi pateat (quod alioquin difficile videtur, nihilominus hoc posito), iuste etiam occiditur, non intendendo occisionem sed suimet defensionem. Ita multi alii post S. Antoninum.» S. Augustinus[3] aliquando citatur tamquam contrarius opinioni nostrae, quia videtur approbare sententiam Evodii: «Quapropter legem quidem [civilem] non reprehendo, quae tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio.» Attamen ex contextu non apparet, num iste sit revera sensus S. Augustini. Billuart[4] strenue asserit, virginem non posse licite defendere pudicitiam cum occisione invasoris. Et revera rationes intrinsecae allatae a S. Antonino, quem sequuntur S. Alphonsus[5], Lugo, Molina, Lessius, Reiffenstuel, Elbel, Sporer etc.[6], non videntur esse ita convincentes, quia periculum consentiendi in peccatum non est ita grave; violatio physica virginitatis non videtur aequivalere vitae aggressoris et demum periculum concipiendi prolem fere nullum adest in talibus circumstantiis. Quibus tamen omnibus non obstantibus, sententia S. Antonini et S. Alphonsi videtur esse tuta in praxi, eo vel magis, quod tales stupratores, crimine vi extorto, saepe in talem rabiem abripiuntur, ut virginem stupratam statim occidant *(Lustmord)*. Virgo igitur versatur tunc etiam in periculo mortis, et sic licite potest iniustum aggressorem occidere. Sin autem agatur non de ipsa copula carnali, sed de aliis actibus impudicis, qui non ita magnum damnum aut ruborem causant, e. g. de osculis aut tactibus, licet quidem verberare sed non occidere iniustum aggressorem. — Postquam vero stuprum aut adulterium est vi extortum, iam non licet stupratorem aut adulterum occidere, quia tunc occisio non esset defensio sed vindicta illicita[7].

123 c) Ad defendendam **famam** aut honorem non licet iniustum aggressorem occidere. Patet ex propositione 30 damnata ab Innocentio XI[8]. Ratio est, quia tunc excederetur moderamen inculpatae tutelae; non enim honor aut fama salvatur ex eo, quod quis suum calumniatorem occidat. Unde iam ex hoc capite apparet, quam illicitum et ineptum sit duellum[9].

---

[1] Cf. *S. Antonin.*, S. theol. P. 2, tit. 5, c. 6. [2] Tract. 8, c. 2, § 2, n. 3.

[3] De lib. arb. l. 1, c. 5 (*Migne*, Patr. lat. 32, 1228).

[4] De iure et iust. diss. 10, a. 6, § 2. [5] Theol. mor. l. 3, n. 382.

[6] Apud *S. Alph.* l. c. [7] Cf. ib. n. 386. [8] Cf. supra n. 120.

[9] Quae hucusque dicta sunt de cruenta defensione, solent etiam a diversis codicibus criminalibus admitti. Sic e. g. habetur in Cod. crim. Germ. § 53: «Eine strafbare Handlung ist nicht vorhanden, wenn die Handlung durch Notwehr geboten war. Notwehr ist diejenige Verteidigung, welche erforderlich ist, um einen gegenwärtigen rechtswidrigen Angriff von sich oder einem andern abzuwenden.»

3. *De duello.*

Definitio. *Duellum est certamen inter duos vel paucos, factum ex condicto de loco, tempore et armis letalibus (vel saltem graviter vulnerantibus).* 124

Explicatur. Ad verum duellum constituendum nihil refert, qua intentione sit factum, e. g. vanae gloriae, honoris salvandi, officii servandi, vindictae sumendae causa. Unde in definitione nihil dicitur de intentione. — Dicitur autem 1°: certamen *inter duos vel paucos,* quia certamen inter duos exercitus iam non vocatur duellum, sed bellum. Licet antiquis temporibus duella celebrarentur ita, ut ex utraque parte simul plures personae pugnarent, hodie tamen iste modus duelli est inusitatus, et duellum est semper pugna stricte singularis, i. e. inter duas personas.

Dicitur 2°: *ex condicto de loco, tempore et armis.* Hoc condictum seu pactum est *essentialis conditio* duelli. Nam si duo pugnant ex impetu irae aut vindictae abrepti, non est duellum, licet forsan ad determinatum locum pugnandi causa accedant. Requiritur ergo, ut hoc triplex condictum in omni duello adsit. Quantum ad tertium condictum seu pactum requiritur et sufficit, ut sint arma apta ad infligendum grave vulnus, e. g. sclopetum, revolver, gladius, pugio (vulgo *Rapier, Schläger*) etc. Ergo duellum non est, quod fit exercitationis causa in quibusdam scholis gladiatoriis, vel quod fit virgis aut baculis. Non autem requiritur, ut istis armis statim infligatur letale vulnus, neve ut in duello adsit grave periculum mortis. Sufficit, ut grave vulnus infligi possit. Unde etiam sic dicta duella academica seu «mensurae», licet in illis non adhibeantur arma directe letalia, tamquam vera duella ab Ecclesia proscripta sunt[1].

Divisio. Duellum dividitur a) in *sollemne* seu publicum et in *privatum;* b) in *fatale* et *non fatale.* Duellum *sollemne* seu publicum illud est, quod antiquis temporibus auctoritate publica propter bonum publicum habebatur, e. g. ad finiendam litem inter duas gentes. — Duellum *privatum* illud est, quod nomine privato suscipitur, et quidem ordinarie ad honorem, uti dicunt, defendendum. Etiam in duello privato habentur patrini aliique assistentes. — Duellum *fatale* est illud, quod habet vel saltem intendit fatalem exitum, i. e. mortem alterius duellantis; secus vocatur duellum *non fatale.*

Principium. *Duellum publica auctoritate pro bono communi initum non est moraliter malum; privata vero auctoritate factum est graviter illicitum gravesque poenas ecclesiasticas inducit.* 125

Probatur. a) Duellum publica auctoritate initum licere, per se patet; nam si ex publica auctoritate exercitus contra exercitum pugnare potest propter bonum commune, a fortiori (ne scil. sanguis multorum effundatur) potest permitti propter idem bonum commune pugna singularis in duello. Sic licitum fuit, ut David pugnaret cum Goliath. Dico autem, hoc licitum non esse nisi *pro bono communi.* Unde nondum licita evadunt duella hominum privatorum, si potestas legislativa ali-

---

[1] S. C. Conc. 9 Aug. 1890.

cuius regionis nimis indulgeat duellis privatis, quia ex istis duellis privatis nulla utilitas oritur pro bono communi.

b) Duellum privatum graviter adversatur tum legi naturali, tum legi ecclesiasticae, tum etiam quibusdam saltem legibus civilibus. Et sane adversatur *legi naturali;* duellantes enim se exponunt periculo mortis aut gravis vulnerationis sine sufficienti motivo. Motivum enim duelli est honor salvandus. Quod quidem motivum licet non semper sit finis *operantis*, quippe qui haud raro perficiat duellum dura necessitate compulsus, est tamen semper finis *operis*. Nemo sanae mentis dicet, honorem sive meum sive alienum salvatum esse, si ego occiderim aut vulneraverim adversarium, vel — quod adhuc clarius est — si egometipse occisus aut vulneratus fuerim. — Ergo non adest sufficiens motivum duellum faciendi aut acceptandi, et sic se exponendi gravi periculo. Ad hoc accedit, ut ex duello saepe oriantur gravissima damna, quin ullum bonum notabile inde sequatur [1].

Cum autem duellum sit ita damnosum et irrationale, *lex ecclesiastica* pluries severissime illud prohibuit. Ita Concilium Tridentinum [2] statuit: «Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, reges . . . et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam [i. e. duellum] in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. . . . Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis . . . ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones puniri debeant, et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura.» Concilium pariter plectit excommunicatione consulentes aut spectantes duellum. Has leges Tridentinas Benedictus XIV ampliavit explicavitque in constitutione «Detestabilem» [3], in qua sequentes damnat propositiones ut falsas, scandalosas ac perniciosas:

1. «Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.»

2. «Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.»

---

[1] *Caietanus* (In S. theol. 2, 2, q. 95, a. 8) acuto ingenio tractat de malitia duelli concludens: «Aliena est natura duelli a natura iusti belli tam defensivi quam vindicativi. Et propterea nulla ex parte invenitur duellum esse proportionatum medium ad terminationem litis tam civilis quam criminalis. Et quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, patiatur potius qui non potest iura sua aliter tueri.» — De historia duelli videsis Staatslexikon der Görresgesellschaft s. v. «Zweikampf».

[2] Sess. 25, c. 19 de reform.

[3] 10 Nov. 1752; *Denz.* n. 1491—1495.

3. «Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.»

4. «Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.»

5. «Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.»

Ex quibus omnibus sequitur, ut duellum proprie dictum *numquam* sit licitum. Unde parvi facienda sunt sophismata, quae in favorem illius saepe afferuntur et quae clare et profunde reiecta sunt a Leone XIII in littera «Pastoralis officii» d. 12 Sept. 1891 ad episcopos Germaniae et Austriae. — Dico autem «duellum proprie dictum»; nam si est tantum pugna ad se suaque bona defendenda contra iniustum invasorem, tunc licitum est cum moderamine inculpatae tutelae, ut patet ex supra n. 120 dictis de iniusto aggressore.

Etiam *leges civiles* plurium nationum graviter prohibent duellum, et notanter lex Anglica[1]. In nonnullis autem regionibus, licet duellum per se sit prohibitum, tamen magna conniventia adhibetur erga illos, qui nihilominus duellum perpetraverunt.

Poenae ecclesiasticae contra duellum. Pius IX in bulla 126
«Apostolicae Sedis»

a) renovavit et extendit *excommunicationem* ipso facto incurrendam et S. Pontifici simpliciter reservatam contra «duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sunt, etiam regalis vel imperialis». Hac igitur excommunicatione plectuntur sex personarum classes:

1. Duellum *perpetrantes* (etiam duellum academicum seu «mensuram»[2]).

2. *Provocantes,* scil. *serio,* licet postea duellum ipsum non sequatur.

3. *Acceptantes.* Non excusat gravis metus perdendi officium[3].

4. Quilibet *complices* et favorem praebentes, e. g. patrini, testes, medici, locantes domum, dummodo tamen *duellum reipsa sequatur.* Quia si duellum propter aliquam causam impeditum est, tunc censura non incurritur a patrinis, testibus et medicis[4].

Medicus et sacerdos possunt quidem licite vocari ad illum, qui vulneratus est in duello, sed non possunt *ex condicto exspectare* in loco vicino duelli ad facilius adiuvandum illum, qui vulnerabitur. Hoc enim redderet duellantes animosiores, ac proinde esset idem ac favere duello[5].

---

[1] Articles of war n. 101. [2] S. C. Conc. 9 Aug. 1890.
[3] Cf. supra prop. 1. [4] Cf. *Hollweck,* Die kirchlichen Strafgesetze § 165.
[5] S. C. Inquis. 28 Maii 1884.

5. *De industria spectantes,* i. e. illi, qui palam et cum explicita intentione ad locum duelli accedunt aspiciendi causa et sic reddunt animosiores duellantes. Ergo non cadit sub excommunicatione, qui *fortuito* ad locum duelli venit et videt duellantes, aut qui nescientibus duellantibus aspicit pugnam *ex latebris.*

6. *Permittentes,* i. e. illi, qui possunt et debent *ex officio* duellum impedire et non faciunt.

b) Qui alium occidit aut mutilat in duello, incurrit duplicem *irregularitatem,* scil. ex delicto (homicidii) et ex infamia iuris. Qui vero in duello vulneratus est, incurrit tantum unam irregularitatem, scil. ex infamia iuris.

c) Qui moritur in ipso duello, aut paulo post ex vulnere accepto in duello, numquam potest donari *ecclesiastica sepultura,* etiamsi dederit signa poenitentiae et ante exspirationem absolutus fuerit a censuris. Ita Benedictus XIV in constitutione supra citata, qui sustulit episcopis et Ordinariis locorum facultatem super hac poena dispensandi aut interpretandi. Nihilominus in aliquibus regionibus mitior hac de re praxis exsistit [1].

127 **Scholion 1. De societatibus duellum foventibus.** Dantur in Universitatibus sic dictae corporationes studentium, quae vi statutorum ad duellum obligant casu occurrente. Sane nullus iuvenis catholicus membrum huiusmodi corporationum fieri potest, nisi a) sit urgentissima causa et b) spes fundata adsit, ut ille numquam futurus sit in necessitate duellum acceptandi, ac reapse numquam acceptet duellum. Quae duae conditiones si adsint, membra catholica huius corporationum aliquando in bona fide relinqui possunt. Quodsi quis hanc sententiam nimis laxam dixerit, tenetur etiam prohibere omnibus iuvenibus catholicis, ne accipiant munus officialis in fere omnibus exercitibus modernis, cum etiam ibi quilibet officialis vi statutorum ad duellum sit obligatus. Hoc autem nullus theologus docet.

128 **Scholion 2. De obligatione restitutionis orta ex duello.** Non facile est determinare in praxi iuxta principia de damnificatione iniusta, quando ex duello facto oriatur *obligatio restitutionis.* Sequentia tamen videntur esse satis certa: a) Qui alium *libere* provocat ad duellum, nullum ius habet ad exigendam reparationem damnorum forte ex duello sibi ipsi illatorum. Hinc si ipse vulneratur, omnes expensas medici portare debet; si moritur, eius heredes nihil reclamare possunt ab altero duellante. b) Qui est ab alio quidem provocatus ad duellum, sed *libere et sponte* illud acceptat, etiam nullum ius habet ad aliquam reparationem damni sibi illati. Praesumitur enim suo iuri cedere. c) Qui est provocatus ab alio ad duellum, illudque tantum gravi metu *coactus* acceptat, habet ius, ut alter duellans reparet omnia damna orta. Unde si vulneratus est, provocans tenetur resarcire expensas curationis (nisi

[1] Cf. *Göpfert,* Moraltheol. II 140.

tamen vulneratus hoc condonet explicite aut implicite); sin autem mortuus est in duello, tunc provocans debet heredibus reparare omnia damna orta ex duello et morte. Merito dicit Lehmkuhl[1]: «Quare falsum est, duellantes numquam tenere ex iustitia ad compensationem superstitibus faciendam.»

4. *De bello*[2].

Notiones. Bellum definiri potest: *congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios (extraneos).* Differt ergo bellum a duello, quod est congressio vi et armis inter duos aut paucos homines. Bellum aliud est *offensivum,* quod instituitur ad satisfactionem obtinendam pro iniuria accepta; aliud est *defensivum,* quod est repressio iniustae aggressionis ab altero principe aut regno factae. Utrumque bellum differt tum a *rixa,* quae est quasi quoddam privatum bellum, inter privatas personas, non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate ortum[3], tum a *seditione,* quae est quasi bellum civile et discordia armata inter cives unius regni. Differentiam inter haec tria S. Thomas hoc modo breviter indicat: «Bellum proprie est contra extraneos hostes, quasi multitudinis ad multitudinem; rixa autem est unius ad unum, vel paucorum ad paucos; seditio autem proprie est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, puta cum una pars civitatis excitatur in tumultum contra aliam.»[4] 129

Nota. Hodie sive ex iure gentium, sive ex consuetudine et humanitate magis exculta, modus bellandi valde differt a bellis in antiquitate aut medio aevo gestis. Immo hodie crudelia vocaret quis bella, quae fierent sicuti nobis describuntur e. g. bella Israelitarum in Vetere Testamento. Unde non omnia, quae veteres theologi permittebant in bello, hodie communiter licite fieri possunt.

Principium. *Ad licite inchoandum bellum requiritur triplex conditio, scil. auctoritas civilis potestatis supremae, causa iusta et intentio recta. Ad licite vero gerendum bellum servanda sunt vigentia statuta iuris gentium.* 130

Explicatur. Bellum aliquando esse licitum, ab omnibus (exceptis Manichaeis et Quäkerianis) admittitur. Bellum enim quandoque est unicum medium pro aliquo populo ad vindicanda iura propria, immo ad defendendam propriam exsistentiam. Praeterea si bellum esset quid illicitum, Deus ipse non praecepisset saepe bella in Vetere Testamento. — Ad licite autem inchoandum bellum iuxta S. Thomam aliosque auctores requiruntur tres conditiones:

a) *Auctoritas supremae potestatis civilis,* quia privata persona potest ius suum prosequi in iudicio superioris iudicis, et ideo non eget bello in propria

---

[1] Theol. mor. I, n. 1182.

[2] Concinne de hac materia tractat *A. Vanderpol* in operibus suis «Le droit de guerre d'après les théologiens et les canonistes du moyen-âge» (Paris 1911) et «La guerre devant le Christianisme» (Paris 1912).

[3] S. theol. 2, 2, q. 41, a. 1.

[4] Ib. q. 42, a. 1. In latiore tamen sensu huiusmodi seditio vocatur bellum civile.

causa; neque pertinet ad illam directe procurare bonum commune. — «Similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cum autem cura reipublicae commissa sit principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis vel regni seu provinciae sibi subditae tueri. Et sicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores perturbationes, dum malefactores puniunt, . . . ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus.»[1] Haec autem suprema auctoritas declarandi bellum aliquando residet in principe solo, aliquando in principe seu praesidente cum assensu Coetus legislativi.

b) *Iusta causa* eaque gravissima requiritur. Ratio est, quia in bello maxima damna oriuntur materialia, magnus *numerus hominum occiditur* et saepe etiam innocentes pati debent crudelitates durissimas. Priusquam igitur bellum inchoatur, totis viribus nitendum est, ut pax conservetur et causae bellum provocantes eliminentur. Quodsi omnes conatus fuerunt vani, licet bellum inchoare. Ad bellum *defensivum* non requiritur urgentissima causa; sufficit, ut princeps offerat satisfactionem convenientem querelarum alterius principis, quae si satisfactio spernitur, bellum defensivum licitum est. Ad bellum *offensivum* inchoandum non sufficit α) desiderium convertendi infideles ad veram fidem, neque β) ampliatio proprii imperii, neque γ) propria gloria etc. «Unica est et sola causa iusta inferendi bellum: est *iniuria* illata.» Ita recte dicit Franciscus de Victoria[2], unde e. g. sufficiunt causae sequentes: recuperatio provinciae iniuste ab altero detentae, vindicta gravis contumeliae reipublicae aut principi illatae, ultio de gente, quae foedus initum iniuste violavit etc. Hodiernis temporibus oriri potest quaestio, num gens civilizata possit bellum inferre tribubus paganis prorsus cultura carentibus, ad fundandas colonias? — Si isti pagani benigne tractantur atque illis congrua compensatio terrae amissae offertur, videtur bellum non esse ita illicitum. Ratio est, quia istae terrae secus remanerent incultae, atque incolis deesset magnum beneficium culturae moralis et religiosae. Videntur igitur esse irrationabiliter inviti, quod coloniae fundentur in suis regionibus. Ita theoretice loquendo; nam de facto nationes Europianae saepe summa cum iniustitia colonias fundaverunt in regionibus exteris.

c) *Recta intentio* necessaria est, qua scilicet intenditur, ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur, et qua actus verae iustitiae vindicativae exercetur[3]. De hac re scribit S. Augustinus: «Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, haec sunt, quae in bellis iure culpantur»[4], et: «Bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.»[5]

Si istae tres conditiones adsint, bellum licet inchoari. Nihilominus saepe multo melius est in discordiis ortis inter diversas nationes recurrere ad sic dicta internationalia tribunalia pacis; quia fere semper praestat pati aliquod damnum materiale quam flagellum belli sibi aut aliis parare. Unde haud immerito in Litania Omnium Sanctorum est deprecatio: «A peste, fame et bello, libera nos Domine!» — Nostris temporibus et in nostris regionibus iam non pertinet ad milites simplices aut officiales inferiores iudicare de liceitate

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 40, a. 1. [2] De iure belli n. 13.
[3] Cf. *Caietan.*, Summula, s. v. «Bellum».
[4] Contra Faustum l. 22. c. 74. [5] Ep. 189 ad Bonifac.

aut illiceitate belli; est enim prorsus impossibile pro homine privato cognoscere omnia motiva, quae sic dictam Diplomatiam nationalem ad bellum inchoandum induxerunt. Praeterea milites iam non sunt liberi ad pugnandum aut non pugnandum; econtra ipsa morte punirentur, si recusarent pugnare. Ergo in praxi quilibet miles et officialis subalternus potest iudicium suum suspendere de iustitia aut iniustitia belli, et si cogitur ad bellum, potest tuta conscientia pugnare. In illis autem regionibus, ubi adhuc milites libere conducuntur et libere possunt servitium militare deserere, res aliter se habet. Tunc enim quilibet miles ante initium belli debet sibi formare conscientiam de iustitia pugnae et belli.

Bello semel inchoato observanda sunt statuta iuris gentium. Quae autem in particulari a iure gentium iuxta modernam praxim permittantur aut prohibeantur, aliquando non ita apparet. Tamquam principium fundamentale haberi debet: *Bellum non geritur contra privatos cives sed contra gentem qua personam publicam,* ut iam supra n. 47 dictum est. — Milites graviter peccant, si in bello deserant servitium militare aut ad hostes transfugiant. Ratio est, quia graviter peccant contra oboedientiam, et quia se exponunt maximo mortis periculo; nam si capti fuerint, absque misericordia occiduntur.

Quando hostes victi pacem rogant, victor debet moderate uti parta victoria. Ergo conditiones pacis non debent esse durissimae. Sed nullius privati hominis est iudicare de aequitate talium compensationum et conditionum.

Scholion. De hominibus privatis durante bello. Hodie strictissime prohibetur, ne privati homines se immisceant durante bello rebus bellicis aut arma arripiant. Transgressores huius statuti sane iuste plectuntur subito poena mortis. Ergo durante bello caveant praesertim clerici, ne ullo modo verbis aut factis participent in bello. — Ex antiquis auctoribus praeter S. Thomam imprimis Franciscus de Victoria optime scripsit de iure belli[1].

5. De occisione innocentis in genere.

Principium 1. *Numquam et nemini licet directe occidere innocentem.* 131

Probatur. Nemo nisi solus Deus habet plenum dominium super vitam et mortem hominis, ut supra dictum est. Ergo nemo potest disponere de vita hominis, nisi in quantum est delegatus a Deo. Porro Deus dedit quidem supremae potestati civili potestatem delegatam occidendi *malefactores,* quia hoc est necessarium ad bonum commune societatis, sed numquam concessit talem potestatem occidendi etiam innocentes; quia hoc nedum non esset proficuum, sed valde nocivum societati humanae. Unde Deus strictissime praecipit: «Insontem et iustum non occidas.»[2] Quare gravissimum peccatum est occidere e. g. obsides, legatos, praesertim infantes nondum natos, letaliter vulneratos, senes aegrotos, moribundos, ne diutius patiantur etc. Occisio innocentis est peccatum in coelum clamans[3]. Usque adeo homicidium detestatur Deus in Sacra Scriptura, ut vel a bestiis dicat se repetiturum poenam caedis hominum[4], ac belluam, quae hominem caeserit, occidi iubeat.

---

[1] Relectiones theologicae lect. 6.
[2] Ex 23, 7. [3] Gn 4, 10. [4] Gn 9, 5.

Merito dicit Catechismus Romanus[1]: «Sunt homicidae humani generis atque ideo naturae hostes acerbissimi, qui quantum in eis est, universum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cuius causa is omnia, quaecumque procreata sunt, se fecisse testatur; immo vero in Genesi cum prohibitum sit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam et similitudinem creavit, insignem Deo iniuriam is facit, quasique violentas illi manus afferre videtur, qui eius imaginem e medio tollit.»

Occisio innocentis potest esse vel homicidium *simplex,* quando scil. occiditur homo non speciali dignitate aut relatione insignitus; vel homicidium *qualificatum,* quando occisio specialem malitiam induit. Homicidia qualificata sunt e. g. *parricidium,* i. e. occisio parentis, coniugis, filii; *regicidium,* i. e. occisio regis; *sacrilegium,* i. e. occisio sacerdotis aut alterius personae religiosae; *latrocinium,* i. e. homicidium ex siti pecuniae aliusve boni materialis factum; *assassinium,* i. e. homicidium factum ex condicto etc.

Utrum et quomodo obligatio restitutionis ex homicidio vel mutilatione oriatur, dicetur infra n. 204 sqq.

132 **Principium 2.** *Ex causa proportionate gravi licet aliquid in se indifferens facere aut omittere, ex quo praeter intentionem sequitur mors innocentis.*

Probatur. In isto casu habentur omnes conditiones ad licite ponendam causam, ex qua sequitur duplex effectus: alter bonus, alter malus. — Unde e. g. licet in bello iusto tormenta bellica dirigere contra urbem, etsi multi innocentes occidantur; licet propinare pharmacum necessarium matri gravidae, etsi fortasse inde abortus et mors foetus sequatur; licet tradere innocentem, cuius vitam tyrannus postulat; licet transfodere puerum innocentem, quem iniustus aggressor ante se posuit, ne vulneretur. Ratio est, quia istis omnibus casibus directe nil aliud intenditur nisi conservatio propriae vitae, ex qua indirecte sequitur mors innocentis, cui a solo tyranno aut a solo iniusto aggressore infertur iniuria. — Non autem licet proicere innocentem in mare ad alleviandam lintrem nimis oneratam et secus perituram, neque proicere puerum ante lupos persequentes, qui secus et patrem et puerum essent devoraturi. Ratio est, quia in istis duobus casibus nullus est iniustus aggressor, ratione cuius innocens debet vitae suae renuntiare. Num autem liceat equo conterere puerum sedentem in ponte arcto, si nulla alia via adsit ad salvandam vitam? Plures auctores respondent affirmative. Sic e. g. dicit Busenbaum apud S. Alphonsum[2]: «Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus; licet nihilominus (dummodo tamen si infans est, sit baptizatus, ut monet Cardinalis Lugo et Escobar) fugere cum eius periculo et interitu, praeter tuam intentionem.» Sed melius respondendum est cum distinctione: Si istud periculum mortis mihi causatum est *ab aggressore iniusto* saltem materialiter, licet ita agere, quia tunc iniustitia istius aggressoris re-

[1] Pars 3, c. 6, q. 15. [2] Theol. mor. l. 3, n. 393.

dundat in me et in puerum, et possum me omnibus modis liberare a tale iniustitia; sin autem nulla adest iniustitia et periculum mortis mihi accidit vel ex iusta causa vel ex causa physica, non licet sic conterere innocentem. Unde e. g. si non possum fugere ex domo ardenti nisi conculcando infantem, hoc non licet. Ratio est, quia infans idem ius ad vitam habet ac ego, neque ego excusor propter defensionem contra mihi illatam iniustitiam, quia revera nemo mihi iniuriam intulit. Pariter iuste condemnatus ad mortem fugiens e manibus satellitum non potest licite conculcare puerum obviam venientem, licet secus a satellitibus iterum capiatur et certa morte puniatur.

Occisio innocentis hodiernis temporibus praesertim locum habet in procuratione abortus et magis adhuc in sic dicta craniotomia. Unde de istis specialiter agendum est.

6. *De craniotomia.*

Notio. *Craniotomia* (cephalotripsia, embryotomia, decollatio, ex- 133
enteratio, embryothlasia) *est operatio chirurgica, qua infans in utero materno conciditur et concisus per partes extrahitur.* Hodiernis temporibus medici hanc operationem saepissime peragunt, quando scil. infans maturus ob arctitudinem matris aliasve rationes in lucem edi non potest, ideoque hac operatione omissa mater cum infante peritura est.

Principium. *Craniotomia aliaeque operationes chirurgicae di-* 134
recte mortem foetus causantes sunt prorsus illicitae.

Patet ex responsionibus S. Officii die 24 Maii 1884 et 19 Aug. 1889. En verba prioris responsionis: «An tuto doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scil. ea omissa mater et filius perituri sint, ea econtra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte? — Omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta sunt . . . respondendum esse duxerunt [Inquisitores generales]: *Tuto doceri non posse.*» Quam responsionem Leo XIII confirmavit. — Ratio autem huius responsionis est, quia craniotomia aliaeque similes chirurgicae operationes sunt *directa* occisio prolis innocentis. Porro numquam et nemini licet directe occidere innocentem, ut supra dictum est.

Ante responsionem S. Officii quibusdam theologis (Ballerini, Avanzini, Costantini) videbatur craniotomia licita propter sequentes rationes: a) Inter duo mala minus est eligendum. Minus autem malum est occidere puerum solum, quam puerum simul cum matre. Porro omissa craniotomia morientur mater et infans. — b) Ex ista operatione *acceleratur* tantum mors infantis, quae secus etiam post breve intervallum certo morietur. Atqui licet paulisper accelerare mortem propter salutem matris servandae. — c) Infans est causa mortis pro matre. Ergo est iniustus aggressor. Licet autem occidere iniustum aggressorem, si hoc est necessarium ad salvandam vitam. — d) Ordinarie potest homo propter alium cedere iuri suo vivendi, sicut e. g. qui

cadit in mare, potest alteri cedere suum balteum aereum, etiamsi certe ipse tunc periturus sit. In casu autem, quo absque craniotomia mater cum filio peritura est, merito praesumi licet filium cedere ius suum ad vitam, pro salute matris conservanda. — Sane istae omnes rationes non omnino sunt spernendae, sed cum S. Officium expresse dixerit, liceitatem craniotomiae tuto doceri non posse, illae non possunt esse convincentes. Etenim revera prima ratio sane valet, ordinarie loquendo; si scilicet evitatio maioris mali haberi potest sine actu intrinsecus malo. Sed numquam licet facere mala, ut eveniant bona, sicut non licet mentiri ad salvandum totum mundum. Directa autem occisio infantis per craniotomiam est intrinsecus mala. — Altera ratio valet, si agitur de *indirecta* acceleratione mortis, non autem de directa occisione. Sic e. g. non licet occidere vulneratum, certo moriturum, ut citius a doloribus liberetur. — Tertia ratio est falsa; infans enim non est iniustus aggressor, sed absque omni prorsus culpa degit in loco sibi proprio. Potiore iure mater posset vocari iniustus aggressor infantis. Etenim per actionem matris infans fuit conceptus et in utero positus, atque nunc vut exire, sed impeditur per malam dispositionem aut infirmitatem matris. Ergo potius mater debet periculum vitae sustinere quam infans. — Ultima demum ratio valet pro indirecta occisione, seu pro libera susceptione extremi *periculi* mortis, non autem pro directa occisione. Unde nemo potest permittere, ut ipse *directe* occidatur ad salvandum alium.

135 **Modi liciti ad salvandam et matrem et prolem.** Casu autem, quo revera infans naturali modo nasci nequit, medicus potest licite facere duas alias operationes chirurgicas, quibus vita tum matris tum prolis conservatur, scil. *sectionem caesaream* aut *symphyseotomiam*. Sane istae duae operationes sunt multo difficiliores et etiam aliquando periculosiores pro matre, sed propter difficultatem aut periculum oriens nondum licet occidere infantem. Ut patet ex statistica allata a Bergmann[1], non nisi 2—3% matres moriuntur post caesaream sectionem factam, dummodo tamen medicus calleat bene artem chirurgicam.

Tum sectio caesarea tum symphyseotomia est dissectio ventris. Sane prima est profundior, altera autem est durior, quia os symphyseos debet dividi. Fuerunt antiqui auctores, e. g. Cangiamilla, qui docuerunt, etiam sacerdotem debere, deficiente medico aliaque persona apta, in casu necessitatis hanc operationem peragere ad baptizandum infantem. Sed id nostris temporibus et nostris in regionibus non potest in praxim deduci propter multas rationes, e. g. a) quia sacerdos caret tum necessariis instrumentis tum sufficienti arte ad istas difficillimas operationes peragendas, b) quia gravissime puniretur a legibus civilibus, c) quia facile possent sinistrae oblocutiones famam eius valde laedentes oriri, et denique d) quia magnum dubium exsistit, num istis operationibus chirurgicis sacerdos possit vivum extrahere foetum illumque baptizare. In locis missionum exterarum, quando missionarii habent speciales facultates atque callent aliqualiter artem medicam, istas operationes chirurgicas possunt licite perficere in magna necessitate.

---

[1] Medicina pastoralis p. 22.

Modus agendi cum medicis in hac materia. Moderni medici etiam catholici haud raro sunt in bona fide circa liceitatem craniotomiae in casu, quo aliter salvari nequeat vita matris. Rationes enim supra allatae pro liceitate craniotomiae habent aliquam speciem veritatis. Unde ipsa S. Poenitentiaria primo noluit dirimere controversiam; nam de hac re interrogata: «An umquam liceat operatio, quae vocatur craniotomia, vel similis operatio, quae per se directe tendit ad occisionem infantis in utero positi?» die 28 Nov. 1872, mature perpensis expositis, responderat: «Consulat probatos auctores sive veteres sive recentes, et prudenter agat.» — Accedit, quod medici se exponunt urgenti periculo tum punitionis a legibus poenalibus inflictae[1], tum oblocutionum sinistrarum, si in extrema necessitate omittant craniotomiam ad matrem salvandam. Prudentis igitur confessarii est iudicare, num praestet relinquere medicum in bona fide, dummodo tamen baptismus conferatur proli in utero materno exsistenti. Sic enim salus aeterna infantis procuratur et matris vita salvatur. Aliquando namque permittenda sunt peccata materialia, ut vitentur peccata formalia. Ita etiam docent Lehmkuhl[2] et Noldin[3]. 136

Si in partu difficili foetus iam mortuus est in utero matris, tunc profecto cadaver licet dissecare, ut facilius extrahatur. Aliquando autem foetus non est certo mortuus, sed probabilius iam non vivit. Tunc etiam plures auctores recte docent, licitam esse craniotomiam ad salvandam matrem, quia mater vivens non debet vitam suam dare pro foetu probabilius iam mortuo. — Non raro etiam accidit, ut mater parturiens recuset sectionem caesaream. In isto casu medicus iam nihil facere potest, et debet permittere mortem tum matris tum prolis. Impossibile enim est illi licitis mediis mortem utriusque impedire.

7. *De procuratione abortus.*

Definitio. *Abortus est eiectio immaturi foetus viventis ex utero materno.* Dicitur autem: *immaturi* foetus. Hominem in utero materno usque ad primum mensem post conceptionem solent physiologi vocare embryonem[4], et postea foetum, qui quidem foetus censetur *vitalis,* seu valens vivere extra uterum maternum post septimum gestationis mensem. Ob graves causas medici licite causant aliquando nativitatem artificialem foetus vitalis, ut infra dicetur. Quae quidem nativitas est eductio *praematura* foetus, sed non est abortus proprie loquendo, quia post talem nativitatem praematuram foetus vivere potest, cum econtra eiectio *immaturi* foetus necessario eius mortem causet. Aliud est igitur partus acceleratio (nativitas artificialis), aliud est abortus. 137

---

[1] Cf. Cod. poen. Germ. § 222. [2] Theol. mor. I, n. 1002.

[3] De praeceptis n. 340.

[4] Nonnulli physiologi vocant femineum ovulum semine fecundatum duabus prioribus hebdomadibus *ovum* et deinde usque ad quintam hebdomadam dant illi nomen embryonis.

138 **Divisiones.** 1. Procuratio abortus altera est *directa*, altera *indirecta*. *Directa* dicitur, si media adhibita per se et immediate occidunt foetum expelluntque. *Indirecta* vero dicitur, si media adhibita per se et immediate ordinata sunt ad sanitatem matris, sed per accidens et praeter intentionem (licet non praeter praevisionem) expellunt foetum.

2. Ad recte intelligendam irregularitatem ab Ecclesia contra procurantes abortum latam, notandum est, quinam foetus censeatur *animatus* aut *inanimatus*. Nemo enim irregularitatem incurrit propter procurationem abortus, nisi foetus eiectus fuerit animatus anima rationali. Hodie a physiologis satis communiter admittitur, animam rationalem infundi statim post conceptionem realiter factam (quamvis hoc nullo solido argumento probari possit). Veteres autem theologi docentes, animam esse formam substantialem corporis, affirmabant, animam rationalem non infundi in embryonem antequam iste sit sufficienter formatus atque capax recipiendi suam formam substantialem. Porro haec sufficiens formatio habetur in foetu masculino circiter 40 dies, in foetu vero femineo 80 dies post conceptionem. Ante hoc tempus embryo quidem vivit, et quidem vita etiam propria, sed principium vivificans est quid vegetativum aut animale tantum[1]. Veteres scholastici hanc temporis determinationem elegerunt praecipue propter legem Veteris Testamenti praecipientem purgationem 40 vel 80 dierum, prout mulieres pepererunt puerum aut filiam[2]. Sane usque in hodiernum diem quaestio de tempore, quo anima rationalis intrat in foetum, est adhuc denso velo obtecta. Hoc unum certum est, animam rationalem esse in foetu ante nativitatem. Damnavit enim die 2 Martii 1679 Innocentius XI propositionem (35): «Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.»[3] Plures Sancti Patres, e. g. Gregorius Nyssenus[4], Basilius Magnus[5], pariter S. Maximus, Meletius, Tertullianus et omnes Traducianistae docuerunt, animam rationalem esse in foetu inde a primo instanti conceptionis; econtra Cassiodorus, Theodoretus, Gennadius, S. Anselmus, Petrus Lombardus, S. Thomas et fere omnes Scholastici docuerunt, animam non advenire in foetum nisi post aliquod tempus. Quae quidem sententia magis conformis est tum philosophicae doctrinae de anima ut forma substantiali corporis, tum S. Scripturae, ubi habetur iuxta versionem Septuaginta[6]: «Si quis percusserit mulierem in utero habentem et abortiverit, si non formatus fuerit foetus, multetur pecunia, sin autem formatus fuerit, det animam pro anima.» Datur igitur foetus formatus seu animatus et foetus non formatus seu inanimatus. Qui committit abortum foetus animati, committit homicidium, et proinde debet dare animam pro anima. Secus autem non adest homicidium et proinde tantum poena pecuniaria. Praeterea haec sententia est multo mitior. Etenim si a primo instanti conceptionis adest anima rationalis, numerus infantium sine baptismo morientium est forsan decies maior, cum praesertim primis hebdomadibus post conceptionem abortus sint multo frequentiores. Quam quidem veterum Scholasticorum doctrinam Ecclesia admittit quantum ad poenas *irregularitatis* et privationis beneficiorum, ita ut irregularitas propter procurationem abortus non adsit, nisi evenerit *80 dies* post conceptionem. Cum enim impossibile

[1] Cf. S. theol. 1, q. 76, a. 3 ad 3, et q. 118, a. 2 ad 2.
[2] Lv 12, 2. [3] *Denz.* n. 1185.
[4] De hom. opif. c. 28. [5] Ep. ad Amphyl.
[6] Ex 21, 22. — Textus Vulgatae et textus Hebraicus habent aliam lectionem.

sit determinare sexum embryonis 40 aut 80 dierum, cumque in odiosis, ut dicit adagium, quod minimum est tenendum sit, licet admittere embryonem eiectum fuisse feminei sexus et proinde irregularitatem non adesse, nisi abortus procuratus sit non 40, sed 80 dies post conceptionem. Quantum ad aliam poenam ecclesiasticam, scil. excommunicationem, haec determinatio temporis iam non requiritur, sed excommunicatur, qui quocumque tempore abortum directe procuraverit, ut infra dicetur.

Principium 1. *Acceleratio partus foetus vitalis ob graves rationes licita est.* 139

Ratio est, quia sic quidem aliquod periculum vitae oritur tum pro matre tum pro prole, attamen istud periculum non est ita imminens. Licet autem ex gravi causa vitam periculo exponere. — Ratio sufficiens accelerandi hoc modo partum est infirmitas matris, vel difficultas aut impossibilitas pariendi foetum perfecte maturum. — Sic etiam S. Officium die 4 Maii 1898 respondit: «Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur.»

Principium 2. *Ob graves rationes licet indirecte procurare abortum.* 140

Sequitur hoc principium ex regulis datis de voluntario indirecto. Licet enim ponere causam bonam aut indifferentem, ex qua sequitur duplex effectus, alter bonus, alter malus, si adsit bona intentio et ratio proportionate gravis. Licet ergo matri laboranti periculoso morbo, qui alio modo curari non potest, praebere remedium, quod directe et immediate tendit in morbi curationem, quamvis illi per accidens aliquando sit coniunctus abortus. Talia remedia sunt nonnulla pharmaca, quae per modum medicinae dantur; praeterea balnea diversa, iniectiones subcutaneae vel in organa humana, percussio venae (vulgo *Aderlaß*) etc.[1] Immo, absolute loquendo, licet ipsum uterum gravidum morbo affectum excidere, si hac operatione omissa mors matris certo sequeretur. Nam mater aegrota strictum ius habet, ut ipsius membra aegrota curentur. Si autem ex tali curatione sequatur mors foetus, haec mors non directe, sed indirecte causatur[2]. Ut per se patet, talia remedia non licet adhibere nisi vera et ineluctabili necessitate exsistente. — Quando autem huiusmodi remediis abortus praeter intentionem occurrerit, quantocius foetus editus saltem sub conditione est baptizandus, ut anima eius salvetur.

Principium 3. *Numquam licet* **directe** *procurare abortum foetus viventis.* 141

Dicitur: *foetus viventis.* Etenim si foetus certe mortuus est, licet illum ex sinu matris extrahere. Mors autem foetus non debet praesumi, sed probari. Principium enunciatum facile probatur. Nam directa

---

[1] Cf. *Capellmann,* Pastoralmedizin p. 14. [2] Cf. *Noldin,* De praeceptis n. 341.

procuratio abortus est directum homicidium hominis innocentis. Atqui numquam licet directe occidere hominem innocentem. Ergo directa procuratio abortus numquam licet. Foetus enim vivens est homo constans ex corpore et anima; iuxta sententiam autem illorum, qui docent animam rationalem non advenire nisi post 40 aut 80 dies, foetus ante hoc tempus elapsum est homo *in fieri* et certo erit homo, nisi impediatur. Unde Innocentius XI proscripsit propositionem (34): «Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.» [1] — Per procurationem abortus causatur foetui animato non tantum mors corporis, sed etiam mors animae, cum baptismus rarissime conferri possit aut saltem de facto conferatur. — Anno 1889 die 19 Aug. S. Officium respondit Archiepiscopo Cameracensi, qui sex diversos modos procurandi abortum exposuit: «In scholis catholicis tuto docere non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit die 28 Maii 1884, et *quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis.*» — Ex quibus omnibus manifeste patet directam procurationem abortus numquam licere. Ita hodie etiam omnes theologi catholici docent.

In praxi non semper facile est discernere, num actio quaedam medica sit directa an indirecta occisio foetus. Sit haec regula: Si ex tali actione aut pharmaco *directe* attingitur foetus, dicenda videtur directa procuratio, e. g. incisio amnii [2], quae est hodie maxime usitatus modus procurandi abortum. Sin autem ex tali actione aut pharmaco oritur quidem periculum plus minusve magnum abortus, non autem directe attingitur foetus neque directe intenditur abortus, videtur esse tantum indirecta procuratio [3]. — Ut iam supra dictum est, etiam haec indirecta procuratio abortus non licet nisi gravi necessitate flagitante. Unde graviter peccant mulieres (saltem prava intentione), quae timentes ne sint gravidae, variis modis menstruationem iterum provocant, e. g. pedes lavando in aqua sale aut sinape condita, potiones expulsivas

---

[1] *Denz.* n. 1184. [2] *Eihautstich.*

[3] Circa hanc rem notanda est responsio S. Officii d. 24 Iulii 1895: «Titus medicus cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat, letali morbo causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est, foetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scil. abortum seu foetus eiectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo, ut exinde amoverent, atque foetus, si fieri posset, vivus ad lucem ederetur, utique mox moriturus, cum adhuc immaturus omnino supponatur. . . . Titus petit, utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit. Resp. Negative iuxta alia decreta diei scil. 28 Maii 1884 et 19 Aug. 1888. SS^{mus} approbavit.» — Praedicta igitur operatio habetur tamquam directa procuratio abortus. Propter hoc decretum Lehmkuhl retractavit opinionem prius propositam, scil. violentam invasionem in foetum eiusque vitale elementum fieri licite posse ad salvandam matrem alias perituram (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1007).

sumendo, ventrem comprimendo, excessivo modo saltando etc. Omnia ista facta sunt certo peccaminosa propter pravam intentionem; attamen cum primis mensibus post copulam carnalem habitam non possit certo scire, num mulier conceperit, non inducunt poenas latas contra procurantes abortum.

Poenae contra procurantes abortum. 142

Omissis legibus antiquatis[1] iuxta vigentem disciplinam ecclesiasticam sequentes poenae infliguntur procurantibus abortum:

1. *Excommunicatio reservata episcopis.*

Pius IX enim excommunicavit in bulla «Apostolicae Sedis»: «procurantes abortum effectu secuto». Ad hanc poenam incurrendam requiritur, ut abortus sit certo secutus. Unde si quis frustra attentaverit abortum procurare, aut si dubium est, num revera foetus fuerit conceptus (quod saepissime accidit), non incurritur excommunicatio. Antiquis temporibus haec censura non aderat, si foetus abortivus fuit inanimatus, sed post bullam Pianam omnis directa procuratio abortus inducit excommunicationis poenam. — Sub nomine «procurantes» comprehenduntur omnes, qui *directe et proxime*, non autem qui indirecte aut remote abortum producunt. Unde e. g. qui suadet abortum, aut pharmacopola, qui praeparat pharmacum abortivum a medico praescriptum, non incurrit hanc censuram; sin autem — ut haud raro fit — pharmacopola ipse, sine praescriptione medici, componat medicinam ad abortum procurandum, est causa vere efficax et principalis abortus, ac proinde excommunicationem incurrit. Medicus vero faciens operationem chirurgicam ad hunc finem vel praescribens medicinam excommunicatur. — Disputant auctores, num etiam *mater ipsa* procurans sibi abortum cadat sub hac censura. Ratio dubitandi est, quia mater maximo metu infamiae aut etiam mortis ad tale crimen facile inducitur et proinde mitius videtur esse tractanda quam extranei. Hac ratione inducti plures auctores, e. g. Ballerini-Gury[2], Scavini[3], Pennacchi[4], Lehmkuhl[5], Göpfert[6], eximunt matrem ab excommunicatione. Alii auctores econtra, e. g. Hollweck[7], Heiner[8], docent, etiam matrem cadere sub hac censura. Veteres auctores, e. g. S. Alphonsus, non possunt afferri neque pro affirmativa neque pro negativa sententia, cum cardo quaestionis sit, quid intenderit Pius IX, quando excommunicavit procurantes abortum; nam censurae contentae in bulla «Apostolicae Sedis» non sunt interpretandae sicuti antiquae similes censurae, sed «eo modo quo insertae sunt» huic bullae novae. Cum igitur res sit incerta, et cum in odiosis, qualia censentur excommunicationes, semper minimum tenendum sit, in praxi non est censenda tamquam excommunicata mater, quae sibi procuravit abortum, nisi tamen episcopus alicuius dioeceseos aliter determinaverit. Cooperantes, cum non sint proprie procurantes, non cadunt sub hac censura. *Mandantes* vero omnesque illi, qui gravi metu inducunt mulierem, excommunicari videntur. Quare pater, maritus, fornicarius, seductor etc., qui mandant abortum, cadunt sub hac censura, quia revera sunt causa principalis huius criminis.

---

[1] Cf. *Hollweck*, Die kirchl. Strafgesetze § 163.
[2] Comp. Theol. mor. II, n. 976. [3] Theol mor. univ. I 902.
[4] Comm. in const. Apost. Sedis II 39 sqq. [5] L. c. II, n. 1247.
[6] Moraltheol. II 137. [7] L. c. § 163. [8] Zensuren p. 246.

143 **Quaeres**: *Utrum craniotomia sit aequiperanda abortui quantum ad poenas.* Quidam auctores, ut Haine[1], Berardi[2], Génicot[3], Bucceroni[4], putant, craniotomiam non esse proprie procurationem abortus, ac proinde medicos perpetrantes craniotomiam similesque actiones directe foetum occidentes, non incurrere hanc excommunicationem. Quae quidem sententia videtur probabilis. Ille, qui procurat abortum, est quidem aeque malus homicida ac ille, qui facit craniotomiam. Haud incongrue primus comparatur cum occisore, qui infantem proicit in aquam aut suffocat; alter autem similis est illi, qui infantem cultello mactat. Deinde tum in abortu tum in craniotomia habetur eiectio vel extractio occisiva foetus ex utero materno. Attamen cum abortus sit eiectio *immaturi* foetus; craniotomia autem occisio infantis *maturi*, aliqua adest distinctio inter procurationem abortus et craniotomiam. Unde sicut ille, qui audit legere librum haereticum, non censetur cadere in excommunicationem, etsi ille, qui eundem librum ipse legit, excommunicatur, ita qui procurat abortum, excommunicatur, ille autem, qui craniotomiam foetus (saltem maturi) facit, liber est ab excommunicatione. Omnes enim censurae sunt *stricte* interpretandae. Neque dicat quis, craniotomiam esse quid peius abortu. Ergo maiore poena digna est. Etenim adhuc peius est occidere regem aut patrem forsan in statu peccati mortalis exsistentem, et tamen nulla censura latae sententiae plectitur regicida aut parricida. Ita salva meliore sententia. — *Irregularitas* autem certo oritur ex craniotomiae patratione, quippe quae sit verum homicidium voluntarium.

144 2. *Irregularitas ex delicto voluntarii homicidii, si abortus procuratus fuit foetus animati, i. e. 80 dies post conceptionem, ut supra dictum est.*

Qua quidem poena plectuntur non tantum procuratores, sed etiam omnes *positivi cooperatores* ad faciendum abortum[5]. Omnis igitur, qui abortum foetus animati procuravit vel positive ad hoc cooperatus est, e. g. consulendo, parando medicamenta, eodem modo incurrit irregularitatem ac si homicidium commisisset. Unde haec poena, sicut et sequens privatio privilegiorum, partim latius partim strictius se extendit quam excommunicatio inflicta. Latius se extendit, quia irregularitas fertur etiam in omnes cooperatores positivos; quod quidem non facit excommunicatio. Strictius se extendit, quia non incurritur nisi per procurationem abortus foetus *animati*. — In casibus urgentioribus, quando scil. dispensatio differri nequit sine magno incommodo, nec tempus adest adeundi S. Poenitentiariam, quilibet confessarius videtur posse dispensare in hac irregularitate, cum onere tamen infra mensem recurrendi ad S. Poenitentiariam. Ita satis clare deducitur ex responsionibus S. Officii 28 Martii 1906 et 6 Sept. 1909.

145 3. *Privatio clericalium privilegiorum, officiorum et beneficiorum.*

Sic enim statuit Sixtus V const. «Effrenatam» d. 29 Oct. 1588. «Eos, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis ... ipso facto privamus et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint ... etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoveri aut in susceptis ordinibus ministrare nullo

[1] Elem. Theol. mor. IV 476. [2] Praxis Confess. IV, n. 1094.
[3] Theol. mor. II 608. [4] Commentarii n. 81.
[5] Ita ex const. Gregorii XIV «Sedes Apostolica» d. 31 Maii 1591.

modo possint, nec illis aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine et beneficio et officio perpetuo careant.» — Etiam haec poena non incurritur, nisi foetus fuerit animatus, i. e. nisi abortus factus fuit 80 dies post conceptionem[1].

Poenas sub n. 2 et n. 3 allatas nemo potest remittere nisi ille, qui delegatus est a Sancta Sede, i. e. a S. Poenitentiaria[2]. Quamvis omnes poenae hucusque recensitae incurrantur *ipso iure* et proinde non requiratur sententia iudicis condemnatoria, tamen clericus, qui commiserit crimen abortus (quod absit!), non tenetur eo ipso se considerare tamquam privatum omnibus privilegiis clericalibus et beneficiis. Pariter non tenetur seipsum publice accusare de tali crimine. Quando autem convictus fuerit de abortu patrato, tunc iudex tenetur pronuntiare sententiam declaratoriam et omnes privationes infligere.

Non raro ex iure particulari adhuc aliae poenae infliguntur clericis et religiosis, qui immane crimen abortus commiserint.

Scholion 1. De legibus civilibus circa abortum. Severissimae poenae etiam a codicibus criminalibus diversarum nationum solent infligi illis, qui privata auctoritate abortum procurant[3]; sed, mirabile dictu! *medici* procurantes abortum propter *aegritudinem matris,* nullo modo puniuntur a lege civili, sed econtra laudantur.

Scholion 2. De foetibus extopicis. Foetus extopici seu extra-uterini 146
vocantur illi, qui inveniuntur extra uterum maternum, e. g. in tubis Fallopianis. Exsistunt duo responsa S. Officii hac de re: «Estne licita laparatomia, quando agitur de praegnatione extra-uterina seu de extopicis foetibus?» S. Officium d. 4 Maii 1898 respondit: «Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris extopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur.» — Cum autem haec responsio posset male intelligi, quasi *semper* liceret extrahere foetus extopicos, iterum quaesitum fuit: «Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere foetus extopicos adhuc immaturos, nondum exacto sexto mense post conceptionem?» S. Officium d. 5 Mart. 1902 respondit: «Negative iuxta decretum 4 Maii 1898, vi cuius foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune providendum est; quoad vero tempus iuxta idem decretum, orator meminerit, nullam partus accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris ac foetus vitae consulatur.» — Quae quidem duo responsa clare ostendunt, extopicos foetus eodem prorsus modo tractandos esse ac foetus in utero exsistentes, i. e. non possunt occidi, sed eorum partus post sextum aut septimum mensem conceptionis potest accelerari, gravi exsistente necessitate. Aliter res se habet, si extra uterum in aliquo organo matris inopinate ortus est tumor aut cystis, in qua forte invenitur foetus vivens, quae tamen cystis nunc causat instans periculum mortis. Sicut enim licet excidere uterum graviter aegrotum, etsi contineat foetum — ut supra dictum est —, ita a fortiori licet tumorem matri letalem excidere. Talis enim operatio non est directa, sed indirecta procuratio abortus, quia directe aufertur organum graviter aegrotum matris, indirecte autem perit foetus in eo exsistens. Ita docent etiam Lehmkuhl[4] et I. Antonelli[5].

---

[1] Cf. ib. [2] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 6 de reform.
[3] Cf. e. g. Cod. poen. Germ. § 218 sqq.
[4] Theol. mor. I, n. 1011. [5] Medicina pastor. (1905) 224.

§ 3.

De iniuria ex stupro et adulterio.

Notiones. Stuprum stricte loquendo est defloratio virginis sub paterna cura adhuc exsistentis[1]; fornicatio est copula carnalis habita cum muliere soluta, quae virginitatem iam amisit; adulterium est copula carnalis habita cum persona matrimonio alieno iuncta. Hic non agimus de istis peccatis prout laedunt castitatem, sed prout laedunt aut saltem possunt laedere *iustitiam commutativam*, ponentes sequentia principia:

147 **Principium 1.** *In foro conscientiae ante sententiam iudicis nulla per se adest obligatio restitutionis ob actum physicum luxuriosum etiam vi patratum.*

Ratio est, quia impossibile est talem actum physicum luxuriosum taxare pecunia. Dicitur autem 1°: *ante sententiam iudicis;* nam si iudex condemnaverit stupratorem aut fornicarium aut adulterum, praesertim si vim adhibuerint, tunc talis sententia est iusta et in conscientia obligat. Pariter cum iniuste oppressa mulier vel eius parentes habeant ius vocandi violatorem in tribunal iustitiae, possunt exigere pecuniam pro renuntiatione huiusmodi iuris. — Dicitur 2°: *per se* nulla adest obligatio, quia si ex actu physico orta fuerint alia damna sive corpori sive famae sive fortunae, exsistit sane obligatio reparandi ista damna, ut ex sequentibus principiis apparebit.

148 **Principium 2.** *Qui copulam carnalem habuit cum muliere sponte consentiente, ad nihilum quidem tenetur respectu mulieris; tenetur tamen in conscientia (et quidem etiam ante sententiam iudicis) aequali obligatione cum muliere (in solidum) prolem forsan susceptam educare, quoadusque illa sibi ipsi providere poterit.*

Ratio primae partis est, quia scienti et volenti non fit iniuria. Unde e. g. fornicator non tenetur ex iustitia solvere expensas partus, nisi tamen ius positivum aliter statuerit[2]. Ita pro foro interno; nam pro *foro externo*, quando scil. res ad iudicem ecclesiasticum delatum fuerit, adhuc valet ius Decretalium[3]: «Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormierit cum ea, dotabit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.» Quod quidem statutum iuris ecclesiastici hodie vix in praxim deduci valet. — Ratio vero secundae partis est, quia proles suscepta ab utroque parente educanda est, sicut ipsum ius naturale postulat. Dico autem, ante sententiam iudicis, quia in pluribus regionibus iudex civilis rogatus solet determinare quantitatem alimentationis solvendam a patre illegitimo[4]. — Si mulier cum pluribus viris

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 154, a. 6. Alias acceptiones stupri vide infra in tractatu de castitate.

[2] Cf. Cod. civ. Helv. a. 317. [3] c. 1, X 5, 16.

[4] Sic e. g. Codex civilis Germaniae (§ 1708 sq) statuit, ut pater illegitimus teneatur usque ad annum 16 prolis convenientem sustentationem praebere. Cf. Cod. Austr. § 166—171; Cod. Hisp. a. 143; Cod. Helv. a. 317—319. Solus codex Gallicus patri illegitimo nullam obligationem sustentationis filii illegitimi imponit; prohibet enim quaerere de patre illegitimo: «La recherche de la paternité est interdite» (a. 340).

fornicata est, ac propterea nescit, quinam sit pater prolis, nemo tenetur reparare ipsi puellae aliquod damnum, quod patitur ex nativitate et educatione prolis. Verumtamen in tribus casibus omnes viri, qui circa id temporis cum muliere coierunt, *pro rata* dubii tenentur ad reparationem damni, scil.

a) Si vi aut dolo mulierem ad peccatum induxerunt. Tunc adest enim gravis iniuria ex parte virorum.

b) Si mulier est incapax ad educandam prolem. Tunc enim adest obligatio naturalis incumbens illis, qui forsan prolem genuerunt.

c) Si agitur de muliere matrimonio iuncta. Ita saltem probabilius[1]. Tunc enim maxima iniuria fit tum marito tum aliis filiis legitimis.

Quomodo autem in istis tribus casibus quantitas reparationis determinanda sit, non potest regula generali exprimi. In duobus prioribus casibus omnes expensae dividi possunt aequaliter inter diversos viros. In ultimo casu, mulier adultera restituere debet dimidiam partem omnium damnorum et altera dimidia pars dividenda est aequaliter inter diversos viros adulteros. Sin autem mulier nequit restituere, totum damnum aequaliter a diversis complicibus resarciri debet. Ceterum in praxi, quando mulier coivit cum pluribus, res solet cito vulgari et tunc iudex civilis determinabit omnia. Fornicarii aut adulteri, qui valent convenientem sustentationem praebere, sed prolem ex peccato conceptam clam mittunt ad orphanotrophium, non videntur teneri ad aliquam restitutionem, si istud orphanotrophium est opus *privatae caritatis*. Ratio est, quia fideles dantes eleemosynas pro huiusmodi institutis, unice intendunt salutem infantium expositorum et nihil curant, quinam infantes foveantur[2]. Sin autem orphanotrophium *expensis civitatis* sustentatur, tunc parentes, qui ex dolo infantes faciunt ibi educari, tenentur ad restituendas expensas educationis, quia huiusmodi orphanotrophia non destinantur nisi pro parentibus et infantibus vere pauperibus. Billuart[3] aliique docent, in utroque casu parentes teneri ad restituendas expensas educationis. Sed de hac obligatione non constat.

Principium 3. *Qui sub matrimonii promissione vera aut etiam* 149
ficta seduxit ad copulam carnalem mulierem honestam, regulariter tenetur illam (licet non sit effecta gravida) ducere in matrimonium.

Ita cum S. Thoma[4] sentiunt omnes theologi et iurisconsulti. Ratio est, quia si promissio fuerit vera, tunc intercessit verus contractus graviter obligatorius. Sin autem promissio fuerit ficta, tunc promittens decepit enormiter puellam seu mulierem, et propterea tenetur in poenam talis deceptionis nunc vere promittere et inire matrimonium. Dixi autem: «*regulariter* tenetur hanc mulierem ducere in matrimonium», quia dantur plures exceptiones. Itaque haec obligatio corruit:

a) Si haec mulier postea cum alio fornicetur; quia frangenti fidem fides frangatur eidem, ut dicit adagium.

b) Si mulier ex omnibus circumstantiis facile intelligere potuisset, promissionem matrimonii non fuisse seriam.

c) Si ex matrimonio ineundo gravia mala, e. g. rixae, inimicitiae, merito timentur; quod quidem praecipue accidere solet, si magna adest disparitas conditionis inter iuvenem et puellam.

---

[1] Cf. *Tanquerey*, Synopsis Theol. mor. n. 578.

[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 7, n. 656, qui etiam in secundo casu eximit ab obligatione restitutionis.

[3] De iure et iust. diss. 10, a. 11. [4] 4, dist. 28, q. 1, a. 2 ad 4.

d) Si ipsa mulier iam amplius nolit matrimonium inire cum stupratore. In isto tamen casu perspiciendum est, cur mulier iam amplius matrimonium inire nolit. Si enim iuvenis deceperit illam, se melius exhibendo quam revera est, tunc tenetur saltem damnum reparare, quod causatum est ex fornicatione. Sin autem sine ulla culpa ex parte iuvenis mulier recusat nubere illi, tunc iuvenis iam amplius ad nihil tenetur.

150 **Principium 4.** *Qui vi, metu gravi aut dolo mulierem induxit ad copulam carnalem, tenetur reparare omnia damna, quae oriuntur mulieri, parentibus et proli forsan natae.*

Sub nomine metus hic venit etiam *metus reverentialis*, qui secus in iure canonico ordinarie non censetur gravis. Unde si corruptor est persona magnae auctoritatis, aut superior, aut tutor, cui mulier non audet resistere, ille tenetur damna orta reparare.

Damna, quae ex copula invita oriuntur, solent esse sequentia: amissio virginitatis, infamatio puellae et inhonoratio familiae, inhabilitas seu saltem maior difficultas ineundi aliud matrimonium, expensae pro educatione prolis. Corruptor non tenetur, saltem per se, matrimonium inire cum muliere corrupta, nisi ita promiserit. Si ex copula extorta vi, metu aut dolo nullum aliud damnum ortum sit nisi violatio virginitatis, e. g. quia crimen remansit occultum neque proles suscepta fuit neque mulier impedita fuit ab alio matrimonio aeque bono, tunc violator non tenetur ad aliquam reparationem, quia turpe esset exigere aut offerre pecuniam pro amissa virginitate [1]. Sin autem alia damna externa orta sint, violator debet aut dotare aut ducere mulierem. Quantitas istius reparationis determinari potest aut a iudice aut ex libera conventione utriusque partis.

151 **Principium 5.** *Adulter ad nullam materialem reparationem tenetur, si ex adulterio neque proles neque aliud damnum externum, e. g. infirmitatis, ortum est.*

Quando adulterium commissum mansit secretum, nec alia damna materialia inde orta sunt, tunc uterque complex admonendus est ad altum silentium servandum, quia secus maxima iurgia oriri possent. Damna materialia, quae ex adulterio oriri possunt, sunt sequentia: expensae pro prolis susceptae educatione, portio hereditatis paternae, quae obventura est proli spuriae et adimetur proli legitimae, morbi causati ex ipsa copula carnali. — Qui autem iniuste extorsit adulterium (sive metu sive vi sive dolo) tenetur solus de omnibus damnis ortis. Patet ex supra n. 150 dictis.

152 **Principium 6.** *Si adulterium patratum fuit utroque complice consentiente, tunc uterque adulter in solidum obnoxius est reparationi omnium damnorum ortorum.*

Per se quidem uterque adulter tenetur reparare dimidiam partem damnorum; sed si alter non potest aut non vult reparare alteram dimidiam partem, primus adulter tenetur reparare totum damnum. Uxor adultera reparationem damnorum facere debet ex bonis paraphernalibus vel aliis bonis, quorum habet liberam dispositionem. Sin autem non habet bona libera, tenetur maiore

---

[1] Pauci auctores, inter quos *Billuart* (De iure et iust. diss. 10, a. 11, appendix 2, dico 2), putant, corruptorem teneri solvere pecuniam pro violatione claustri virginalis, si parentes aut puella id exigant.

labore et industria reparare damna tum marito, tum filiis legitimis, in quantum hoc est possibile. Plerumque vero uxor adultera non tenetur crimen suum manifestare ad vitanda damna mariti aut filiorum. Talis enim manifestatio causaret magna iurgia, immo forsan divortium. Praeterea commune adagium fert: Nemo se infamare tenetur; et Innocentius III statuit: «Mulieri, quae, ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda. . . . Sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet iniungi.» [1] — Quantum ad modum et quantitatem reparationis damnorum ab adulteris faciendae magna prudentia opus est [2]. Adulter debet imprimis inquirere, quid hucusque pater putativus expenderit in alimentatione et educatione aut etiam dotatione prolis illegitimae, si illa forte iam statum assumpserit. Haec omnia damna debet resarcire patri putativo. Quantum vero ad ea, quae filii legitimi poterunt pati, si postea filius illegitimus aequalem portionem hereditatis a putativo patre accipiet, adulter debet facere dispositiones ad haec damna resarcienda filiis legitimis. Non tenetur autem iam nunc haec damna resarcire, quia accidere potest, ut filius illegitimus moriatur ante patrem putativum, et tunc nullum damnum oriatur filiis legitimis. Quid autem faciendum, si adulter nunc est morti proximus, econtra tum pater putativus, tum filius illegitimus sunt adhuc in bona sanitate? Quidam auctores (Navarrus, Soto, Billuart) putant, tunc adulterum non teneri reparare totum damnum forte eventurum, sed tantum partem quandam iuxta prudens iudicium viri. Forsan melius esset, si tunc adulter moribundus committeret confessario, ut ille casu occurrente resarciret ex bonis ipsi traditis damna orta. Quodsi filius illegitimus moreretur ante patrem putativum, tunc confessarius deberet aliter disponere de bonis acceptis, prout adulter moribundus determinaverit. Confessarius autem *maxima cum prudentia* procedat et pro maiori securitate exigat a poenitente, ut necessitate flagitante ipse non teneatur ad sigillum sacramentale. Sin autem praevidet aliquod damnum grave eventurum, melius est, ut dicat poenitenti, ipsum non teneri ad damnum reparandum cum tanto damno proprio.

ARTICULUS IV.

De iniusta damnificatione per verba.

Praenotamen. Postquam egimus de vitiis, quae laedunt iustitiam per *facta* sive in bonis exterioribus, sive in bonis ad ipsam vitam pertinentibus, restat agendum de obligatione non violandi iustitiam etiam per *verba*. Omnes istae obligationes fere reducuntur ad octavum decalogi praeceptum: «Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.» [3] Sicut igitur sub iniuriis contra bona corporis complexi sumus quintum praeceptum, sic sub iniuria verborum nunc agimus de octavo Decalogi praecepto. — S. Thomas distinguit inter iniurias verborum, quae fiunt *in iudicio*, et inter illas, quae *extra iudicium* causantur. Proinde prius agit de iniustitia iudicis, accusatoris, rei, testium, advocatorum [4]. Quia pro iudiciis ecclesiasticis haec omnia determinantur in iure canonico, pro iudiciis vero laicalibus solent adesse normae a diversarum nationum codicibus specialissime determinatae, nos brevissime, agemus I. *de iniuriis verborum in iudicio*, scil. de obligationibus et peccatis

[1] c. 9, X 5, 38; cf. etiam *Billuart* l. c. a. 11.
[2] Cf. *Billuart* l. c. [3] Ex 20, 16. [4] S. theol. 2, 2, q. 67—71.

1. iudicis, 2. accusatoris et actoris, 3. testium, 4. advocati et 5. accusati seu rei. Deinde agemus II. *de iniuriis verborum extra iudicium,* scil. 1. de veracitate et eius laesione, 2. de mendacio, 3. de restrictione mentali, 4. de violatione secreti, 5. de laesione honoris, 6. de laesione famae et 7. de iudicio temerario.

I. De iniuriis verborum in iudicio.

§ 1.

De obligationibus et peccatis iudicis.

153 **Principium 1.** *Ad licite exercendum officium suum iudex debet esse praeditus scientia sufficienti atque sententiam ferre iuxta leges iustas.*

Ad scientiam sufficientem non tantum requiritur cognitio theoretica legum, verum etiam perfecta aut saltem sufficiens indagatio casus tractandi. Unde iudex peccat, tum si non sufficienter callet scientiam iuridicam, tum etiam, si negligit sufficientem indagationem omnium circumstantiarum casus, de quo iudicare debet. Si iudex carens alterutra hac scientia fungendo officio suo damnum intulerit, laesit iustitiam commutativam et proinde ad reparationem damni tenetur. Est enim tunc iniustus damnificator, qui vere, formaliter et efficaciter iniustum damnum intulit. — Iudicem teneri iudicare iuxta leges iustas, per se patet; totum enim eius officium est applicare leges iustas in casu particulari. Unde certissime ad reparationem damni tenetur, si scienter iudicans contra legem iustam damnum grave intulerit. Sunt tamen auctores, ut Lugo[1], Lessius[2], quorum sententiam S. Alphonsus[3] vocat probabilem, docentes, iudicem non teneri ad restitutionem, si falsa sua sententia causa fuit, ne Fisco mulcta solvenda adiudicaretur. Putant enim, huiusmodi mulctas principaliter infligi ut poenas rei et secundario tantum ut emolumenta Fisci. Quae quidem sententia in praxi sustineri potest, si agitur de raris et parvis mulctis, quia tunc legislator non est ita rationabiliter invitus, quod iudex cum magna benignitate tractet reos; sin autem agatur de mulctis magnis et frequenter occurrentibus, e. g. de magnis defraudationibus gabellarum[4], sententia prolata non videtur esse probabilis, quia tunc iudex causat magnum damnum Fisco, si absolvat indebite transgressores, et legislator est rationabiliter invitus in huiusmodi magnis damnis.

154 **Quaeres:** *Debetne aut saltem potestne iudex iudicare iuxta leges manifeste iniustas?* e. g. potestne iudex iuxta legem iniustam plurium regionum punire parochum, qui benedixit matrimonio christiano ante initum matrimonium civile? — Quaestio haec, quae est maximi momenti praesertim in causis ecclesiasticis et matrimonialibus, difficulter solvitur responsione generali. Potius in singulis casibus perpendere

---

[1] De iust. et iure disp. 37, n. 97. [2] De iust. l. 2, c. 13, n. 73.
[3] Theol. mor. l. 4, n. 196. [4] *Zolldefraudation.*

oportet, num talis sententia iudicis sit actus intrinsece malus. Angelicus Doctor[1] absolute docet non esse iudicandum iuxta illas positivas leges, quae adversentur legi naturali aut divinae. Sed in codicibus modernis solet libertas iudicis valde limitari, ita ut eius officium fere redactum sit ad inquisitionem facti et ad applicationem legis ad factum inquisitum. Unde forte excusari possunt iudices catholici, si sententiam ferre teneantur e. g. circa divortium vel circa personas et res ecclesiasticas, etsi ipsi non sunt competentes in huiusmodi iudiciis. Etenim ex una parte iudex catholicus non potest sine gravissimo damno recusare iudicium in istis casibus; ex alia vero parte ipse nullam *liberam* iniustitiam committit, sed applicat tantum legem iniustam. Praeterea, ut ex infra dicendis apparebit, iudex potest condemnare eum, quem ex privata scientia novit innocentem, si iuridice probetur nocens. In isto igitur casu iudex condemnat innocentem, quia est ad hoc coactus testimonio testium falsorum. Quare iudex non posset simile quid facere si est coactus ab iniusto legislatore? — Unde in praxi iudex catholicus potest relinqui in bona fide, si gravissime *cogitur* iudicium ferre iuxta leges iniquas, e. g. iudex, qui tenetur bona religiosorum liquidare iuxta iniquas leges vigentes nunc in Gallia. Etiam S. Poenitentiaria hoc videtur innuere, cum die 5 Aug. 1907 responderit, «liquidatores, quatenus nomine gubernii bona usurpata administrant eorumque venditionem procurant, non incurrere censuram». Ratio intrinseca horum omnium est, quia iudex sic gravissime coactus ad applicandam legem iniustam, videtur tantum praestare *cooperationem materialem* ad rem malam. Porro exsistente gravi causa, licet materialiter cooperari ad malum, ut supra dictum est I, n. 619. — Quantum ad pronuntiandum *divortium civile,* habentur plura responsa S. Officii. Sic pro Gallia die 25 Iunii 1885 et 26 Maii 1886[2] S. Officium denegavit iudicibus civilibus facultatem divortium pronuntiandi; pariter pro Anglia die 22 Maii et 19 Dec. 1860[3]; econtra pro Helvetia idem S. Officium statuit die 3 April. 1878[4]: «Quoad iudices recurrat Episcopus in casibus particularibus.» Haec ultima responsio videtur manifeste innuere, iudicem non agere quid intrinsece malum, si iuxta leges civiles divortium pronuntiat. Etenim tunc prorsus supervacaneus esset recursus episcopi in singulis casibus. In Germania et in Hollandia iudex catholicus in casu necessitatis potest licite pronuntiare divortium civile, cum ius Germanicum[5] et ius Hollandicum[6] expresse declarent divortium spectare solummodo relationes civiles. Unde etiam iudices timoratae conscientiae tractant causas matrimoniales, quin episcopi aut confessarii hunc agendi modum vituperent[7].

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 60, a. 5 ad 1. [2] Collect. de Prop. Fide n. 1636.
[3] Ib. n. 2272. [4] Ib. n. 1491. [5] Cod. civ. Germ. § 1588.
[6] Cod. civ. Holl. a. 82.
[7] Iudicem non posse iudicare iuxta legem iniustam docent *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 962; *Göpfert,* Moraltheal. II 256; *Ballerini,* Opus theol. de praec. part. n. 56, sed non sufficienter probant. Infra in tractatu de matrimonio civili haec quaestio latius tractabitur.

155 **Principium 2.** *Sententia iudicis, quae est certe iniusta, per se non obligat in conscientia; per accidens autem potest obligare ad scandalum vel publicam perturbationem vitandam.*

Iudex potest iniuste iudicare vel *formaliter*, i. e. neglecta essentiali forma iudicii, e. g. sine accusatore, sine sufficienti probatione facti aut delicti; vel *obiective*, i. e. falsam sententiam proferendo, e. g. condemnans innocentem, adiudicans bonum illi, cui non competit, vel *simul formaliter et obiective*. Parum refert, quo demum modo iudex iniuste iudicaverit. Nam omnis iniusta sententia iudicis non obligat per se in conscientia, quia iudicium est quasi lex particularis[1]. Atqui nulla lex iniusta obligat per se in conscientia. Ergo nec etiam iniusta sententia iudicis. — Praeterea supra I, n. 219, quando de legibus sermo fuit, probatum est, legem fundatam in falsa praesumptione *facti* non obligare in conscientia. Atqui sententia iniusta fundatur in falsa praesumptione facti, scil. in falsa praesumptione, conditiones a lege requisitas in praesenti casu esse adimpletas. Ergo non obligat iniusta sententia in conscientia. Ex quibus omnibus sequitur, ut iniuste condemnatus possit se occulte compensare, sin aliter ius suum certum obtinere nequit[2]. Dico autem: «ius suum *certum*»; nam si ius est tantum dubium, tunc standum est sententiae iudicis, quia pro illo stat praesumptio. — Altera pars principii per se patet.

156 **Principium 3.** *In dubio, si agitur de crimine puniendo, iudex favere debet reo; nam nemo praesumitur malus, nisi probetur; sin autem agitur de rebus civilibus, iudex tenetur iudicare iuxta maiorem probabilitatem.*

Damnata est ab Innocentio XI propositio (2): «Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem»[3], et ab Alexandro VII proscripta est propositio (26): «Quando litigantes pro se habent opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.»[4] In causis *criminalibus* iudex debet absolvere accusatum, nisi eius culpa sit moraliter certa iuxta illud: «Nemo praesumitur malus, nisi probetur», et iuxta Regulam iuris 49: «In poenis benignior est interpretatio facienda.» — In causis vero *civilibus* iudex debet prae oculis habere principium: «In dubio melior est conditio possidentis», unde nequit privare aliquem bonis aut iuribus possessis, nisi evincatur rationibus certo probabilioribus, possessionem esse illegitimam.

157 **Principium 4.** *Nullo modo licet iudici acceptare munera proprie dicta a litigantibus.*

Ita statuunt omnia iura. Ratio autem est, quia huiusmodi dona grave inducunt periculum corruptionis. Unde dicitur: «Xenia et dona excaecant oculos iudicum.»[5] Dicitur autem: *munera proprie dicta;* nam iudex potest

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 67, a. 1. [2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 215.
[3] *Denz.* n. 1152. [4] *Denz.* n. 1126. [5] Eccli 20, 31.

accipere stipendium iustum sive a republica sive a litigantibus solvendum, ut per se patet. Pariter non prohibentur quaedam munuscula in esculentis et poculentis, quae ex mera liberalitate offeruntur[1], nisi etiam hoc sit specialiter prohibitum, ut de facto prohibuit Concilium Tridentinum[2] examinatoribus eorum, qui subeunt concursum ad parochiam obtinendam. Quando igitur iudex accipit munera proprie dicta, peccat graviter; immo tenetur illa restituere, si acceptavit et exegit pro sententia *iusta* ferenda, quia revera talis iudex iam vi officii sui tenetur sententiam iustam ferre. Ergo non potest exigere aliquod aliud munus pro eo, quod iam aliunde facere tenetur[3]. Sin autem iudex exegit munera pro ferenda sententia *iniusta*, certe tenetur haec munera restituere *ante* sententiam latam, quia accepit pecuniam ad faciendum peccatum, et quia tenetur hunc contractum turpem rescindere. Postquam autem sententiam iniustam tulit, tenetur quidem resarcire omnia damna, quae iniusto condemnato inferuntur; potest autem retinere munus acceptum, sicuti meretrix potest retinere pretium, quod accepit pro fornicatione facta[4].

Scholion. De iudicis obligatione iudicandi iuxta allegationes testi- 158
um. Acerrime disputant auctores, num iudex semper teneatur sententiam ferre iuxta allegationes et probationes testium, etiamsi ex scientia privata sciat, rem aliter se habere. Tres sententiae enumerantur: Prima asserit, iudicem teneri in isto casu spernere allegationes et probationes testium et iudicare iuxta scientiam suam privatam, quam certo cognoscit veram. Etenim videtur esse intrinsecus malum, condemnare innocentem, aut ad solvendum cogere aliquem, qui nihil debet. Pro hac sententia citantur Lessius[5], Bonacina[6] etc. illamque valde probabilem vocat S. Alphonsus[7]. — Secunda docet, iudicem teneri in causis *civilibus* et in causis *criminalibus minoribus* iudicare iuxta allegationes et probationes testium, non obstante quacumque scientia privata; in causis vero *criminalibus maioribus* iudicium ferendum esse iuxta veritatem, spretis testibus contrarium probantibus. Ita Lugo[8], Sylvius[9], Holzmann[10] aliique. Ratio huius sententiae est, quia quam maxime interest boni communis, ut rectus ordo iudicialis servetur, ac proinde princeps reipublicae praesumitur contulisse omnem suam potestatem iudici pro hoc fine obtinendo. Atqui princeps potest disponere de bonis privatorum propter bonum commune; pariter potest singulis civibus imponere leviora opera poenalia propter bonum commune; numquam autem potest poena mortis punire innocentem. Ergo ita etiam iudex facere potest, quando ad hoc cogitur allegationibus testium. — Tertia sententia docet, iudicem teneri quidem totis viribus iudicare iuxta veritatem certo cognitam ac proinde nihil debere relinquere intentatum, ut allegationes et probationes testium reddat conformes veritati; sin tamen in vanum ita conatus fuerit, iudicandum esse iuxta testium probationes, licet obiective sententia sit falsa. Ita S. Thomas[11], S. Raymundus, S. Antoninus, Caietanus, Dom. Soto, Bannez, Valentia, Sanchez,

---

[1] c. 2, I 3 in VI°. [2] Sess. 24, c. 18 de reform. [3] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 216.
[4] Cf. infra de contractu turpi n. 243 et *S. Alph.* l. c. l. 3, n. 712.
[5] De iust. et iure l. 2, c. 29, dub. 10.
[6] De octav. praec. disp. 10, q. 2, punct. 2.
[7] Theol. mor. l. 4, n. 208. [8] De iust. et iure disp. 37, sect. 4, n. 43.
[9] in 2, 2, q. 67, a. 2, concl. 1. [10] De praec. part. n. 609.
[11] S. theol. 2, 2, q. 67, a. 2.

Salmanticenses, Billuart aliique. Ad rem scribit Angelicus Doctor[1]: «Iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem.» — Tota haec controversia nunc minoris est momenti practici, cum in causis criminalibus maioribus plerumque non a iudice, sed a «*iuratis*» decernatur culpabilitas. Porro isti iurati tenentur sententiam ferre iuxta intimam suam convictionem, neque motiva suae sententiae afferre coguntur. Unde iurati semper debent iudicare iuxta veritatem obiectivam et non secundum falsas probationes testium. — Si iudicium ferendum est non de poena mortis, sed de aliis causis minoribus, theologi communissime docent, iudicem utpote personam publicam debere iudicare iuxta illa, quae publice scit ex testimoniis testium, non autem iuxta illa, quae cognoscit privata scientia. Unde et iidem theologi deducunt e contrario, iniuste agere et ad reparationem damni teneri iudicem, qui condemnat eum, quem privata scientia scit certo reum, quem tamen testes probant esse innocentem[2].

§ 2.

De obligationibus et peccatis accusatoris et actoris.

159 **Notiones.** In causa civili ille, qui contra alterum apud iudicem instat, vocatur *actor*, in causa vero criminali *accusator*. In stricte sensu accusator distinguitur a denuntiatore et accusatio a denuntiatione. *Accusatio* enim solet definiri: *delatio rei de crimine ad vindictam publicam facta per eum, qui spondet se probaturum crimen.* Finis igitur accusationis est vindicta publica sceleris ad servandum bonum commune. Accusator tenetur stricte *probare* exsistentiam criminis, secus graviter punitur. Antiquo iure Romano et in iure ecclesiastico habentur plura requisita pro legitima accusatione formali[3]. Nostris temporibus haec omnia sunt antiquata plus minusve. *Denuntiatio* est delatio criminis ad legitimum superiorem, ut ille investigare et punire possit, at non inducit strictam obligationem probandi. Quae quidem denuntiatio est aut *iudicialis*, si tendit in delictum puniendum, aut *evangelica*, si crimen superiori non ut iudici, sed ut patri denuntiatur ad corrigendum delinquentem. — Non sunt igitur confundendi: actor, accusator, denuntiator, seu actio, accusatio, denuntiatio.

1. In recentioribus iuribus vix admittitur formalis accusatio, nisi a personis ex officio suo ad hoc destinatis, e. g. a procuratore causarum publicarum (vulgo *Staatsanwalt, procureur du roi*). Istae autem personae tenentur accusare vel saltem iudicialiter denuntiare crimina inventa, nisi agatur de quibusdam rebus levioris momenti. Ratio est, quia in hunc finem sunt a legitimis superioribus constituti. Peccant

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 64, a. 6 ad 3.
[2] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 12, a. 2 et 3.
[3] Cf. ib. diss. 13, a. 1.

igitur huiusmodi officiales negligentes officia sua; immo ad reparationem damni tenentur, si ex neglecta denuntiatione damnum reale occurrerit aut reipublicae aut hominibus privatis.

2. Homo privatus tenetur crimina denuntiare, a) si hoc praescriptum est a lege positiva, e. g. denuntiatio sollicitantis ad turpia occasione confessionis; b) si hoc exigat bonum commune, e. g. denuntiatio falsificatorum monetae; c) si agitur de gravibus damnis a proximo privato avertendis. — In aliis casibus denuntiatio potest quidem aliquando fieri laudabiliter, sed non est necessaria. Numquam autem homo tenetur se ipsum denuntiare aut diffamare[1].

3. Denuntiatio *iudicialis* fieri potest ex rationabili causa, etiamsi correctio fraterna non praecesserit, quia haec denuntiatio imprimis intendit punitionem delinquentis ad conservandum bonum commune. Denuntiatio quoque *evangelica* saepe fieri potest non praemissa correptione fraterna, scil. si emendatio delinquentis sic efficacius obtineatur, aut si correctio fraterna appareat nimis difficilis, ut supra I, n. 602 dictum est.

§ 3.

De obligationibus et peccatis testium.

1. Generatim loquendo, iurium civilium statuta de testimonio fe- 160
rendo aut recusando considerari possunt ut obligantia in conscientia, cum videantur esse satis iusta. Multo maior obligatio adest pro illis, qui vi officii sui iuramentum aut testimonium praestare tenentur (vulgo *Amtseid*), quam pro hominibus, qui transgredientes ista statuta per se tantum laedunt iustitiam legalem.

2. **Obligatio** testimonium ferendi oriri potest:

a) *Ex caritate,* si scil. testimonium est necessarium ad evitandum damnum proximi aut reipublicae. Quando autem testimonium coniunctum est cum damno testificantis, adhibendae sunt regulae supra I, n. 578 sqq datae de ordine caritatis. Nemo enim tenetur ex caritate praecavere damnum alterius cum aequali vel maiore damno proprio. Cum haec obligatio caritatis oriatur a iure naturali, quilibet tenetur etiam sponte et non rogatus se offerre ad testificandum, si secus notabile damnum proximi aut reipublicae evitari non possit[2].

b) *Ex iustitia commutativa,* si scil. quis vi officii sui tenetur testimonium dare, e. g. policista, qui interrogatur a legitimo superiore de aliquo crimine viso[3].

c) *Ex iustitia legali* seu ex oboedientia, si scil. a legitimo iudice aliquis licite citatur ad testificandum. Haec enim citatio testium necessaria est ad bonum commune et ad ordinem iudicialem servandum.

---

[1] Cf. infra de reo. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 70, a. 1.

[3] Obligatio dandi verum testimonium est gravis pro huiusmodi officialibus, tum quia intercedit iuramentum *(Amtseid)*, tum quia libere suscipiendo talia officia contractum inierunt denuntiandi legitimis superioribus ea, quorum cura illis imposita fuit. Unde huiusmodi officiales tenentur ad restitutionem, si ex ipsorum falso testimonio vel ex omissione debiti testimonii reale damnum obvenerit.

3. **Excusationes a testimonio ferendo.** Dantur plures casus, in quibus testis citatus testimonium recusare aut potest aut debet. Huiusmodi casus sunt: a) Secretum *confessionalis sigilli* servandum. Quae enim sacerdos scit ex confessione sacramentali, non scit tamquam homo, sed tamquam minister Dei. Unde numquam confessarius potest violare sigillum confessionale. Et revera maxima incommoda orirentur pro religione christiana, si vel umquam confessarius posset sine expressa licentia poenitentis pandere secretum ex confessione sacramentali habitum. b) Etiam *secretum professionale* ut plurimum prohibet, ne testimonium feratur. Hinc medici, advocati, pharmacopolae etc. neque possunt neque debent testificari de rebus cognitis ex officio suo. Dico «ut plurimum»; etenim si necessarium sit ad avertendum grave damnum sive commune [1], sive alienum, sive proprium, potest adesse obligatio testificandi; e. g. medicus, qui ex officio suo scit, aliquam mulierem procurare saepius in aliis mulieribus abortum, tenetur testimonium reddere ad evitanda gravissima mala plurium abortuum. c) Si ex testimonio grave damnum oritur sive pro ipso testificante, sive pro propinquis personis testificantis. Quae quidem causa excusans solet etiam admitti a codicibus modernis. Unde e. g. nemo tenetur testimonium dare contra proprios parentes. d) Si iudex non est legitimus aut si non legitime interrogat. Unde e. g. clericus, absolute loquendo, non tenetur testimonium praestare coram iudice civili. Attamen quia moderna iura non solent agnoscere hanc immunitatem clericorum, et quia illegalis recusatio testimonii graviter punitur, hinc in praxi nullus clericus debet recusare testimonium ex *solo* titulo immunitatis clericalis. e) Si testis per iniuriam venit in notitiam rei, e. g. quia clam aperuit litteras. f) Si agitur tantum de alicuius criminis punitione, quae non ita necessaria est pro bono communi; e. g. cognoscens homicidium patratum ab aliquo ebrio, potest se aliquando mediis licitis subtrahere a testimonio ferendo, dummodo inde suspicio criminis non cadat in alterum aut aliud grave damnum oriatur.

4. **Culpa falsi testimonii.** Qui falsum testimonium dicit, per se graviter peccat contra iustitiam; unde falsus testis in S. Scriptura vocatur odibilis coram Deo [2]. Iuxta S. Thomam [3] falsum testimonium triplicem habet deformitatem: a) *Ex periurio,* quia testes non solent admitti ad testificandum nisi iurati. Periurium autem est gravissimum peccatum contra virtutem religionis, quae est pars potentialis iustitiae. b) *Ex violatione iustitiae* sive *legalis,* quae graviter praecipit verum testimonium dandum a teste legitime citato, sive *commutativae,* cum fere semper ex falso testimonio oriantur gravia damna realia proximi aut reipublicae. c) *Ex ipso mendacio;* falsum enim testimonium directe opponitur virtuti veracitatis, quae item est pars potentialis iustitiae. Merito igitur S. Augustinus dicit: «Falsidicus testis tribus personis est

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 68, a. 1 ad 3. [2] Cf. Prov 6, 19.
[3] S. theol. 2, 2, q. 70, a. 4.

obnoxius: primum Deo, cuius praesentiam contemnit; deinde iudici quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio laedit.»[1] — Per accidens falsum testimonium potest esse leve peccatum, si scil. ortum est ex inadvertentia aut oblivione, aut in parva materia. In praxi falsum testimonium rarissime est tantum peccatum veniale, nisi tamen testificans perturbatus propter sollemnitatem iudicii erraverit involuntarie circa res minoris momenti.

5. **Obligationes falsi testis.** Qui sciens et voluntarie falsum 161
testimonium dixit atque hoc modo iustitiam commutativam revera laesit, tenetur reparare omnia damna ex hoc falso testimonio orta. Ex falso autem testimonio non semper laeditur iustitia commutativa; e. g. qui falso testimonio liberavit reum a poena carceris secus certo habenda, nemini intulit damnum reale et proinde non tenetur ad restitutionem. Paulo aliter res se habet, si quis falso testimonio liberavit reum a mulcta pecuniaria solvendo gubernio. De hac re scribit post Lessium Noldin[2]: «Si testis ex prolato falso testimonio causa est, ob quam reus absolvatur et hac ratione fiscus mulcta pecuniaria privetur, non tenetur ad reparationem damni erga fiscum. Iudex enim non tenetur reparare damna, quae ex non imposita mulcta pecuniaria fisco obvenerunt; ergo neque testis.» S. Alphonsus vocat probabilem sententiam asserentem, «ad nihil teneri *iudicem*, si ad mulctam reus nondum sit condemnatus. Ratio, quia ante sententiam nullum fisco ius acquiritur ad poenam; hinc si iudex iniuste reum absolvit, peccat contra iustitiam legalem, non commutativam.»[3] Plures[4] non admittunt probabilitatem huius sententiae et reiciunt rationem allatam, quia minime constat, iudicem in hoc casu tantum peccare contra iustitiam legalem, cum vi officii sui ac proinde ex quasi-contractu teneatur fideliter officium suum adimplere et bonum reipublicae procurare. Sed quidquid est de hac *iudicis* obligatione, quae nobis videtur iudicanda esse iuxta diversas leges, quas violat, prout scil. aut sunt leges mere poenales, aut leges praeceptivae, falsus testis impediens mulctam poenariam fisco solvendam tenetur ad restitutionem, si haec mulcta imponitur ad reparanda *damna causata*, non autem si haec mulcta est effectus legis mere poenalis. E. g. Petrus, qui damnum intulit aedificio publico, liberatur ab obligatione damni reparandi ex periurio Pauli. Si Petrus hoc damnum non reparat, obligatio cadit in Paulum. At: Petrus, qui iamiam condemnandus erit ad solvendam mulctam centum francorum propter verba iniuriosa in imperatorem, liberatur ab hac mulcta propter periurium Pauli. In hoc casu neque Petrus neque Paulus tenetur mulctam solvere. — Quando falsus testis culpabiliter laesit iustitiam commutativam, tenetur damnum causatum reparare, etsi ipse par aut etiam paulo maius damnum pati debet. Ratio est, quia testis falsus

---

[1] Habetur c. 1, X 5, 20. [2] De praeceptis n. 741. [3] Theol. mor. l. 4, n. 196.
[4] Saepe citatur pro hac sententia *S. Thomas* (S. theol. 2, 2, q. 67, a. 4 ad 3), sed non ita constat de mente Angelici Doctoris.

est iniustus damnificator, qui tenetur omne damnum reparare, quod cum gravi culpa theologica causavit. Si testis ex inadvertentia aut cum culpa levi falsum testimonium proferens grave damnum causaverit, tenetur suum testimonium revocare et sic damnum reparare. Quid autem si falsus testis non potest damnum causatum reparare, nisi seipsum graviter diffamando et incurrendo maxima damna, e. g. poenam carceris longioris? — Lehmkuhl[1] asserit contra Schwane, falsum testem teneri suum crimen fateri. In opere autem «Casus conscientiae»[2] mitius loquitur. Et revera commune adagium fert: «Nemo tenetur se infamare.» Praeterea videtur esse actus heroicus, qui non exigi potest a poenitente, ut fateatur se voluntarie peierasse et ut acceptet durissimas poenas carceris et privationis honoris latas contra periuros. Unde obligatio se ipsum graviter diffamandi in praxi non est imponenda poenitenti, nisi tamen agatur de vitanda morte alterius. Sufficit, ut damna causata aliis quibus potest melioribus modis reparet[3]. Quantitas istius reparationis aliquando difficulter determinari potest.

6. **Pretium pro testimonio.** Testis per se nihil exigere potest pro *ipso* testimonio dando[4]. Iura tamen moderna determinant congruam compensationem illi debitam pro expensis itineris vel pro tempore impenso.

§ 4.

De obligationibus et peccatis advocati.

162 **Notio.** 1. Advocatus ille est, qui in iudicio defendit alterutrius litigantis partem. In pluribus regionibus solent distingui advocati, qui rem fisci vel boni communis ex officio tuentur (vulgo *Staatsanwalt, procureur du roi*), et advocati privati, qui causas privatorum defendunt. — In iure canonico plures ab officio advocandi arcentur[5].

2. **Obligationes advocati** sunt praecipue sequentes: a) habere sufficientem iuris scientiam et adhibere debitam diligentiam in causis agendis; b) defendere iustis mediis causas iustas; c) non exigere salarium exorbitans pro labore praestando aut praestito[6]. Salarium autem debet mensurari iuxta leges iustas; quod si lex illud non determinat, attendendae sunt conditiones tum advocati, tum clientis, tum laboris praestiti, tum libere stipulati contractus.

3. **Peccata advocati** sunt praecipue:

a) Defendere scienter causas iniustas. Hoc est enim cooperatio illicita ad malum. Unde S. Thomas docet: «Si [advocatus] scienter iniustam causam defendit, absque dubio graviter peccat et ad restitutionem tenetur eius damni, quod contra iustitiam per eius auxilium

[1] Theol. mor. I, n. 982. [2] I, n. 693.
[3] Cf. *Göpfert*, Moraltheol. II 263. [4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 71, a. 4 ad 3.
[5] Ib. a. 2. [6] Cf. ib. a. 4.

altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest.»[1] «Advocatus, si in principio quidem credidit causam iustam esse, sed postea in processu apparet eam esse iniustam, non debet eam prodere, ut scil. aliam partem iuvet, vel secreta suae causae alteri parti revelet. Potest tamen et debet causam deserere, vel eum, cuius causam agit ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.»[2] In causis *criminalibus* advocatus semper potest defendere accusatum mediis licitis. Immo iuxta vigentem disciplinam cuilibet accusato conceditur defensor. — Quando agitur de causa *divortii* coram iudice civili, advocatus catholicus semper potest defendere vinculum matrimonii legitimi; non autem potest cooperari ad divortium veri matrimonii obtinendum, nisi tamen scit, huiusmodi divortium nihil nisi effectus mere *civiles* esse producturum. Sin econtra praevidet, alterutrum coniugem post divortium obtentum ad novas nuptias esse convolaturum, tunc advocatus non potest istis causis patrocinari nisi adsit gravissima causa[3]. In hoc sensu videtur esse intelligendum decretum S. Officii 19 Dec. 1860: «Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit, a quo sententiam obtineat separationis quoad thorum et mensam, et dummodo sententia huius tribunalis nullum alium habeat effectum quam separationem praedictam, posse tolerari, ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, dummodo adsint iustae causae separationis iudicio Episcopi.»

b) Tractare negligenter causas susceptas et sic causare damnum clienti suo.

c) Non fideliter manifestare pericula, quae ex causa dubia suscepta oriri possunt. Peccat igitur advocatus et ad restitutionem tenetur, si nimia fiducia inspirat clientem, qui sic cum damno notabili causam dubiam prosequitur in tribunali et tandem perdit.

d) Nimis prolongare causam susceptam ad extorquendum maius salarium.

e) Peccat etiam advocatus, si causam iustam defendit *iniustis mediis*[4], e. g. producendo falsos testes, afferendo falsa documenta etc. Tunc quidem non peccat contra *iustitiam*, ac proinde non tenetur ad restitutionem, si causa defensa est *certo* iusta — quod quidem in praxi haud raro difficulter potest clare cognosci — sed peccat contra veritatem aliasque virtutes. Falso documento uti in iudicio numquam licet, etsi forte verum documentum identicum sine culpa deperditum fuerit. Sic e. g. non licet clam supplere defectum pure formalisticum in aliquo testamento, quod propter hunc defectum in tribunali censeretur invalidum[5].

[1] Ib. a. 3. [2] Ib. ad 2.
[3] Cf. infra in tractatu de matrimonio.
[4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 71, a. 3 ad 3. [5] Cf. infra de testamentis.

§ 5.

De obligationibus et peccatis accusati seu rei.

163 **Confessio rei**[1]. Claritatis causa distinguimus obligationes accusati *ante* et *post* sententiam iudicis. Praenotamus autem, sententias veterum auctorum hac in materia non esse semper applicandas hodie; etenim ordo iudicialis Medii Aevi quam plurimum differt a vigenti disciplina tum ecclesiastica, tum civili. Antiquis enim temporibus accusatus, cuius crimen fuit *semiplene probatum*, omnino tenebatur confiteri veritatem, et si hoc recusavit, torturae subiciebatur ad confessionem extorquendam. Qui quidem agendi modus non repugnat iuri naturali et aliquando bonos effectus protulit. Fatendum tamen est, etiam nonnullos inde abusus irrepsisse. Hodie omnia haec sunt antiquata apud gentes excultas. Numquam stricte exigitur a iuribus modernis civilibus, ut reus accusatus crimen suum fateatur. In iure autem ecclesiastico iam Benedictus XIII graviter mandavit, ne iuramentum ullatenus a reis exigatur, nisi tamen ut testes *quoad alios* examinentur. «Alias examen sive constitutum et acta omnia nulla sint eo ipso et irrita omnique careant contra reos effectu.»[2] Sin autem iuramentum non licet imponere reis, signum est, Ecclesiam nolle cogere reum, ut ipse fateatur crimen commissum. Quae cum ita sint, principium ab omnibus veteribus theologis positum: Reus legitime et servato iuris ordine inrogatus a iudice tenetur fateri veritatem, est quidem adhuc verum, sed iuxta moderna iura iudex iam nequit sub gravi obligare reum ad confitendum delictum suum. Unde Lehmkuhl[3] scribit: «Quare existimo, numquam adesse obligationem *gravem* confitendi; esse tamen veniale peccatum mendacii persistere in negando crimine, quando nulla amplius restrictio late mentalis concipi possit.» Adhuc magis absolute loquitur Noldin[4]: «Reus crimen a se commissum fateri non tenetur; quare a mendaciis quidem abstinere debet, ad interrogationes autem iudicis respondere potest cum restrictione mentali, immo ipsa negatio criminis in hoc casu non est mendacium, sed restrictio late mentalis, siquidem negat se commisisse crimen, quod fateri teneatur.» Quae quidem doctrina non est contra S. Thomam docentem: «Si [reus] confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.»[5] Etenim Angelicus Doctor probat hanc

---

[1] Reus in genere ille vocatur, a quo res petitur in iudicio sive civili sive criminali (cf. c 10, X 5, 40). Nos loquimur de illo reo, qui est accusatus in iudicio criminali; res autem, quae petitur, est punitio accusati.

[2] Conc. Rom. a. 1725. [3] Cas. consc. I, n. 502.

[4] De praeceptis n. 732.

[5] S. theol. 2, 2, q. 69, a. 1. Caietanus optimus interpres S. Thomae notat in hunc locum, tres esse casus, in quibus solis tenetur reus fateri veritatem: 1. cum praecessit infamia super aliquo crimine; 2. cum *manifesta* indicia criminis apparuerunt; 3. cum praecessit semiplena probatio. Limitat autem istos casus ita, ut raro adsit gravis obligatio confitendi crimen commissum. — In hodierna praxi puto, nullum confessarium posse denegare absolutionem reo, qui iudici recusat fateri crimen commissum. Reus

suam sententiam ex eo, quod reus in isto casu graviter laedit obedientiam debitam legitimo superiori praecipienti. Quod quidem verum fuit tunc temporis, tum secundum ius Romanum tum secundum ius ecclesiasticum. Hodie autem hoc iam non est verum, neque secundum iura civilia, neque secundum ius ecclesiasticum (saltem commune et ordinarie loquendo). — Quid vero, si ius ecclesiasticum *particulare*, e. g. in aliquibus ordinibus religiosis, adhuc confessionem criminis praescribat? Distinguendum est: Si in tali ordine omnia statuta non obligant sub culpa, sed sub *poena* tantum (quod communius est), etiam ista confessio criminis non obligat sub culpa; sin autem in tali ordine quaedam statuta obligant sub *peccato*, tunc forsan etiam sub peccato imponi potest confessio criminis. In praxi autem superiores ecclesiastici possunt quidem *monere* accusatos, ut libere fateantur culpam commissam, quia haec confessio est actus virtutis; sed prorsus caveant, ne imponant accusatis grave praeceptum confitendi delicta sua. — Confessarius accusatus propter sollicitationem ad turpia, iuxta Instructionem S. Officii d. 20 Febr. 1856[1] tenetur veritatem fateri. Sic enim habetur in ista Instructione n. 11: «Hisce peractis diligentiis reus in iudicium adducitur, et coram iudice . . . super singulis cuiusque denuntiationis et examinis adiunctis, iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet.» Cum autem tota haec Instructio habeat tantum vim directivam, et non praeceptivam, quia in fine ipsius normae indicatae non praecipiuntur sed *commendantur*, nondum clare apparet, confessarium peccare mortaliter, si recuset confessionem sui criminis. Numquam enim peccatum mortale asseri potest nisi id omnino constet. Ita salva meliore sententia.

2. **Defensio rei.** Reus accusatus potest se defendere omnibus mediis iustis, fere eodem modo, quo quis potest se defendere contra iniustum aggressorem. Ratio est, quia reus accusatus *ante* iudicis sententiam condemnatoriam censetur adhuc innocens. Hinc, necessitate exigente, accusatus potest e. g. occulta crimina testium enarrare, ad illorum testimonium infringendum; potest appellationem a iudice inferiore ad superiorem interponere[2]. Minime autem licet uti mediis *iniustis*, e. g. aliis falsa crimina calumniose imponere. Patet ex propositione 44 ab Innocentio XI damnata: «Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.»[3] — Ille, qui *iniuste* capitur aut condemnatur,

---

potest quidem a confessario admoneri, sed non cogi sub poena absolutionis denegandae ad confessionem. Quam plurimas diversas opiniones auctorum in hac quaestione videsis apud *Piat*, Prael. iur. regul. II 406 sqq.

[1] Collect. de Prop. Fide n. 1282.

[2] In causa criminali reus fere semper licite potest uti medio appellationis; in causis vero civilibus appellatio exigit solide probabiles rationes. Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. I. 4, n. 285; *Bannez*, Comm. in 2, 2, q. 69, a. 3, concl. 3.

[3] *Denz.* n. 1194; cf. etiam S. theol. 2, 2, q. 69, a. 2.

potest se defendere e. g. fugam capiendo etiam cum effractione carceris, resistendo satellitibus etc. Ratio est, quia ius naturale unicuique permittit, ut cum moderamine inculpatae tutelae se defendat contra iniustos aggressores. Hodiernis tamen temporibus *positiva* resistentia saepe est illicita, quia nedum est inutilis, sed etiam ipsi accusato causat magna damna [1].

164 3. **Poenae a reo sustinendae.** *Post* sententiam iudicis reus iuste condemnatus non potest positive resistere custodibus aut satellitibus. Ratio est, quia tunc legitimae potestati resisteret ac proinde, testante Apostolo, sibi damnationem acquireret[2]. At nihilominus theologi communissime docent, etiam iuste damnatum posse fugere e carcere, vel etiam vi effringere carcerem[3]. Ratio autem est, quia impositio carceris est praeceptum poenale, quod non obligat cum magno incommodo, et praesertim non ad actum heroicum, qualis est sponte manere in carcere, non obstante, quod adsit fundata spes evadendi illum. — Sed teneturne reus sic fugiens aut effringens carcerem reparare damna, quae causavit aut fisco aut custodibus? Etsi quidam auctores negant, verior videtur affirmativa sententia, si tamen fugiens revera damnum notabile intulerit, quod raro nostris temporibus accidit. Ratio est, quia licet fugiens non commiserit culpam theologicam fugiendo, tamen libertate recuperata quasi ditior est factus, et proinde convenienter tenetur damna resarcire, quae fugiendo causavit. Sin autem fuga fuit vana, quia scil. fugitivus iterum captus est, tunc non videtur esse obligatus ad aliquod damnum resarciendum, quia tunc gravius et longius in carcere punietur et haec poena tamquam compensatio damni causati haberi potest. Seclusa speciali prohibitione, aliis privatis hominibus licet non solum consulere reo fugam et carceris effractionem, sed etiam illi necessaria instrumenta ministrare. Hoc enim videtur esse cooperatio materialis ad actum, qui non est intrinsece malus. Non vero liceret incarceratum directe adiuvare ad effractionem carceris, quia hoc esset damnificatio iniusta boni alterius, et insuper quia tunc securitas publica nimis periclitaretur[4]. Reus in carcere detentus potest etiam custodes decipere, ut fuga fiat possibilis. Sic potest illis munuscula dare, potum inebriantem administrare etc., sed non potest illos directe corrumpere aut ad alia peccata officii neglecti inducere.

Nota. Doctrina supra exposita de poenis a reo declinandis, quae communiter proponitur a veteribus auctoribus, hodie videtur esse aliqualiter temperanda propter circumstantias prorsus mutatas. Etenim antiquis temporibus carceres fuerunt durissimi et captivus, qui semel evasit carcerem, difficulter iterum capiebatur. Hodie autem carceres non solent esse ita duri, evasio

[1] Notanda est propositio 18 damnata ab Alexandro VII: «Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare» (*Denz.* n. 1118). — Quae quidem propositio videtur esse damnata, quia per huiusmodi occisionem laeditur moderamen inculpatae tutelae. [2] Cf. Rom 13, 2.

[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 69, a. 4 ad 2. [4] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 283.

autem est fere impossibilis et saepe est coniuncta cum eminenti periculo mortis vel alterius gravissimi incommodi. Unde hodie fuga e carcere saepe est contra rectum et necessarium amorem sui, ac proinde illicita.

II. De iniuriis verborum extra iudicia.

Praenotamen. Iure merito S. Iacobus vocavit linguam «universitatem iniquitatis»[1], quia quam plurimae iniquitates et iniustitiae causantur per linguam. Agemus autem, ut iam supra art. 4 dictum est: 1. de veracitate; deinde de vitiis ei oppositis, scil. 2. de mendacio, ubi etiam de simulatione, de iactantia et ironia sermo erit, 3. de restrictione mentali, 4. de violatione secreti, 5. de laesione honoris, 6. de laesione famae, 7. de iudicio temerario. Sic complectimur ea omnia, quae alii auctores solent tractare *in octavo praecepto Decalogi.*

§ 1.

De veracitate.

Notiones. Veritas sumitur in diverso sensu: vel 1. pro conformi- 165
tate intellectus cum re aut rei cum intellectu (et hoc sensu agitur de veritate in philosophia, quae distinguit inter veritatem formalem seu logicam et veritatem ontologicam), vel 2. pro virtute morali. In hoc ultimo sensu veritas aliquando dicitur *veracitas* et definiri potest: *virtus inclinans ad dicendum verum, quando, ubi et quomodo oportet;* vel secundum S. Thomam: «habitus, quo aliquis et vita et sermone talem se demonstrat, qualis est»[2]. Optime notat idem Angelicus Doctor[3], actum illius, qui *ex iustitia* veritatem manifestat, puta cum aliquis in iudicio veritatem confitetur, aut verum testimonium dicit, directe pertinere ad virtutem iustitiae. De huiusmodi actibus supra locuti sumus, ubi sermo fuit de obligationibus iudicis, advocati, testis etc. . . . Si quis autem ex quadam *honestate* alteri veritatem manifestat, qualiter solet fieri inter homines privatos extra iudicium, tunc istiusmodi actus pertinet ad specialem virtutem *veracitatis*, quae est tantum *pars potentialis* virtutis iustitiae. Veracitas in hoc sensu sumpta est virtus specialis et moralis. Specialis quidem, quia exercet actus specialem rationem bonitatis habentes. Etenim specialis bonitas actuum nostrorum est, quod exteriora nostra (vel verba vel facta) debite ordinantur ad internam nostram intentionem, sicut signum ad signatum[4]. Notat autem Angelicus Doctor[5] ad hanc virtutem veracitatis reduci *simplicitatem*[6], quae opponitur duplicitati, qua scil. aliquis aliud habet in corde et aliud ostendit exterius. Aliqualiter ad hanc virtutem veracitatis reducitur etiam virtus *fidelitatis,* quae inclinat voluntatem ad sincere exsequenda promissa. Sicut enim veracitas est conformitas inter verba externa et internam mentem, ita fidelitas est conformitas inter facta praestanda et verba promissionis. — Virtus veracitatis, cum sit virtus

---

[1] Iac 3, 6. [2] S. theol. 2, 2, q. 109, a. 3 ad 3. [3] L. c.
[4] Cf. ib. a. 2. [5] Ib. ad 4. [6] *Offenheit.*

annexa iustitiae, cum ea partim convenit et partim deficit. *Convenit* autem virtus veracitatis cum iustitia in duobus, scil. esse ad alterum et constituere quandam aequalitatem. Veracitate enim unus homo alteri manifestat, et quidem secundum aequalitatem, suas internas cogitationes, in quantum verba aliaque externa signa aequant internam conceptionem. *Deficit* autem veracitas a propria ratione iustitiae, quia in iustitia est debitum strictum, cum in veracitate sit solum debitum morale honestatis, in quantum laesio veracitatis est quidem contra honestatem et debitum late dictum, sed per se solam neque inducit obligationem restitutionis, neque offendit debitum stricte dictum proximi[1].

Praestantia. Veracitas est virtus pulcherrima; ab omnibus laudatur et est perquam necessaria. «Quia homo naturaliter est animal sociale, debet ex quadam honestate veritatis manifestationem aliis hominibus, sine qua societas hominum durare non posset.»[2] Pacifica enim cohabitatio hominum est prorsus impossibilis, si loco veracitatis vigeant mendacia et fraudes. Unde S. Paulus monet: «Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.»[3]

Officia veracitatis sunt: 1. Amare veritatem in dictis et factis. 2. Conformare verba externa et facta cum interiore cogitatione, in quantum hoc possibile est, visis omnibus circumstantiis. Veracitas enim minime requirit, ut semper et ubique mentis iudicium exterius manifestetur; quod potius aliquando celari debet, cum secus haberetur violatio peccaminosa secreti. 3. Fideliter exsequi licite promissa.

Vitia veracitati opposita sunt *per defectum* mendacium, simulatio seu hypocrisis, ironia, iactantia et infidelitas in promissis. *Per excessum* autem veracitati opponitur violatio secreti. De singulis agendum est.

§ 2.

De mendacio.

166 **Definitio.** Mendacium solet definiri: *locutio voluntaria contra mentem.*

Explicatur. Dicitur 1°: *locutio;* nomine autem locutionis intelligitur quodvis signum externum, quo interiores conceptus significantur, sive hoc fiat verbis aut nutu aut gestu aut scripto etc. Nihilominus mendacium praecipue et fere semper fit loquela, et propterea merito vocatur peccatum oris atque definitur: locutio voluntaria contra mentem. — Dicitur 2°: locutio *voluntaria contra mentem.* Nam si quis loqueretur falsum ex ignorantia et sine consensu, non esset mendacium, sed locutio obiective falsa. Ad rem scribit S. Thomas: «Ratio mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc scil. quod aliquis habet *voluntatem falsum enuntiandi;* unde et mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur. Et ideo si quis falsum enuntiet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 109, a. 3.
[2] Ib. q. 114, a. 2 ad 1; cf. etiam q. 109, a. 3 ad 1.
[3] Eph 4, 25.

est praeter intentionem dicentis: unde non habet perfectam rationem mendacii. . . . Si vero aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id quod dicitur, in quantum tamen huiusmodi actus est voluntarius et moralis, habet per se falsitatem et per accidens veritatem: unde ad speciem mendacii pertingit.»[1] Qui igitur affirmat falsum quod putat verum, errat, non mentitur. E contrario, qui affirmat verum quod putat falsum, non errat quidem, sed mentitur[2]. — Disputant theologi, num ad essentiam mendacii pertineat *intentio* alios in errorem ducendi. Quattuor enim momenta in mendacio distingui possunt, scil. a) voluntas falsum dicendi, b) locutio difformis ab interiore iudicio mentis, c) voluntas alium decipiendi, d) deceptio realiter secuta. Absque omni dubio hoc quartum momentum non est de essentia mendacii, unde e. g. accusatus, cui asserenti suam innocentiam nemo prudens credit, mentitur, si absque restrictione mentali negat crimen commissum. Deceptio alterius est aliquando *effectus* mendacii, sed non ipsum mendacium. Tertium momentum, scil. voluntatem fallendi, esse de essentia mendacii asserunt communiter Scotistae, negant autem Thomistae post S. Thomam docentem: «Quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ipsius.»[3] Ideo adest verum mendacium, etsi mentiens certo praevidet, audientem minime credere suam locutionem fallacem. Waffelaert[4] tamen conatur probare, de facto nullam esse distinctionem inter sententiam thomisticam et scotisticam recte intellectam. Etenim eo ipso, quod quis scienter et serio loquitur aliquid falsum, intendit saltem *implicite* alium fallere. Unde si haec saltem implicita voluntas fallendi manifesto desit, iam non adest mendacium. Sic merito docent auctores moderni, mendacium non esse, si quis aperte falsa dicit ex ioco; si falsa quidem sed tantum materialiter profert; aut si quis adhibet locutiones manifeste ironicas aut hyperbolicas aut etiam locutiones, quae non solent intelligi sicut sonant verba; e. g. si famulus quaerenti respondet: herus non est domi, non vult dicere herum revera non esse domi, sed herum non posse adiri[5]. Ergo etiam iuxta Thomistas intentio *implicita* fallendi pertinet ad mendacii essentiam, sed minime requiritur intentio explicita, quae est tantum circumstantia aggravans.

Divisio mendacii. Iuxta S. Thomam aliosque theologos duae 167
divisiones mendacii dantur: 1. ex parte *finis* distinguitur mendacium officiosum, iocosum, perniciosum seu damnosum; 2. ex parte *oppositionis* ad veritatem distinguitur iactantia et ironia.

Mendacium *officiosum* illud est, quod praecipue profertur in propriam vel alienam utilitatem, quin alicui directe noceat, e. g. mendacia puerorum, ne puniantur propter delicta commissa.

Mendacium *iocosum* illud est, quod praecipue fit nugandi et delectandi causa, e. g. narrationes venatorum (vulgo *Jägerlatein*). Non autem sunt mendacia iocosa illae locutiones, quae quidem materialiter consideratae sunt falsae, sed ex ipso modo pronuntiandi statim intelligi possunt falsae (et non ut reapse verae), e. g. narrationes factae a

[1] S. theol. 2, 2, q. 109, a. 1. [2] Cf. *S. Aug.*, Enchir. c. 8. [3] L. c.
[4] Dissert. mor. sur la malice du mensonge p. 16 sqq.
[5] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 916, et *S. Thom.*, S. theol. 2, 2, q. 100, a. 3 ad 6.

sic dicto Münchhausen vel a Don Quichote. Ad rem scribit S. Augustinus: «Exceptis igitur iocis, quae numquam sunt putata mendacia — habent enim evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis — quo genere utrum sit utendum perfectis animis, alia quaestio est, quam modo enodandum non suscepimus» [1]; et: «Mendacia a mendacibus serio aguntur, non ioco; cum autem quae non sunt, tamquam ioca dicuntur, non deputantur mendacia.» [2] Nihilominus in *orali* conversatione huiusmodi ioci melius vitantur, quia facile degenerant in vera mendacia licet iocosa.

Mendacium *perniciosum* seu damnosum est illud, quod causat damnum speciale. Omne quidem mendacium (etiam iocosum) causat alteri damnum, in quantum ex natura sua inductivum est erroris in mentibus audientium. Error enim semper est quid malum. Quod autem quandoque mendacium nullum errorem de facto causat audientibus, est per accidens, et non impedit, ne omne mendacium *ex se* causet damnum. Quaedam autem mendacia producunt proximo specialia damna, e. g. circa scientiam, bona fortunae, bona corporis etc., et propterea vocantur in stricto sensu mendacia damnosa aut perniciosa.

Iactantia [3], prout hic sumitur, est violatio veritatis per *excessum* et definiri potest: *vitium quo quispiam exterius se offert supra id, quod in ipso est* [4]. Saepissime oritur ex superbia vel ex inani gloria.

Ironia [5] non sumitur hic pro locutione figurata, qua irrisorie ali quid per contrarium dicitur, sed pro simulatione, qua quispiam vel asserit de se aliquid vile, quod in seipso non recognoscit, vel negat de se aliquid magnum, quod tamen in seipso esse percipit. Unde opponitur veritati per *defectum* [6]. Peccatum ironiae solet saepissime accidere in falsis mendicantibus, qui exterius maximam egestatem simulant, licet reapse minime sint ita pauperes.

168 **Scholion. De simulatione et hypocrisi.** Ad mendacium reduci possunt *simulatio* et *hypocrisis*. Etenim ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Falsitas in verbis est mendacium; falsitas vero in signis exteriorum factorum est *simulatio* [7]. *Hypocrisis* autem est species simulationis; est enim vitium illius, qui sanctitatem non habet, sed tamen ita exterius se gerit, ut sanctus habeatur. Simulatio et hypocrisis iudicandae sunt praesertim ex fine *agentis*. Saepe enim assumuntur tamquam media ad obtinendum finem valde pravum. Absente fine inhonesto sunt peccata venialia vel prorsus carent culpabilitate. Facta enim externa non sunt ita clare et certo significativa, sed saepe sunt ambiguae interpretationis, ac proinde haberi debent, sicut amphibologiae, quae aliquando per-

[1] De mendac. c. 14. [2] In Gen. q. 145.

[3] Ἀλαζονεία (*Aristot.*, Ethic. l. 2, c. 7), *Großtuerei, Prahlerei, Aufschneiderei, gasconnade, bragging.*

[4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 112, a. 1.

[5] Εἰρωνεία (*Aristot.* l. c.), *Kleintuerei, fausse dépréciation de soi-même.*

[6] Cf. S. theol. 2, 2, q. 113, a. 1. [7] Cf. ib. q. 111, a. 1.

mitti possunt ex rationabili causa. Sic e. g. ex gravi causa clericus potest procedere in habitu laicali, etsi tunc multi illum tamquam laicum hominem habituri sint.

Malitia mendacii.

Principium 1. *Omne verum mendacium est intrinsecus malum,* 169
ita ut nulla prorsus ratione cohonestari possit.

Ita post S. Augustinum et S. Thomam sententia communissima, paucis catholicis theologis contradicentibus. Clemens Alexandrinus[1], Origenes[2], S. Chrysostomus[3], S. Hilarius[4] et praesertim Cassianus[5] videntur docuisse in casu necessitatis ad maximum damnum avertendum, licere uti mendacio sicut medicamento. En verba Cassiani: «Itaque taliter de mendacio sentiendum atque ita eo utendum est, quasi natura ei insit hellebori *[Nieswurz]*; quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre, ceterum absque summi discriminis necessitate perceptum, praesentis exitii est. . . . Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia, ita tamen ut reatu humilis conscientiae salubriter mordeamur.»[6] Sunt tamen plures theologi catholici[7], qui explicant Patres et veteres scriptores ecclesiasticos, quasi de liceitate restrictionis mentalis, non autem mendacii proprie dicti locuti sint[8]. Unde esset tantum lis de verbis. Moderni quidam theologi catholici distinguunt inter mendacium *morale,* quod numquam licitum est, et mendacium *psychologicum,* seu falsiloquium, quod in casu necessitatis licitum est iuxta Bolgeni[9], Piat O. Cap.[10], Tanquerey[11] et plures Protestantes, ut Grotius, Pufendorf, Martensen[12]. Nobis

---

[1] Strom. l. 7, c. 9 (*Migne,* Patr. graec. 9, 474).

[2] Strom. l. 6 (*Migne* l. c. 11, 102).

[3] Hom. 3, n. 3 in 2 Cor. 1, 17 (*Migne* l. c. 61, 408).

[4] Comm. in Ps. 14, n. 10 (Migne, Patr. lat. 9, 305). [5] Collat. 17, c. 17.

[6] L. c., apud *Migne,* Patr. lat. 49, 1062. Haec doctrina Cassiani videtur desumpta ex Platone, qui docuit mendacium esse aliquando salutare: *ψεῦδος ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει* (De republ. l. 3, c. 3). Eodem modo locuti sunt Socrates et Stoici. Econtra Aristoteles vocat mendacium ex natura ipsa aliquid malum: *Καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν, τὸ δ' ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν* (Ethic. l. 4, c. [13] 7, 6).

[7] Cf. *Waffelaert,* Dissert. mor. sur la malice du mensonge p 41 sqq.

[8] Praesertim non est ita clarum, quid senserit S. Hieronymus in hac quaestione. In Commentariis super epist. ad Gal. c. 2, 11—12 scripserat, S. Paulum idipsum fecisse, de quo S. Petrum vituperavit, et proinde non ita iuxta veritatem locutum esse. S. Augustinus vehementer inde commotus invitat S. Hieronymum, ut hac in re palinodiam canat (Ep. 67 inter opera S. Hieronymi; apud *Migne,* Patr. lat. 22, 650), sed ipse hoc valde aegre tulit et scripsit litteras sat vehementes ad suam sententiam defendendam; expresse autem asserit, se nolle «officiosum mendacium» defendere, sicut Augustinus illi imputavit, sed sanctos Apostolos ex quadam «honesta dispensatione» simulationem commisisse (Ep. 112; ib. 923). S. Augustinus nec hoc voluit admittere atque strenue defendit S. Paulum (Ep. 116; ib. 936 sqq). Ergo inter S. Augustinum et S. Hieronymum potius exsistit controversia de modo agendi S. Pauli, quam de liceitate mendacii. Fatendum tamen est, S. Augustinum extendisse verba S. Hieronymi ad mendacium officiosum. — Optime tum historice tum theologice totam hanc materiam tractat *Concina* (In Decal. l. 5 diss. 3, c. 20 et l. 10, c. 5), qui etiam clare ostendit falso citari S. Raymundum de Pennaforte tamquam permittentem in gravi necessitate mendacium officiosum.

[9] Mélanges théologiques de Liège 4e série (1850—1851), p. 409—413.

[10] Appendix 4 ad Theol. mor. auctore Van der Velden I 524 sq.

[11] Theol. mor., de iust. n. 410 sqq. [12] Die christl. Ethik II (1879), 245 sqq.

videtur iterum esse lis de verbis; quia id, quod illi vocant mendacium psychologicum seu falsiloquium *(fausseté)*, alii appellant restrictionem mentalem. Attamen multo melius esset, si expressiones «mendacium psychologicum» aut «falsiloquium» vitarentur. Etenim in praxi non est ita facile distinguere inter mendacium psychologicum et morale, atque valde male sonat, si catholicus theologus dicit: aliquod mendacium aliquando licitum est. — Quibus praemissis probatur mendacium proprie dictum esse intrinsecus malum:

1. *Ex S. Scriptura,* quae indiscriminatim omne mendacium prohibet. «Mendacium fugies»[1]; «Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum»[2]; «Nolite mentiri invicem»[3].

2. *Ex SS. Patribus.* S. Cyprianus[4], citans Prov. 12, 22, dicit non esse mentiendum, quia abominatio sunt Domino labia mendacia. — Praesertim autem S. Augustinus strenue probavit in diversis suis scriptis[5], mendacium numquam esse licitum, neque pro cuiuscumque salute temporali, neque ad servandam pudicitiam, neque pro salute proximi. Cum autem in non paucis S. Scripturae locis mendacia videantur approbata, e. g. Iacob, qui decipiebat patrem suum Isaac; obstetricum, quae per mendacium occultabant pueros Iudaeorum; Iudith, quae mendacio decipiebat Holofernum etc., ostendit S. Augustinus facta allegata aut non esse mendacia proprie dicta, aut non esse imitanda. Doctrinam S. Augustini assumpsit S. Thomas, qui simpliciter asserit: «Omne mendacium est peccatum»[6]; et: «Concedimus, quod mendacium semper est peccatum.»[7]

3. *Ex ratione.* a) *Mendacium repugnat fini naturali loquelae:* «Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente. Unde Philosophus dicit[8], quod ‚mendacium est per se pravum et fugiendum; verum autem est bonum et laudabile'.»[9] Mendacium est igitur abusus vocis. b) *Mendacium repugnat naturali commercio hominum.* Sine veracitate enim societas humana non potest in pace consistere. c) *Mendacium repugnat bono proximi audientis.* Ut supra dictum est, quodlibet verum mendacium ex natura sua inducit audientem in errorem. Porro inducere alium in errorem est nocere illi. Si quando mendacium non inducit in errorem, hoc est per accidens et proinde non mutat absolutam culpabilitatem illius.

170) **Principium 2.** *Mendacium in quantum praecipue opponitur veracitati est peccatum veniale; in quantum vero opponitur iustitiae, religioni aliisque virtutibus est ex genere suo peccatum mortale.*

Ratio primae partis est, quia abusus loquelae aliaeque inordinationes inventae in mendacio puro non videntur esse ita graves, ut constituant peccatum mortale. Sic etiam fert communis sensus fidelium etiam timoratorum, qui non putant se peccavisse mortaliter, si dixerunt mendacium iocosum aut officiosum. Et revera videtur esse nimis durum, condemnare aliquem ad poenam gehennae, qui cum mendacio iocoso aut officioso ex hac vita migravit. De istis mendaciis dicit S. Augustinus[10]: «Duo sunt omnino genera

[1] Ex 23, 7. [2] Lv 19, 11. [3] Col 3, 9

[4] Lib. 3 testim. ad Quirin. c. 104 (*Migne,* Patr. lat. 4, 807).

[5] De mendacio, Contra mendacium, Sermo 81, 133 et 166 (*Migne,* Patr. lat. 40, 494—497 et 541—547).

[6] S. theol. 2, 2, q. 110, a. 3. [7] Quodl. 8, a. 14.

[8] Ethic. l. 4, c. 7. [9] S. theol. l. c.

[10] Enarr. in Ps. 5, n. 7 (*Migne,* Patr. lat. 36, 86).

mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut ut prosimus mentimur. Illud primum in iocando ideo non est perniciosissimum, quia non fallit. Novit enim ille, cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam.» — Ratio autem alterius partis principii est, quia istae virtutes (caritas, iustitia, fides, religio) per se obligant sub gravi. Hinc absque omni dubio peccatum mortale committit ille, qui mentiendo grave scandalum causat et sic laedit caritatem, e. g. si episcopus diceret purum et putidum mendacium; aut si quis mentiendo causat grave damnum, quia est gravis laesio iustitiae; aut si quis mendacium dicit cum iuramento, quia laedit virtutem religionis; aut si quis loquitur contra veram fidem, quia laedit virtutem fidei. — Mendacia igitur, quae praeter veracitatem laedunt etiam alias virtutes, sunt ex genere suo peccata mortalia; evadunt autem peccata venialia aut ex levitate materiae, aut ex imperfectione actus[1]. Quando vero in S. Scriptura dicitur: «Perdes omnes, qui loquuntur mendacium»[2], et: «Os, quod mentitur, occidit animam»[3], talia et similia loca intelligenda sunt de mendacio pernicioso[4].

§ 3.

De restrictione mentali et amphibologia.

Declarationes. Stricte loquendo aequivocatio, amphibologia, 171
ambiguitas et restrictio mentalis distinguuntur. *Aequivocatio* enim est *verbum,* quod significat duas res diversas, e. g. volo (a velle aut volare), Gallus (gallus gallinaceus aut homo ex Gallia oriundus). Tali aequivocatione usus fuit Christus ipse, quando dixit: «Lazarus amicus noster dormit»[5]; dormire enim dicitur de somno aut de morte. — *Amphibologia* est *propositio* seu phrasis habens plures sensus, e. g. Petrus est domi (Petrus adest domi et Petrus edit domi). — *Ambiguitas* autem non tantum de verbis et propositionibus, sed etiam de aliis signis aut rebus dicitur. Sic e. g. plorare potest esse signum aut magnae tristitiae aut magnae laetitiae. — *Restrictio mentalis* est actus mentis, quo dum loquimur, verba restringimus ad alium ac ad obvium sensum. Si iste sensus, attentis omnibus circumstantiis loquentis et audientis, nullo modo apparet aut subintelligi potest, vocatur restrictio *pure mentalis;* e. g. aliquis interrogatus, num viderit Romam, respondet affirmative subintelligens in pictura. Sin autem sensus verborum a prudenti homine propter circumstantias comitantes subintelligi potest, vocatur restrictio *late mentalis;* e. g. si ancilla respondet volenti herum visitare: herus non est domi; quilibet prudens statim intelligit, hac phrasi non certo exprimi herum revera non esse domi, sed herum non posse recipere visitantem. A nonnullis auctoribus haec restrictio

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 110, a. 4. — Videtur nimis dura sententia a Tanquerey proposita: «Mendacium proprie dictum . . . est peccatum per se grave» (Theol mor., de iust. n. 411). Sin autem sub mendacio proprie dicto intelligitur mendacium damnosum tantum, vera est quidem propositio, sed tunc iste modus loquendi non placet, quia repugnat communi usui theologorum.

[2] Ps 5, 7. [3] Sap 1, 11. [4] Cf. S. theol. l. c. ad 1. [5] Io 11, 11.

potius *dictionis* quam mentis restrictio haud immerito vocatur, quia dictio restringitur ad unum ex duobus aut pluribus sensibus.

172 **Principium.** *Numquam licita est restrictio pure mentalis; si autem adsit necessitas et rationabilis causa, licet uti restrictione late mentali (seu dictionis) vel amphibologiis et aequivocationibus.*

Ita docent nunc omnes theologi catholici; ita agunt in quotidiana vita omnes prudentes homines (etiam illi Protestantes, qui quidem tantis calumniis accusant sic dictam «laxam Moralem catholicam», sed nihilominus admittunt mendacium psychologicum seu falsiloquium, ut supra dictum est).

Probatur 1ª pars. Restrictio *pure* mentalis est purum mendacium. Atqui purum mendacium numquam licitum est. Ergo nec restrictio pure mentalis. Etenim in restrictione pure mentali exterior loquela habet sensum ita diversum ab interiore conceptu, ut nullus audiens suspicari possit veritatem. Ergo est purum mendacium. Unde merito dicit Billuart[1]: «1. Si licitus foret usus restrictionum pure mentalium, nullus nisi hebes et plumbeus mentiretur, cum nihil sit facilius, quam mentaliter detorquere sensum verborum ad quodvis aliud. 2. Usus restrictionum mentalium non minus nocet societati humanae quam mendacia, cum inde aeque decipiantur audientes.» — Innocentius XI damnavit propositiones sequentes[2]: «Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus»; et: «Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.»

Probatur 2ª pars. Finis restrictionis *late* mentalis est occultatio veritatis. Atqui in necessitate et ex rationabili causa licet occultare veritatem *mediis non intrinsecus malis.* Ergo restrictio late mentalis, quae non adhibet media intrinsecus mala, licita est in necessitate et ex causa rationabili. S. Augustinus[3] dicit: «Quamquam omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis, qui vult celare quod verum est, mentitur»; et S. Thomas[4] docet: «Non est licitum mendacium dicere; ... licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione.» — Immo occultatio veritatis non tantum licita est, sed aliquando *graviter mandatur,* e. g. praecipitur secretum commissum. Restrictio autem late mentalis adhibet media non intrinsecus mala ad celandam veritatem. Etenim verba prolata possunt habere sensum intentum; immo audiens visis omnibus circumstantiis deberet hunc sensum suspicari. Unde audiens non directe et necessario decipitur, sed eius deceptio potius indirecte tantum permittitur. Huiusmodi vero deceptio indirecta potest permitti, si adsit rationabilis causa aut necessitas. Nam bonum societatis humanae requirit, ut adsit medium licite occultandi veritatem et servandi secretum. Quandoque autem non adest aliud medium nisi aequivocatio aut restrictio late mentalis. Talis enim est hominum indoles, ut si taceas, vel

---

[1] De relig. diss. 9, a. 2.

[2] Prop. 26 et 27 (*Denz.* n. 1176 sq). Desumpti sunt isti errores ex *Th. Sanchez,* In Decal. l. 3, c. 4. Cf. etiam prop. 24, 25 et 28 (*Denz.* n. 1174 sq 1178).

[3] Contra mendacium c. 10. [4] S. theol. 2, 2, q. 110, a. 3 ad 4.

si recuses responsionem interroganti, statim concludant, rem ita se habere sicuti existimant aut interrogant. — Ipse Christus videtur adhibuisse aliquando restrictionem mentalem. Nam petentibus discipulis, ut ascenderet ad diem festum, respondit: «Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo»[1], et tamen postea ascendit. Nihilominus neque mutavit propositum, neque a fortiori mentitus est, quia revera non ascendit sollemniter et publice, sicuti Apostoli petebant dicentes: «Transi hinc et vade in Iudaeam, ut discipuli videant opera tua, et manifesta teipsum mundo», sed ascendit «non manifeste, sed quasi in occulto», ut notat Evangelista. Pariter cum restrictione mentali videtur Christus quaerentibus Apostolis de die iudicii respondisse: «De die autem illo vel nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.»[2] Certo enim Filius Dei scit diem iudicii, sed non scit eam ad manifestandum Apostolis.

Etsi igitur restrictio late mentalis est licita, nihilominus in eius *usu* semper requiritur *necessitas;* unde peccat ille, qui in rebus levioribus saepius adhibet huiusmodi aequivocationes seu restrictiones. Si enim id liceret, audiens fere in quovis dicto deberet suspicari ambiguitatem et fere numquam posset tuto credere loquenti; quod quidem certo vergeret in detrimentum pacificae cohabitationis. Ad discernendum autem, quandonam adsit causa sufficiens adhibendi huiusmodi amphibologias, sit haec regula: Quando interrogans ius strictum habet cognoscendi veritatem (e. g. in essentialibus rebus contractus onerosi), non licet veritatem celare restrictione late mentali; quando autem quis importune et iniuste interrogat, atque responsio non potest negari sine offensione interrogantis et sine periculo violandi secretum, tunc licet uti istis amphibologiis[3].

Applicationes. Quamvis principium enuntiatum ab omnibus mo- 173
dernis (contradicentibus quibusdam antiquis) admittatur, tamen eius applicatio in praxi haud caret difficultate, quia aliquando difficile est discernere inter restrictionem pure et late mentalem. Unde sequentes resolutiones practicas damus:

1. Confessarius interrogatus de quacumque re cognita ex confessione semper *potest,* immo aliquando *debet* dicere: Nescio. Omnis enim interrogatio sic confessario posita est iniusta, et revera confessarius ut *homo* nescit ea, quae audivit in confessione tamquam minister Dei. Dico autem, aliquando *debet* dicere: Nescio, si nempe secus sigillum confessionis in periculum veniret. Possunt enim casus accidere, in quibus ex recusata responsione interrogans facile suspicatur responsionem affirmativam suae interrogationis. — Confessarius etiam *sub iuramento* potest dicere: Nescio. — Poenitens quoque potest uti amphibologiis, quando confessarius ponit quaestionem indebitam de peccatis iam confessis; potest enim tunc respondere: Non commisi hoc peccatum (subintelligendo, quod teneor tibi revelare, quia iam confessus sum illud).

2. Omnes, qui tenentur servare sic dictum *secretum professionale,* e. g. secretarii, advocati, medici, pharmacopolae, obstetrices etc., possunt uti restrictione mentali ad servandum istud secretum, si non sup-

[1] Io 7, 8. [2] Mc 13, 32.
[3] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 9, a. 2.

petat aliud medium. Ratio est, quia unusquisque audiens facile intelligit, has personas nec posse nec velle violare secretum professionale.

3. Qui invitatus ad prandium interrogatur, num cibus illi sapiat, potest respondere: affirmative, licet revera cibus sit insipidus. Ita saltem, si secus et sibi et domino coenae incommoda pararet. Ratio autem est, quia huiusmodi verba urbanitatis (vulgo *compliments*), sicuti etiam subscriptiones: devotissimus, oboedientissimus, addictissimus servus etc., a nemine prudenti sumuntur in stricto et obvio sensu.

4. Famulus iussu domini potest visitanti dicere: Herus non est domi; quae quidem locutio saltem in nostris regionibus nihil aliud significat nisi: herus non potest videri, seu herus non est domi, ut recipiat visitatores. Pariter petenti mutuum aut commodatum saepe (sed non semper) responderi potest: Non habeo, scil. quod facile tibi dare possum.

5. Nonnullae restrictiones, quae a quibusdam antiquis auctoribus habebantur licitae, videntur tamen esse reiciendae; sic e. g. affirmare aliquid alta voce addendo submissa voce restrictionem, ut si quis diceret alta voce; non feci, et submisse obmurmuret: hodie. Qui enim ita ageret, merito tamquam homo dolosus et mendax haberetur. Pariter nostris temporibus videtur illicitum, si quis clericus non obligatus ex iure canonico ad vectigal solvendum, declaret se nihil ferre, vel habere (subintelligendo, quod subiacet vectigalibus). Si enim detegerentur bona apud clericum, ipse ab omnibus haberetur ut defraudator et grave scandalum causaret.

174 **Monitum.** Generatim loquendo omnes restrictiones mentales sunt pro viribus vitandae, et non nisi vera exsistente necessitate, quae alio modo vitari nequit, adhiberi possunt. Maxime autem istae restrictiones sunt vitandae *in iuramento*. Nam si quis inventus esset iuramentum fecisse cum restrictione mentali, iuxta modernam tribunalium praxim statim condemnaretur ut periurus. Utatur igitur requisitus ad testimonium ferendum aut fatendam veritatem iure sibi concesso recusandi testimonium. — Propter usum restrictionis mentalis haud parva invidia causata est Theologiae morali, sed immerito! Licet enim quidam auctores longius excesserint in hac materia ac proinde etiam ab Innocentio XI condemnati fuerint, tamen vera Theologia moralis catholica restrictionem mentalem semper intra iustos limites compescuit[1].

[1] Cf. *Billuart,* De mendacio diss. 9, a. 2, qui optime disserit de hac materia et etiam 14 loca ex S. Scriptura bene explicat, in quibus adesse videntur aut mendacia aut restrictiones mentales. Perpulchre scribit vel ipse Caramuel, qui vocatus est a S. Alphonso «princeps laxistarum»: «Est mihi innata aversio contra restrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis et sinceritatis, necessariae non sunt. Nam omnia, quae ipsae praestare possunt, praestabunt consignificantes circumstantiae. Quod si tales dicantur, ut etiam ibi admittendae sint, ubi desunt circumstantiae significantes (ignoscant mihi earundem auctores et propugnatores), tollunt humanam societatem et securitatem et tamquam pestiferae damnandae sunt. Quoniam semel admissae aperiunt omni mendacio, omni periurio viam. Et tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur

§ 4.

De violatione secreti.

Sicut mendacium violat virtutem veracitatis per *defectum*, ita illam 175
violat violatio secreti per *excessum*. Unde convenienter post mendacium et restrictiones mentales sermo est de violatione secreti.

Notio. Secretum obiective sumptum est res occulta; subiective vero acceptum est cognitio istius rei occultae atque obligatio cognitionem acceptam conservandi occultam. De hoc secreto subiective accepto hic tractatur.

Divisio. Triplex solet distingui secretum:

1. Secretum *naturale*, quod est obligatio servandi secretum orta ex ipsa natura rei. Quod quidem secretum naturale distinguitur iterum vel *simplex* vel *extortum*. Simplex secretum naturale est illud, quod quis cognoscit vel fortuito vel propter levitatem aut inconsiderationem alterius, e. g. fortuito videt aliquis occultum vitium probrosum alterius. — Extortum secretum naturale est illud, quod quis callida investigatione peracta cognovit, e. g. aliquis data opera investigat de vita privata alterius.

2. Secretum *promissum* est illud, quod quis promisit *post acceptam notitiam* rei. Quae quidem promissio duplici modo dari potest. a) Aliquis rem secretam alterius iam cognovit aliunde, et nunc promittit illi secretum servandum. b) Aliquis audivit rem ab alio sine secreto et postea illi promittit secretum. In secreto igitur promisso cognitio secreti *antecedit* promissionem.

3. Secretum *commissum* seu rigorosum *(anvertrautes Geheimnis)* est illud, quod non fuit communicatum nisi praehabito pacto implicito aut explicito servandi secretum. Si hoc pactum fuit *implicitum* seu tacitum, secretum vocatur *officiosum (Amtsgeheimnis)*, quia oritur ex officio suscepto. Tali secreto officioso ligantur e. g. medici, obstetrices, consiliarii etc. Sin autem pactum fuit *explicitum*, hoc secretum vocatur secretum commissum *privatum*, e. g. Petrus dicit Paulo: Volo tibi narrare rem magni momenti, dummodo mihi strictum silentium promiseris. Paulus, promisso silentio, audit rem. Hoc secretum est illi commissum privato modo. — Summum gradum secreti commissi obtinet secretum *sacramentale*, seu sigillum confessionale, de quo sermo erit in tractatu de poenitentia.

Principium 1. *Mediis iniustis numquam licet explorare secretum* 176
alterius; accedente autem sufficienti causa licet adhibere media iusta ad cognoscendum secretum alterius.

Prima pars huius principii per se patet, cum numquam liceat adhibere media iniusta ad aliquem finem obtinendum. Accedit, quod secretum est

---

mendacium, naturam et malitiam non mutet sed nomen, ita ut hodie iubeatur restrictio mentalis nominari; quod est virus condire saccharo et scelus specie virtutis colorare» (Theol. fund. II, n. 805 [p. 182]).

revera res aliena. Porro sicut non licet usurpare rem alienam, ita nec etiam permittitur secretum alterius explorare. Hinc non licet auscultare ad parietem vel portam, aperire litteras alienas, inventum artis mediis iniustis detegere; a fortiori non licet uti secreti notitia iniuste accepta. — Secunda pars principii etiam facile probatur. Sicut enim non est peccatum rem alienam materialem auferre accedente legitima causa, si scil. dominus iam non est rationabiliter invitus, ita etiam ex sufficienti causa licet iusta media adhibere ad explorandum secretum alterius. Sic e. g. licet iustis mediis explorare in bello vires et positiones hostis; patri licet inquirere de occultis criminibus filii ad eum corrigendum.

177 **Principium 2.** *Secretum naturale obligat per se sub gravi, et qui illud violat sine iusta causa, peccat contra iustitiam.*

Ratio est, quia secretum naturale est illud, ad quod proximus strictum ius habet ex ipsa natura rei. Ex revelatione autem talis secreti proximus tristatur, et haud raro damna illi oriuntur in bonis fortunae vel famae. Unde patet, illum, qui sine iusta causa laedit secretum naturale, peccare et quidem ex genere mortaliter. Ex levitate materiae aut damni causati hoc peccatum evadit veniale. Peccat igitur, qui revelat sine sufficienti causa occulta peccata vel occultos defectus alterius. — Quaenam sint iustae causae revelandi secretum naturale, infra dicetur.

178 **Principium 3.** *Secretum mere promissum per se ordinarie non obligat, nisi sub levi.*

Dico 1°: secretum *mere* promissum. Nam saepe huiusmodi secretum est etiam naturale, et tunc applicandum est principium praecedens. — Dico 2°: *per se* non obligat; nam per accidens violatio secreti promissi potest esse grave peccatum, si scil. propter hanc violationem causatur grave damnum proximo. — Dico 3°: *ordinarie* non obligat, nisi sub levi; nam accidere potest (licet raro), ut quis promittat sub gravi se servaturum esse secretum; e. g. promitto tibi secretum ita firmiter, ut si fregerim illud, soluturus sim 1000 francos. — Principium cum his clausulis sumptum probatur hoc modo: Violatio secreti promissi est sola violatio fidelitatis. Atqui virtus fidelitatis, quae est pars quaedam veracitatis, non obligat per se nisi sub levi, ut dictum est supra n. 165 et 170 de mendacio. Ergo violatio secreti promissi per se non est nisi peccatum veniale. — Nihilominus valde vitanda est violatio secreti promissi, quia inde saepe oriuntur rixae et graves inimicitiae.

179 **Principium 4.** *Secretum commissum obligat per se sub gravi, et quidem gravius quam secretum naturale et promissum.*

Ratio est, 1. quia in secreto commisso semper habetur contractus (implicitus vel explicitus) non revelandi ea, quae cognoscuntur, et 2. qui violat secretum commissum, laedit ius tum *proximi* tum *societatis*. Etenim proximus non revelasset suum secretum, nisi sub conditione illud fideliter custodiendi. Praeterea bonum societatis postulat, ut omnes tuto possint consilium aut auxilium petere ab iis, qui ex speciali officio ab auctoritate publica approbato illud praebere valent. Atqui si isti officiales possent absque legitima et urgenti causa revelare secreta sibi commissa, iam nemo illos adiret; quod certo afferret magnum incommodum pro bono communi.

Ut ex praedictis apparet, obligatio diversorum secretorum est diversa. Tamquam regula generalis haberi potest: *Secretum obligat*

secundum quantitatem damni, quod vel bono publico vel bono privato iniuste infertur ex illius violatione.

Causae iustae manifestandi secretum. Sicut proximi res 180
materialis sub quibusdam conditionibus licite auferri potest, ita a pari etiam secretum, ad quod proximus ceteroquin ius habet, aliquando revelari potest, immo et debet. Custodia enim secreti praescripta est propter bonum tum privatum tum publicum. Principium autem generale est: Quando finis legis cessat *contrarie*, i. e. quando lex evasit non tantum inutilis, sed etiam nociva, cessat ipsa lex. Unde in casu, quo lex de custodiendo secreto nedum prodest sed potius obest bono privato et publico, haec lex cessat; seu aliis verbis: Causa iusta manifestandi secretum est *urgens necessitas boni privati aut publici.* In isto enim casu proximus est irrationabiliter invitus, quod secretum revelatur; seu censetur iuri suo de custodia proprii secreti renuntiare.

1. Boni igitur *publici* urgens necessitas postulat manifestationem secreti. Dico autem: *urgens necessitas;* nam si tantum adesset quaedam utilitas, non liceret pandere secretum. Propter hanc rationem eadem principia hic applicanda sunt, quae supra de obligatione denuntiationis statuebantur. E. g. medicus tenetur denuntiare aliquem aegrotum, qui facile posset inficere alios.

2. Boni *privati* necessitas respicit aut ipsum scientem, aut tertiam personam, aut ipsum, qui secretum tradidit.

a) Bonum *proprium scientis* tunc est causa iusta manifestandi secretum, quando secus sequeretur ipsius damnum grave. Quod quidem damnum ordinarie debet esse gravius illo, quod sequitur pro altero ex revelatione secreti. Si agitur de secreto servando, quod est omnino necessarium pro *bono communi,* illud nullo modo, etiamsi mors imminet, revelari potest, e. g. miles captus ab inimicis nullo modo potest revelare secreta suae patriae. Sin autem agitur tantum de secreto alicuius hominis *privati,* tunc fere semper nemo tenetur servare secretum cognitum cum magno damno proprio; quia nemo supponitur suscipere tale secretum cum tanto incommodo. Exceptio est, si quis promisit explicite etiam cum maximo incommodo servare secretum. Tunc enim iuxta sententiam veriorem promissio servanda est. Sunt tamen plures auctores, qui etiam in isto casu permittunt violationem secreti ex gravissima ratione [1].

b) Bonum *tertiae personae* exigit revelationem secreti, si illa secus magnum damnum iniuste pateretur. E. g. Petrus sub secreto sciens Paulum parare mortem Andreae, debet prius pro viribus avertere Paulum ab huiusmodi perverso proposito; quodsi iste non vult desistere, Petrus debet certiorem facere Andream de periculo sibi imminente; vel medicus cognoscens vi officii sui sponsum, qui se sanum fingit, laborare morbo syphilitico gravi et contagioso, debet illum a matrimonio avertere; quodsi hoc fuerit invanum, potest rem manifestare sponsae ad illius

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 971.

et prolis forsan nasciturae maximum periculum praecavendum. Ita saltem ex iure naturali. In praxi attendenda sunt quoque statuta iuris positivi hac in re. Quid autem dicendum, si Petrus cognoscit ex secreto commisso, Titium esse homicidam, loco autem illius Sempronium innocentem esse accusatum, condemnatum et iamiam morte puniendum? Regula generalis est: Tamdiu teneor servare secretum commissum, quamdiu committens mihi secretum ius habet, ne prodam illud. Atqui in isto casu Titius non tenetur confiteri crimen suum cum propriae mortis instantissimo periculo. Ergo retinet ius ad secretum. Ergo Petrus nequit secretum commissum manifestare ad salvandum Sempronium[1]. Verumtamen haec sententia non videtur satis probata. Quamvis enim regula proposita sit optima, tamen non est satis probatum, in illo casu committentem adhuc ius habere ad secretum. Licet enim *ipse* non teneatur se prodere, quia potest magis amare propriam vitam quam vitam alterius, tamen inde minime sequitur, ut nec ego possim aut debeam prodere illum ad salvandum innocentem. In hoc enim casu duae vitae periclitantur, scil. vita innocentis et vita rei. Porro, ceteris paribus, debeo salvare potius vitam innocentis quam vitam rei. Reus autem non potest esse rationabiliter invitus, quod ego salvem vitam innocentis, licet hoc fieri nequeat sine revelatione secreti commissi.

c) Bonum illius, *qui secretum tradidit,* permittit aut exigit manifestationem secreti, si secus illi magnum damnum obveniret. Non enim praesumitur, illum esse in isto casu invitum, et si nihilominus repugnaret secreti manifestationi, esset irrationabiliter invitus. Unde si quis tibi secreto committit, se velle inire matrimonium nonobstante impedimento ligaminis, et non possis illum aliter impedire, teneris revelare hoc impedimentum proprio parocho, ut sic concubinatus vitetur.

181 **Scholion. De lectione litterarum alienarum.**

«Qui litteras aut scripturas alienas secretas legit absque consensu mittentis, vel absque legitima auctoritate seu causa iusta, vel aliter per vim vel fraudem alterius secretum expiscatur, peccat contra iustitiam.» Ita recte Billuart[2]. Ratio est, quia est ad instar furis aut praedonis, qui alteri iniuste aufert bona. Secretum enim est bonum, ad quod proximus strictum ius habet. Hoc peccatum erit mortale vel veniale pro quantitate vel damni vel periculi, vel intentionis graviter aut leviter damnificandi. Unde peccat tantum venialiter, qui aperit litteras, quas moraliter *certo* scit, non continere nisi salutationes aut res levioris momenti. Econtra peccat mortaliter, si sciat aut etiam dubitet, eas continere res infamantes, aut quae secreta manere multum interest illius, qui mittit aut recipit[3]. In praxi severe corripiendi sunt omnes, qui iniuste litteras alienas intercipiunt aut legunt. Etiam codices criminales moderni solent graviter punire illos, qui secretum epistolare violant[4].

Dixi autem 1°: litteras aut scripturas alienas *secretas,* quales sunt litterae clausae, aut etiam apertae, si in loco secreto conservantur, e. g. in armario

[1] Ita Laymann apud *Noldin,* De praeceptis n. 670.
[2] De iure et iust. diss. 15, a. 4, appendix. [3] Cf. *Billuart* l. c.
[4] Cf. Cod. poen. Germ. § 299 et 354 sqq.

aut etiam casu sint amissae; secus si sunt proiectae, quia tunc habentur ut derelictae. Litterae autem minutatim discerptae et in locum publicum proiectae nihilominus censentur secretae. Unde cum S. Alphonso[1] censeo, peccare contra iustitiam illum, qui fragmenta astute colligit, componit et legit. Ratio est, quia nimis difficile est omnes litteras comburere aut alio modo ac laceratione destruere. Minime autem talis proiectio in locum pervium significat (ut vult Lugo[2]), dominum cedere iuri suo in litteras ita minutatim discerptas, quarum lectionem impedire nequit.

Dixi 2°: *absque consensu mittentis aut recipientis.* Qui quidem consensus potest esse expressus aut tacitus. Sic maritus ordinarie non peccat legendo litteras uxoris, quippe quae maritum nihil celare velit.

Dixi 3°: *vel absque legitima auctoritate.* In pluribus institutis religiosis et etiam civilibus (e. g. in carceribus, in hospitiis amentium etc.) statutum est, ut superiores possint aut debeant legere litteras subditorum. Excipiuntur autem litterae ad superiores maiores missae vel ab illis missae. Huiusmodi statuta non sunt iniusta, quia quilibet aut libere ingressus est in tale institutum et tunc censetur consensum praebuisse de litteris suis, aut propter defectus suos morales physicosve cogitur intrare in tale institutum, e. g. in carcerem, et tunc aperitio litterarum est vel iusta poena vel est necessaria pro bono communi. Quodsi istae litterae aperiunt *secreta conscientiae,* superior melius abstineat a lectione.

Dixi 4°: *vel iusta causa.* Nimirum ad avertendum grave damnum vel sibi vel praesertim reipublicae. Hinc tempore belli dux exercitus licite aperire potest litteras hostium. Paterfamilias potest legere litteras filiorum, saltem si isti sunt minorennes. Homo privatus, qui *fundate* timet, ne aliqua epistola sibi *grave* damnum iniuste inferat, potest legere eam.

§ 5.

De laesione honoris.

Definitio. Honor est *testificatio de excellentia alicuius*[3]. Quae 182
quidem testificatio solet fieri triplici modo: *verbis,* cum quis ore pronunciat excellentiam alicuius; *factis,* sicut inclinationibus, cessione primi loci; *exterioribus rebus,* e. g. per oblationem munerum, collationem dignitatis etc. Ista testificatio autem debet exhiberi personae *praesenti* vel saltem eius imagini aut alio repraesentativo. Sic honoratur rex praesens aut repraesentatus per suum delegatum; sic honorantur sancti in imaginibus aut reliquiis eorum. Quando testificatio excellentiae respicit *absentem,* magis pertinet ad famam quam ad honorem eius.

Notanda est ex S. Thoma differentia inter honorem, reverentiam, laudem et gloriam. «*Reverentia* non est idem quod honor. Sed ex una parte est primum *motivum* ad honorandum, in quantum scil. aliquis ex reverentia, quam habet ad aliquem, eum honorat; ex alia vero parte est honoris *finis,* in quantum scil. aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ab aliis.»[4] «*Laus* distinguitur ab honore dupliciter: uno modo, quia laus consistit in solis signis *verborum* (sive oralium, sive scriptorum); honor autem in

[1] Theol. mor. l. 5, n. 70. [2] De iust. et iure diss. 14, n. 151.
[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 103, a. 1. [4] Ib. ad 1.

quibuscumque exterioribus signis, et secundum hoc laus in honore includitur; alio modo, quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius *absolute;* sed per laudem testificamur de bonitate alicuius *in ordine ad finem,* sicut laudamus bene operantem propter finem. Honor autem est etiam optimorum, quae non ordinantur ad finem, sed iam sunt in fine. — *Gloria* autem est *effectus* honoris et laudis; quia ex hoc, quod testificamur de bonitate alicuius, clarescit bonitas eius in notitia plurimorum, et hoc importat nomen gloriae; . . . nam gloria est clara cum laude notitia.» [1] Notanda est etiam differentia inter honorem et famam. Honor est testificatio excellentiae alienae; fama est opinio publica de alterius excellentia. Honor exhibetur praesenti; fama fertur de absente. Honor laeditur per contumeliam; fama autem laeditur calumnia, detractione, susurratione.

183 **Laesio honoris.** Honor laeditur contumelia [2], quae definiri potest: *iniusta dehonoratio personae praesentis.* Ista dehonoratio ut plurimum fieri debet actu *positivo,* scil. verbo vel facto; non autem sufficit *omissio* actus honorifici. Sic e. g. quando amicus ex ira aliave ratione iam non salutat priorem amicum, nondum committit contumeliam, nisi ista omissio propter speciales circumstantias aequivalet actui positivo. Dehonoratio fieri potest multis modis: 1. Alteri obiciendo *vitia moralia,* e. g. tu es fur — et tunc haec dehonoratio vocatur *convicium* [3]. — 2. Alteri obiciendo *defectus physicos:* tu es luscus vel caeca vacca, maxime autem «quando aliquis iniuriose alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti. Unde dicitur Eccli. 20, 15: Exigua dabit et multa improperabit» [4]. Huiusmodi dehonoratio vocatur *improperium* [5]. 3. Alterum *verbis et risu deridendo,* et tunc habetur *irrisio* [6] vel illusio. 4. *Gestibus ridiculis* alteri contemptum manifestando, sicuti fecerunt milites genuflectentes ante Christum spinis coronatum, et tunc habetur *subsannatio* [7]. Omnes isti diversi modi sunt quidem diversa peccata [8], sed reducuntur ad eandem speciem moralem contumeliae, quia finis eorum est idem, scil. exterius manifestare contemptum erga hominem dehonorandum. Unde non est necessarium indicare in confessione, quomodo contumelia facta fuerit.

184 **Malitia contumeliae.** *Contumelia est ex genere suo peccatum mortale contra iustitiam.*

Contumeliam esse ex genere suo peccatum mortale patet ex verbis Christi: «Qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis.» [9] S. Paulus autem recenset contumeliosos inter illos, quos Deus tradidit in reprobum sensum [10].

Contumeliam vero laedere iustitiam constat ex eo, quod quilibet homo habeat strictum ius ad honorem; quod quidem ius violat con-

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 103, a. 1 ad 3. [2] *Beschimpfung.* [3] *Schmähung.*

[4] S. theol. 2, 2, q. 72, a. 1 ad 3. Ipse Angelicus Doctor ibidem asserit: «Quandoque tamen unum istorum pro alio ponitur.

[5] *Vorwurf.* [6] *Verspottung;* si iocose fiat: *Foppere, Hänselei, Spöttelei, «Aufziehen».*

[7] *Verhöhnung.* [8] Cf. S. theol. 2, 2, q. 75, a. 1.

[9] Mt 5, 22. [10] Cf. Rom 1, 28—30.

tumelia. Et sane honor est bonum praestantius divitiis. Atqui furari divitias alterius est ex genere suo peccatum mortale contra iustitiam. Ergo a fortiori auferre honorem, quod facit contumelia.

Honor, qui fundatur super veram virtutem, inter omnia bona externa hominis primarium locum obtinet. Unde haud raro homines sacrificant divitias, sanitatem, immo et ipsam vitam ad acquirendum vel retinendum honorem. De hac re docet S. Thomas: «Res quae in usum hominis veniunt, sunt res exteriores, inter quas simpliciter maximum est honor: tum quia propinquissimum est virtuti, utpote testificatio quaedam exsistens de virtute alicuius; tum etiam quia Deo et optimis exhibetur; tum etiam quia homines propter honorem consequendum et vituperium vitandum omnia postponunt.»[1] Ex quibus sequitur, ut iniusta laesio honoris sit valde grave peccatum contra iustitiam. Neque diminuitur istud peccatum exinde, quia ille, qui inhonoratur, non semper sentit magnum damnum, licet hoc aliquando accidat. Etenim homo ditissimus, cui infertur notabilis damnificatio, nec etiam huiusmodi damnum multum sentit propter abundantes alias divitias; et nihilominus damnificatio illata remanet magnum peccatum.

Contumelia fit leve peccatum:

1. *Ex imperfectione actus,* e. g. inadvertentia, indeliberatione, ex subitanea ira.

2. *Ex intentione non graviter laedendi honorem,* e. g. si quis ex ioco aut non ita serio alteri dicit: Tu es asinus.

3. *Ex conditione loquentis et audientis.* Hinc merito docent Soto, Sylvius aliique, convicia, quibus viri infimae conditionis aut mulierculae rixantes se invicem impugnant, clamantes alteram esse meretricem, adulteram, nebulonem, ipsum diabolum etc., non esse peccata mortalia. Ratio est, quia istis exclamationibus nemini causatur magna honoris laesio.

Irrisio, quae ut supra dictum est, reducitur ad contumeliam, saepe nullum est peccatum; immo est actus virtutis eutrapeliae, si iocose fit de exiguo alterius defectu et cum parvo eius rubore; pertinet enim ad honestam recreationem[2]. Attamen ne quid nimis! Ex huiusmodi iocis aliquando caritas laedi potest.

Restitutio honoris. Qui alteri veram contumeliam irrogavit, 185
tenetur ad sufficientem reparationem honoris. Ergo qui *publice* contumeliam irrogavit, tenetur etiam publice honorem ablatum reparare; qui vero privatim et occulte alium dehonoravit, debet saltem privatim satisfacere. Haec obligatio honoris reparandi est per se gravis et quantocius facienda. Nam postquam Christus dixit: «Qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis», subiungit: «Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.»[3] Satisfactio seu honoris laesi restitutio

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 129, a. 1. Cf. etiam *Aristot.*, Ethic. l. 4, c. 8.
[2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 72, a. 2 ad 1. [3] Mt 5, 22 sqq.

fieri debet per novam exhibitionem honoris et reverentiae. Sed quomodo hoc in singulis casibus fieri debeat, dependet tum a persona laesa, tum a persona, quae contumeliam intulit. Subditi et aequales, qui contumeliam irrogaverunt, saepe tenentur veniam petere, praesertim si laesus gravi contumelia affectus id exigat nec aliam satisfactionem accipere velit. In aliquibus tamen regionibus non est usus, et proinde non est obligatio petendi veniam. Generatim loquendo superiores, qui contumeliam non ita gravem irrogaverunt subdito suo, non tenentur veniam petere, «ne, inquit S. Augustinus[1], apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas». Superiores ergo satisfacere possunt subditis laesis specialia signa benevolentiae exhibendo. — Honor laesus non potest reparari *solutione pecuniae*. Aliquando tamen imponitur contumeliatori mulcta pecuniaria solvenda pro pauperibns aut causis piis.

186 **Scholion. De contumelia patienter toleranda.** In speciali articulo investigat S. Thomas[2], utrum et quando quis debeat contumelias sibi illatas patienter tolerare. Cum magna quidem patientia homo tenetur contumelias irrogatas tolerare et satisfactionem non exigere unice propter cupiditatem privati honoris. Quandoque tamen oportet repellere contumeliam illatam, «maxime propter duo: primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, et de cetero talia non attentet; ... alio modo propter bonum *multorum*, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit: ‚Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere; ne eorum praedicationem non audiant qui audire poterant, et ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.'»[3]

§ 6.

De laesione famae.

187 **Notiones.** Fama generaliter sumpta est frequens et vulgaris sermo de re aliqua; sic loquimur de fama belli, de fama mala alicuius malefactoris. Strictius autem fama (bona) est communis sermone prolata aestimatio de alicuius excellentia. In hoc stricto sensu nunc loquimur de fama, et sic dicimus e. g.: Iste homo habet bonam famam, quando scil. multi praedicant eius bonos mores aliasve excellentias. Bona fama non tantum est de vita virtuosa, sed etiam de aliis bonis qualitatibus, e. g. de arte medica. Cuilibet homini competere strictum ius ad bonam famam, supra n. 7 de obiecto dominii dictum est. Quod quidem ius conservatur etiam *mortuis* hominibus. Unde nec illis licet bonam famam auferre sine sufficienti ratione. Pariter hoc ius competit personis moralibus seu iuridicis, e. g. monasterio, societati etc. — Bona fama hominis laeditur diffamatione.

---

[1] Regula ad servos Dei (*Migne*, Patr. lat. 32, 1383).
[2] S. theol. 2, 2, q. 72, a. 3.
[3] Cf. etiam supra n. 7 de obiecto dominii.

Diffamatio est iniusta denigratio famae alienae.

Explicatur. Dicitur 1°: *iniusta denigratio,* quia non omnis, sed tantum sine sufficienti causa facta denigratio famae est diffamatio seu detractio. Dicitur autem: *denigratio,* quia sicut homo bona fama clarescit, ita diffamatione nigrescit seu obscuratur, licet non totaliter semper tollatur bona fama. Dicitur 2°: *famae alienae,* quia proprie loquendo nemo potest detractionem committere contra propriam famam. S. Thomas, B. Albertus pluresque alii addunt in definitione: *per verba occulta.* En textus S. Thomae[1]: «Sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter: *manifeste* quidem, sicut in rapina vel quacumque violentia illata; *occulte* autem sicut in furto et dolosa percussione; ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem laedit: uno modo in manifesto, et hoc fit per contumeliam, alio modo occulte, et hoc fit per detractionem.... Detractio differt a contumelia dupliciter: uno modo quantum ad *modum* proponendi verba, quia scil. contumeliosus manifeste contra aliquem loquitur, detractor autem occulte, alio modo quantum ad *finem* intentum, sive quantum ad nocumentum illatum, quia scil. contumeliosus derogat honori, detractor famae.» Ergo sola laesio famae *absente* infamato, est diffamatio seu detractio. Qui autem, praesente infamato, aperte illi detrahit, committit contumeliam; quia tunc simul cum fama honor laeditur. Alii tamen auctores docent in isto casu adesse tum contumeliam tum detractionem[2].

Divisiones. Diffamatio est duplex: formalis et materialis. *Formalis* 188
diffamatio habetur, quando quis verbis suis explicite intendit denigrare famam alterius. *Materialis* vero adest diffamatio, quando quis ex loquacitate aut levitate animi profert verba diffamantia, quin tamen habeat intentionem diffamandi. — Utraque diffamatio (formalis et materialis) iterum duplex est, scil. vel *directa,* quando alterius *vitia* narrantur, quod obtinet quattuor modis, scil. a) imponendo falsum crimen, b) verum crimen exaggerando, c) occultum crimen revelando, d) opus bonum sinistre interpretando; vel *indirecta,* quando alterius *dotes* minuuntur, quod fit etiam quattuor modis: a) negando bona opera proximi, b) minuendo ista bona, c) aliis laudantibus tacendo, d) frigide laudando. — Qui quidem octo modi ab antiquis auctoribus his versiculis exprimebantur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut minuit, reticet laudatve remisse.

Moderni theologi brevius distinguunt diffamationem ex narratione *veri sed occulti* defectus, quam vocant simpliciter *detractionem*[3], et diffamationem, quae ex narratione *falsi* criminis aut defectus oritur, quam appellant *calumniam*[4]. Etiam nos hoc modo sumemus detractionem et calumniam in sequentibus.

Ad detractionem reducitur quoque *susurratio*[5], quae est detractio, qua seminatur discordia inter *amicos.* Addit proinde susurratio ad detractionem

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 73, a. 1.
[2] Cf. *Billuart,* De iure et iust. diss. 15, a. 2, § 1. [3] *Ehrabschneidung, médisance.*
[4] *Verleumdung, calomnie.* [5] *Ohrenbläserei, rapport, délation.*

discordias seminandi finem. E. g. Petrus et Paulus sunt amici. Andreas narrat Petro vitia Pauli, ea intentione ut amicitia inter Petrum et Paulum destruatur. — Susurrones in S. Scriptura vocantur *bilingues,* quia solent uti duplici loquendi modo, scil. aliter coram uno et aliter coram altero. Susurratio est vitium, quod reddit hominem non tantum peccaminosum, sed etiam contemptibilem et odibilem; destruit famam simul et amicitiam proximi. Unde merito dicitur in S. Scriptura: «Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur. . . . Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.»[1] S. Thomas autem dicit: «Et ideo susurratio est maius peccatum quam detractio, et etiam quam contumelia; quia amicus est melior quam honor, et amari quam honorari.»[2] — Per se patet, illum minime committere susurrationem, qui amicitiam vere *nocivam* aut periculosam destruit licitis mediis, et quidem etiam manifestando vera crimina alterutrius amici.

Ad diffamationem aliqualiter reducitur iudicium quoque temerarium, de quo in sequenti paragrapho specialis sermo redibit.

189 **Generica malitia diffamationis.**

Principium. *Diffamatio iniusta (sive sit detractio simplex, sive sit calumnia) est ex genere suo peccatum mortale tum contra iustitiam, tum contra caritatem.*

Prob. 1. *Ex S. Scriptura.* «Melius est nomen bonum quam divitiae multae.»[3] Porro iniuste abripere divitias est peccatum mortale. Ergo a fortiore committit peccatum mortale detractor, qui iniuste aufert proximo bonum nomen. — Maledici non possidebunt regnum Dei[4]. Iamvero omnis diffamator est verus maledicus[5].

2. *Ex communi sensu* theologorum et Patrum. Sic S. Augustinus, ut convivas ab hoc vitio deterreret, super mensa inscriptionem fecit apponi:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi[6];

et S. Bernardus vehementer magnaque cum eloquentia contra detractores invehit dicens: «Numquid non est vipera lingua detractoris? Ferocissima plane, nimirum quae tam letaliter tres inficiat flatu uno», scil. occidit se, audientem, et eum, cui detrahitur[7].

3. *Ex ratione.* Homo habet strictum ius ad famam, ut patet ex supra dictis de dominio. Atqui hoc ius violatur per diffamationem. Unde S. Thomas[8] docet: «Auferre alicui famam valde grave est, quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo a multis bene agendis. Propter quod dicitur[9]: ‚Curam

---

[1] Eccli 21, 31 et 28, 15. [2] S. theol. 2, 2, q. 74, a. 2.

[3] Prov 22, 1. [4] Cf. 1 Cor 6, 10.

[5] S. Thomas citat etiam textum S. Pauli (Rom 1, 30), ubi detractores et susurrones vocantur Deo odibiles, sed plures exegetae hunc textum aliter intelligunt (cf. *Cornely,* Comm. in ep. ad Rom.).

[6] Apud *Migne,* Patr. lat. 32, 52.

[7] Sermo 17 de diversis n. 4—5 (*Migne,* Patr. lat. 183, 585). Cf. etiam De modo bene vivendi c. 33 (*Migne* l. c. 184, 1256).

[8] S. theol. 2, 2, q. 73, a. 2. [9] Eccli 41, 15.

habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri magni et pretiosi.' Et ideo detractio, per se loquendo, est peccatum mortale.»

Diffamationem *calumniosam* esse per se peccatum mortale, facile intelligitur. Etenim illa causat magnam iniuriam proximo, cui quamvis innocenti crimen falso imputat. Unde calumnia non solum a Deo, sed etiam a iure civili graviter punitur. Res non est ita clara, si agitur *de simplici detractione*, i. e. indebita revelatione veri criminis. Iura civilia satis raro solent punire huiusmodi revelationes. Sed inde nondum sequitur, ut detractio simplex neque a Deo puniatur. Sunt enim plura, quae lex civilis non punit (e. g. simplices fornicationes), quae tamen sunt gravia peccata coram Deo. Ratio autem, quare etiam simplex detractio sit peccaminosa, est, quia per illam 1. violatur ius proximi, 2. usurpantur iura Dei, et 3. bonum sociale damnificatur. *Violatur ius proximi*, quia peccator occultus possidet adhuc bonam famam, a qua possessione non potest expelli nisi ex causa gravi. Porro iniustus detractor non habet gravem causam expellendi peccatorem occultum a bona fama possessa; secus enim iam non esset detractio, sed licita revelatio criminis alieni [1]. *Usurpantur iura Dei* a detractore, quia ad Deum solum spectat iudicare vivos et mortuos iuxta eorum abscondita cordium, quae quidem omnia manifestabuntur in ultimo iudicio universali. *Bonum sociale damnificatur* a detractore, quia ex revelatione indebita occultae culpae solent oriri contentiones, rixae et odia maxima. — Diffamationem iniustam laedere etiam caritatem fere per se patet, quia, ut rectissime S. Thomas dicit: «Fama est dispositio ad amicitiam et infamia ad inimicitiam» [2]; et: «Ille, qui detrahit fratri, in tantum videtur detrahere legi, in quantum contemnit praeceptum de dilectione proximi.» [3]

Malitia specifica et numerica diffamationis. 190

1. Calumnia et simplex detractio specie morali (saltem essentiali) non differunt, cum finis et effectus utriusque sit idem, scil. diffamatio proximi. In calumnia quidem additur mendacium, sed illud est ex genere suo tantum peccatum veniale. Nihilominus, quando agitur de gravi calumnia, hoc expresse in confessione communiter declarandum est, quia tunc confessarius facilius potest et gravitatem peccati cognoscere et modum congruum reparationis assignare. Sunt tamen auctores docentes, calumniam et detractionem specie differre, e. g. Tanquerey [4].

2. Diffamatio non videtur nancisci diversam speciem moralem, prout hoc vel illud crimen indebite narratur (e. g. aliquem esse adulterum vel furem). Haec enim differentia videtur esse tantum materialis in laesione famae. Unde sicut furtum non habet diversas species, prout quis furatus est pecuniam aut vestes, ita etiam diffamatio non

---

[1] Cf. infra n. 192. [2] L. c. q. 74, a. 2 ad 2.
[3] Ib. ad 3. [4] Synopsis Theol. mor. n. 385.

specificatur ex diversis criminibus narratis aut imputatis. Ita Caietanus, Serra, Noldin[1] etc. S. Alphonsus[2] vero censet cum pluribus aliis, in isto casu plura peccata committi, sed non ita constat, num S. Doctor voluerit dicere plura peccata numerice, an etiam specifice distincta. In praxi, quando huiusmodi diffamatio facta est unico impetu passionis, videtur esse unum peccatum tum specie tum numero. Etiam Concina[3], qui secus theoretice plura esse peccata in hoc casu asserit, hoc admittere videtur pro praxi. Unde imprudenter ageret confessarius, qui diversas materias detractionis a poenitente sciscitaretur, nisi hoc esset necessarium ad iudicandum de gravitate detractionis et de modis faciendi reparationem[4].

3. Qui coram *pluribus* alicui detrahit, videtur tantum unicum peccatum committere. «Ratio est, quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans, cum ius ad famam sit unicum apud omnes, non autem multiplex.»[5] Unde sufficit confiteri: Detraxi coram pluribus.

191 **Regulae ad diiudicandum de gravitate diffamationis.**

Peccatum diffamationis, quod est peccatum mortale ex genere suo, evadit veniale 1. ex imperfectione actus, 2. ex levitate materiae, i. e. ex levitate *damni causati*. — Ex prima ratione detractiones saepe sunt peccata venialia propter inadvertentiam aut conscientiam erroneam, siquidem nulla peccata magis videntur inconsiderationi et falso iudicio subiacere quam illa, quae ex loquacitate gignuntur. Insuper quam facile homo loquax invenit rationes excusantes a silentio servando super defectus aliorum! Hinc innumerae detractiones solent fieri etiam a personis ceteroquin bonis. Nihilominus confessarius totis viribus contra hunc malum agendi modum pugnet memor versiculorum S. Augustini supra relatorum. — Ex altera ratione etiam plures detractiones sunt peccata tantum venialia. In quolibet autem casu pensandum est non ita quidem, quodnam vitium sit revelatum aut calumniose imputatum, sed utrum, consideratis omnibus circumstantiis personarum et locutionis, sit revera grave damnum causatum necne.

a) Proinde consideranda est imprimis *persona loquentis*, quae, si sit gravis et prudens, magis nocet quam si sit levis et garrula. Unde si mulieres garrulae et publice notae tamquam mendaces detrahant aut calumnientur, saepe non adest peccatum mortale; quia nemo eis credit. Nihilominus confessarius non nimis indulgeat illis, memor illius: «Calumniare audacter, semper aliquid haeret.» Veritas huius dicti, nimis eheu! apparet in ephemeridibus et libellis, quae saepe calumniantur sacerdotes aliasque personas religiosas.

b) Deinde consideranda est *persona laesa* eiusque conditio et dignitas. Qui enim integrae famae et magnae dignitatis est, multo maius detri-

---

[1] De praeceptis n. 648. [2] Theol. mor. l. 5, n. 48.
[3] De pecc. in commun. diss. 1, c. 6, n. 21.
[4] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 15 a. 2, § 1. [5] *S. Alph.* l. c. n. 49.

mentum ex detractione et calumnia experitur quam persona vilis. Hinc fieri potest, ut grave damnum inferatur, si de aliqua persona valde digna narratur leve peccatum, e. g. si quis dicat: Papa est mendax. Econtra forsan leve damnum causaretur et proinde leve aut nullum peccatum esset, si quis narraret aliquem militem notum ut immorigerum ingressum esse in lupanar.

Naturales defectus manifestare sine sufficienti ratione, e. g. dicere aliquem esse ignarum, illegitimum, ordinarie non est grave peccatum, quia huiusmodi defectus facile deveniunt in notitiam aliorum et non laedunt famam tam graviter quam defectus morales. Dico autem, *ordinarie* non esse peccatum mortale, nam si naturalis defectus est valde probrosus et ex eius revelatione fama valde diminuitur, est peccatum grave illum revelare; e. g. narrare, aliquem parochum esse filium illegitimum, quod hucusque prorsus ignotum fuit[1].

c) Considerandi etiam sunt *audientes* diffamationem. Nam si isti sunt numerosi et loquaces, facilius aderit grave damnum quam si sint pauci et discreti. Num autem sit gravis diffamatio manifestare *uni viro prudenti* gravem defectum alterius, non concordant theologi. Si haec manifestatio fit ex rationabili causa, e. g. ad consilium capessendum, nullum est peccatum; sin autem fiat ex loquacitate, quidam theologi talem manifestationem censent grave peccatum, quia revera durum est perdere famam apud virum dignum et prudentem. Huic sententiae favere videtur S. Thomas dicens: «Quamvis etiam si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius non in toto sed in parte»[2]; Billuart autem, qui optime hanc quaestionem tractat[3], addit: «Ex opposita sententia sequitur 1. quod vir prudens, cui revelas crimen alterius, possit pari iure revelare alteri prudenti, et iste alteri, atque ita proximus apud plures graviter diffamabitur absque peccato mortali. Sequitur 2. quod qui solus *audit* detractionem gravem, posset illam tolerare ut venialem, se prudentem reputando, quod est contra communem opinionem.» Nihilominus Caietanus[4], Navarrus, Bonacina aliique negant, hoc esse peccatum mortale, quia inde diffamato non causetur grave damnum. Res est igitur incerta; nihilominus unusquisque prorsus abstineat a manifestandis proximi defectibus, nisi certo adsit causa rationabilis.

d) Demum considerandum est *motivum*, propter quod defectus 192
aliorum manifestentur. Si agitur de *calumnia*, numquam adesse potest honestum motivum; unde si defectus gravis alteri falso imputatur, fere semper adest peccatum mortale, nisi tamen constaret apud audientes, calumniatorem mentiri. Unde damnavit Innocentius XI propositiones sequentes (44): «Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia»; et

---

[1] Cf. ib. l. 4, n. 967. [2] S. theol. 2, 2, q. 73, a. 1 ad 2.
[3] De iure et iust. diss. 15, a. 2, § 4. [4] Comm. in q. 73, a. 2.

(43): «Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?» [1] — Si agitur autem de *simplici detractione*, tunc nullum prorsus peccatum adest, si manifestatio defectus fiat ex causa proportionate gravi. Causae vero proportionate graves sunt: bonum publicum et bonum privatum, sive hoc ultimum sit ipsius delinquentis, sive revelantis, sive alterius proximi. Bonum *publicum* non tantum permittit, sed prorsus exigit manifestationem defectus nocivi; e. g. puer luxuriosus degens in aliquo collegio et seducens alios debet denuntiari legitimo superiori, ut damnum plurium praecaveatur. Item bonum ipsius *delinquentis* quandoque permittit manifestationem delicti, si scil. hoc necessarium est ad correctionem ipsius aut ad praecavendum magnum eius damnum; e. g. puella amoribus periculosis dedita, a quibus desistere non vult, potest denuntiari patri, ut corrigatur et eius honestas salvetur. Bonum *revelantis* excusat manifestationem criminis, si hoc est necessarium solatii aut consilii petendi causa; e. g. poenitens aliquando potest confiteri peccatum suum, etsi inde confessarius cognoscat complicem. In isto tamen casu saltem perfectius esset, adire alium confessarium, apud quem fama complicis integra maneret [2]. Bonum demum *proximi* permittit aut exigit manifestationem alicuius delinquentis, ut patet in exemplo supra allato de puero luxurioso seducente plures in aliquo collegio. Hinc oritur quaestio, num liceat ex ratione gravi manifestare occultum crimen, cuius notitia iniuste acquisita fuit (e. g. alienas litteras legendo). Negat Lugo [3], sed melior videtur sententia affirmativa, quia acquirere hoc modo notitiam est quidem illicitum, sed uti scientia semel acquisita nulli legi naturali aut positivae repugnat, sicuti a pari acquirere pecuniam per meretricium est illicitum, sed uti tali pecunia per se non est illicitum.

193 **De divulgatione criminis notorii.**

a) Duplex distinguenda est notorietas: iuris et facti. Notorietas *iuris* habetur, quando constat de crimine ex sententia iudicis aut ex confessione *iudiciali* rei. Notorietas vero *facti* adest, quando crimen iam notum est maiori parti communitatis (crimen omnino publicum seu famosum) aut tot talesque personae garrulae illud cognoscunt, ut tota communitas breviter cognitura sit illud (crimen simpliciter publicum seu notorium).

b) Qua distinctione praemissa, sequentia principia videntur esse observanda:

Principium 1. *Sine sufficienti ratione et ex mera loquacitate aut ex pruritu narrandi res acres loqui de delictis aliorum etiam publicis, semper est ad minus imperfectio quaedam, quae nihil boni*

---

[1] *Denz.* n. 1194 et 1193.

[2] Cf. infra in tractatu de poenitentia, de complice non manifestando.

[3] De iust et iure disp. 14, n. 100—108; cf. etiam supra n. 58 de excusationibus a testimonio ferendo.

et saepe multum mali producit; immo aliquando est contra caritatem, non autem contra iustitiam.

Ratio est, quia etiamsi ille, cuius delictum est factum notorium notorietate sive iuris sive facti, amisit quidem strictum ius ad famam, tamen merito et rationabiliter invitus est, quod sua fama magis magisque deperdatur sine sufficienti utilitate vel loquentis vel audientis vel reipublicae. Unde e. g. videtur esse peccatum contra caritatem, quando in ephemeridibus publicantur sententiae condemnatoriae valde infamantes latae contra illum delinquentem, qui nec proximo nec reipublicae amplius nocumentum afferet. Sane licet huiusmodi sententias condemnatorias aut crimina divulgare, si inde praecaveantur quaedam damna. Ex quibus etiam sequitur, ut illicitum sit sine causa verae utilitatis aut necessitatis enarrare crimen, quod antiquo tempore fuit notorium, nunc autem oblivioni datum et emendatum est; pariter, divulgare crimen prorsus ignotum in uno loco, quod in alio dissito loco sit notorium. — Violatio vero iustitiae commutativae et proinde obligatio restitutionis non videtur adesse in istis casibus, quia ille, cuius delictum semel fuit revera publicum, amisit simpliciter strictum *ius* celandi istud crimen.

Principium 2. *Etiam defuncti retinent ius ad famam; unde* 194
non licet historiographis eorum vitia et crimina sine sufficienti ratione revelare et divulgare. Attamen nostris temporibus fere semper adest sufficiens ratio enarrandi omnia, quae sunt historice vera. Historia enim debet esse magistra vitae, testis veritatis atque vindex iustitiae divinae, unde magni interest, ut omnia facta historica secundum veritatem exponantur. Unde Leo XIII iussit Archiva Pontificia omnibus esse pervia, ita ut historia secundum rei veritatem texatur. In conscribenda tamen historia recentis aetatis cavendum est, ne quid damni patiantur superstites, qui personae defunctae coniuncti sunt.

De cooperantibus ad diffamationem. 195

1. Qui alium *inducit* ad detrahendum, e. g. de defectibus proximi inquirendo, narrationem laudando et approbando, fere eodem modo peccat ac ipse detrahens; immo si inde fama proximi laeditur apud alias personas audientes, peccat contra iustitiam et ad reparationem tenetur. Unde e. g. qui in aliqua societate aliquem inducit ad publice enarrandum delicta proximi, tenetur (in solidum) reparare famam laesam aliaque damna inde secuta. Patet, quia est iniustus cooperator.

2. Qui *gaudet* et libenter audit approbatque gravem detractionem, graviter peccat contra *caritatem*. Unde S. Bernardus dicit: «Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.» [1] Ita saltem obiective loquendo. Subiective tamen saepe est tantum peccatum veniale, quia istud gaudium solet oriri potius ex quadam inordinata curiositate quam ex odio contra proximum. Curiositas autem est peccatum veniale.

---

[1] De consid. l. 2, c. 13.

3. *Superior,* qui non impedit sui subditi diffamationem (sive activam sive passivam), deest officio suo et proinde peccat[1], siquidem superior diffamantem corrigere debet; superior autem diffamati tenetur malum sui subditi pro viribus avertere. Peccat autem superior in istis casibus contra caritatem et pietatem, non autem contra strictam iustitiam, quia vi muneris non tenetur ita invigilare bono temporali subditorum. S. Alphonsus[2] hanc sententiam vocat forte probabiliorem. Bene autem advertit Lugo[3], quod si infamatus et infamans sint subditi eiusdem superioris, et infamatus imploret praelati auctoritatem, ut fama ei restituatur, tunc ille *ex iustitia* ad id tenetur, modo possit sine timore gravioris damni.

4. *Homo privatus,* cui non placet peccatum detractionis, sed qui «ex timore vel negligentia vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, et plerumque venialiter». Ita S. Thomas[4]. Qui vero ex causa rationabili non corripit detrahentem, nullo modo peccat. Causae rationabiles sunt e. g. inutilitas correptionis, incertitudo, num diffamatio sit revera iniusta, magna ira detrahentis etc. Ratio est, quia *correctio fraterna,* quae in hoc casu detractionis adhibenda esset, non obligat cum magno incommodo, quale saepe accideret, si detrahens corriperetur coram aliis. Si tamen agatur de certa calumnia, et non de simplici detractione, etiam homo privatus facilius sub gravi tenetur resistere calumniatori; quia numquam adesse potest causa excusans calumniandi, saepe vero adest ratio sufficiens loquendi de veris delictis proximi. Ille qui audit narrationem non necessariam de delictis alienis, saltem ostendat vultu suo displicentiam; etenim «dissipat . . . facies tristis linguam detrahentem»[5].

196 **De restitutione famae.**

1. **Obligatio diffamatoris.** Iniustus diffamator (sive sit detractor, sive sit calumniator) tenetur ex iustitia reparare, a) quam primum famam laesam, b) omnia damna materialia, quae saltem in confuso ex diffamatione secutura praevidit. — Etenim diffamator est iniustus damnificator. Porro iniustus damnificator tenetur reparare omnia damna culpabiliter causata et saltem in confuso praevisa, ut ex supra n. 93 dictis patet. Prior obligatio, scil. reparare famam laesam, est obligatio stricte *personalis,* et proinde non transit ad heredes diffamatoris. Altera vero obligatio est potius *realis* et mortuo diffamatore incumbit eius heredibus, non tamen ultra bona ex hereditate accepta. Utraque haec obligatio est gravis, si ipsa diffamatio fuerit graviter culpabilis; secus est levis. Recolendum tamen est, diffamationem non evadere graviter culpabilem ex natura criminis revelati aut imputati, sed *ex effectu*

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 73, a. 4.
[2] Theol. mor. l. 3, n. 980. [3] De iust. et iure disp. 14, n. 131 sqq.
[4] L. c. [5] Prov. 25, 23.

malo secuto et praeviso. Unde si quis e. g. iniuste narrans aliquem hominem esse garrulum, inde efficit, ut officium secretarii iamiam conferendum nunc illi denegetur, obligatio gravis adest reparandi istud damnum, dummodo saltem in confuso fuerit praevisum. Cum diffamator sit iniustus damnificator, eadem principia de obligatione reparationis in diffamatione applicanda sunt ac in damnificatione. Ex quibus facile solvitur quaestio, num diffamator teneatur reparare honorem non tantum apud illos, quibus ipse narravit vitia, verum etiam apud alios, quibus eadem vitia narrata sunt postea. Respondetur: Si diffamator talem divulgationem potuit et debuit praevidere, atque si reparatio illi est moraliter possibilis, tenetur; secus non.

2. Modus reparandi diffamationis effectus. 197

Aliter a calumniatore et aliter a detractore facienda est reparatio.

Calumniator tenetur aperte retractare, et quidem modo efficaci, sua mendacia calumniosa, nisi adsint sufficientes causae excusantes, de quibus statim erit sermo. — Hinc tenetur dicere se falsum narrasse; si in publicis ephemeridibus calumniatus est, tenetur etiam in ephemeridibus palinodiam canere.

Detractor nequit quidem dicere, se mentitum esse, sed potest et debet excusare crimen revelatum omnibus, quibus potest modis licitis; debet etiam data opera laudare et honorifice tractare coram aliis eum, cui detraxit[1].

3. Causae excusantes a reparatione famae. 198

a) Si reapse ex iniusta locutione nulla diffamatio gravis secuta est, aut haec lapsu temporis iam oblivioni data est[2].

b) Si diffamatus reparationem legitime condonaverit sive expresse, sive tacite. Homo in officio constitutus saepe nequit condonare diffamationem et praesertim calumniam, quae non tantum eius personam, sed etiam eius *statum* graviter laesit; e. g. sacerdos, magistratus etc. nequeunt gratuito condonare calumnias, quia secus laederetur eorum status atque etiam bonum publicum. Tamquam condonatio haberi potest *compensatio,* i. e. si diffamatus etiam diffamantem diffamaverit, et neuter vult famam laesam reparare.

c) Si reparatio est moraliter vel physice impossibilis, e. g. si auditores detractionis sunt ignoti aut adire nequeant, si delictum alia via factum est notorium aut reparatio fieri nequit sine damno proprio longe *graviore.* Sane diffamator, et praesertim calumniator, tenetur etiam cum magno damno reparare famam laesam; sed nihilominus si istud damnum longe excedit nocumentum causatum diffamato, hic censetur renuntiare iuri suo[3].

---

[1] Breviter complectitur Angelicus Doctor diversos modos reparandi diffamationem S. theol. 2, 2, q. 62, a. 2 ad 2.

[2] Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1438.

[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 1002.

§ 7.

De iudicio temerario.

199 **Notio.** Distinguenda sunt: Opinio, dubitatio, suspicio temeraria et iudicium temerarium.

Opinio temeraria est mentis assensus probabilis et non firmus de malo alterius sine sufficienti motivo.

Dubitatio temeraria est suspensio iudicii de malo alterius sine sufficienti ratione.

Suspicio temeraria est quaedam propensio iudicii de malo alterius sine sufficienti ratione. — Non est ita magna differentia inter opinionem et suspicionem temerariam; suspicio enim nihil aliud est nisi opinio debilis[1].

Iudicium temerarium est firmus mentis assensus de vitio alterius sine ratione sufficienti.

Isti quattuor actus mentis ideo sunt peccaminosi, quia non tam procedunt ex obiectiva consideratione rei, quam potius ex mala voluntate flectente intellectum sine sufficientibus motivis obiectivis. Ad rem scribit Angelicus Doctor: «Suspicio temeraria [idem valet de iudicio temerario] contingit ex tribus: uno quidem modo ex hoc, quod aliquis in se ipso malus est; et ex hoc ipso, quod, conscius suae malitiae, faciliter de aliis malum opinatur, secundum illud: ‚In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat.'[2] — Alio modo provenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum; cum enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. — Tertio modo provenit ex longa experientia. . . .»[3]

200 **Malitia moralis.** Iudicium temerarium proprie dictum est ex genere suo peccatum mortale contra iustitiam.

Dico: iudicium temerarium *proprie dictum,* i. e. prout includit *firmum assensum* et distinguitur a suspicione et opinione temeraria. Valde enim disputant theologi, num etiam suspicio et opinio temeraria sint peccata mortalia ex genere suo. Pro affirmativa sententia citantur Bannez, Sylvius, Medina aliique; pro negativa stant Caietanus, Ledesma, Navarrus, Lessius etc. Ista controversia est potius theoretica quam practica, quia in praxi difficulter distingui potest inter iudicium temerarium et opinionem temerariam. Optime de hac controversia, sicuti etiam generatim de materia iudicii temerarii, tractat Billuart[4]. — Saltem iudicium temerarium esse ex genere suo peccatum mortale, probatur ex eo, quod unusquisque habet strictum ius ad bonam famam et aestimationem aliorum, quamdiu non probatur malus. Qui autem temerarie iudicat de vitio proximi, contra istud ius agit. Ne-

---

[1] Cf. *Billuart,* De iure et iust. diss. 7, a. 2. [2] Eccli 10, 3.
[3] S. theol. 2, 2, q. 60, a. 3. [4] L. c.

que quis dicat, iustitiam, cum versetur circa res et operationes *exteriores,* non posse laedi iudicio, quod est actus interior. Etenim iustitia revera laeditur illis actibus interioribus, qui *ex se ordinantur* ad res et operationes externas iustas aut iniustas. Sic voluntas furandi est actus iniustitiae, voluntas autem restituendi est actus iustitiae. Optime demonstrat illiceitatem iudicii temerarii Bourdaloue[1] docens, ad licite ferendum iudicium requiri tria: auctoritatem in iudice, accuratam cognitionem causae et perfectam integritatem a praeiudiciis. Iam vero in iudicio temerario deest *legitima auctoritas,* cum privati homines in Sacra Scriptura ita saepe deterreantur a iudicio ferendo: «Nolite iudicare, et non iudicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.»[2] Deficit *accurata rei cognitio;* secus enim iam non adesset temerarium sed iustum iudicium. Deest *integritas a praeiudiciis,* cum iudicia huiusmodi ex invidia, odio etc. oriri soleant, ut S. Thomas supra exposuit. — Omnia autem iudicia temeraria sunt eiusdem speciei moralis, quia omnia violant idem ius, scil. ad bonam aestimationem. Unde materia particularis iudicii temerarii non est exponenda in confessione.

Notanda pro praxi. Ut iudicium temerarium sit peccatum 201
mortale in individuo, tria requiruntur: 1. quod sit *perfecte deliberatum;* 2. quod sit *plene temerarium;* 3. quod sit *de gravi vitio* proximi. Quia prima conditio deest, nempe perfecta deliberatio, ideo non peccat graviter ille, qui ignorat aut non advertit, se ex signis insufficientibus iudicare de exsistentia gravis vitii in proximo. Unde in hominibus timoratae conscientiae, qui non solent consentire huiusmodi suspicionibus aut iudiciis, rarissime peccatum grave in hac materia accidere potest. — Quia secunda conditio deest, nempe plena temeritas, ideo illa iudicia de gravi vitio proximi non sunt peccata mortalia, quae nituntur veris licet insufficientibus indiciis. Ad iudicium autem licite formandum sufficiunt indicia moralem, non autem absolutam certitudinem inducentia. Cum nemo debeat praesumi malus, indicia debent in meliorem partem explicari, nisi circumstantiae omnes cogant ad contrarium. Hinc e. g. si iuvenis lascivus cum puella clam et in loco subobscuro colloquens aut colludens visus fuerit, indicium sufficiens adest iudicandi aliquid mali subesse; econtra si idem iuvenis in loco patenti et media die cum puella conversatus videtur, nondum adest sufficiens indicium suspicandi aliquod malum. — Quia deest tertia conditio, nempe gravis materia, ideo omnia iudicia etiam temeraria et deliberata, quae versantur circa vitia non ita probrosa, non sunt graviter mala. Materia gravis in iudicio temerario, sicut et in detractione, est id solum, quod attenta personarum et facti qualitate est valde probrosum ac graviter nocivum honori, famae ac bonae aestimationi proximi. Unde temere putare, aliquam ancillam immorigeram esse quoque mendacem,

---

[1] Carême, Sermon sur le jugement téméraire. Idem iam docuit *S. Thomas,* S. theol. 2, 2, q. 60, a. 2.

[2] Lc 6, 37; cf. Mt 7, 1 sq; Rom 2, 1; Iac 4, 2.

non est peccatum grave; temere autem iudicare aliquem episcopum esse mendacem, est peccatum mortale[1].

Nota. 1. Non licet igitur temere suspicare aut iudicare, proximum esse vitiosum. Attamen necesse non est illum habere *positive* bonum. Unde licet iudicare, illum *posse* fieri malum, ac proinde praecavere damnum, quod forsan ex aliis obvenire possit. Ideo licet pecunias occludere, arma defensiva portare, portas reserare etc.

2. Iudicium temerarium, quod interius tantum concipitur et nullo modo exterius manifestatur, raro est peccatum mortale, quia raro adsunt tres conditiones supra recensitae. Quando autem iudicium temerarium aliis manifestatur, facilius erit peccatum mortale, quia tunc accedit ratio diffamationis.

CAPUT IV.

De restitutione seu de reparatione iuris laesi.

Dividimus istud caput in quattuor articulos: 1. de obligatione restitutionis in genere; 2. de radicibus restitutionis faciendae; 3. de modo et circumstantiis restitutionis; 4. de causis a restitutione excusantibus.

ARTICULUS I.

De obligatione restitutionis in genere.

202 **Notio.** «Restituere nihil aliud esse videtur quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suae.»[2] Cum autem quaedam res ablatae iam non possint in individuo aut in specie legitimo domino restitui, e. g. oculus erutus, membrum abscisum, hinc restitutio includit etiam damni illati *compensationem,* et definiri potest: *rei acceptae redditio vel damni illati compensatio.* Iuxta S. Thomam[3] restitutio non semper supponit *iniustam* ablationem rei, sed etiam locum habet in contractu mutui et depositi. — Differt autem restitutio et a satisfactione et a solutione debiti.

A *satisfactione* quidem, quia illa proprie respicit *personam,* cui fit satis; restitutio autem respicit *rem,* quae debet reddi eadem vel aequivalens. Deinde satisfactio iniuriam illatam seu honorem laesum respicit, licet nullum aliud damnum sit causatum; restitutio vero respicit principaliter damnum illatum; unde potest esse satisfactio sine restitutione, e. g. quando satisfacimus Deo pro peccatis, aut petimus veniam a parentibus offensis. Similiter potest esse restitutio sine satisfactione, ut in redditione depositi vel mutui. Potest etiam utraque esse simul, ut cum reddimus rem iniuriose ablatam et simul petimus humiliter veniam.

---

[1] Cf. *Billuart,* De iure et iust. diss. 7, a. 2.
[2] S. theol. 2, 2, q. 62, a. 1. [3] L. c.

Solutio autem debiti postulat, ut res, quae solvitur, sit diversa a re, pro qua solvitur, et ut nondum fuerit in possessione illius, cui solvitur. Unde qui depositum reddit, vere restituit, non tamen solvit; econtra qui dat pecuniam pro tritico empto, proprie solvit, non tamen restituit [1].

Principium. *Restitutio est actus proprius iustitiae commutativae,* 203
seu aliis verbis: *restitutionis obligatio oritur tantum ex violatione iustitiae commutativae, non autem iustitiae distributivae aut legalis* [2].

Ratio est, quia ad solam iustitiam commutativam pertinet constituere strictam aequalitatem *rei ad rem* (inter datum et acceptum, inter damnum et compensationem). In iustitia autem distributiva et legali habetur tantum *aequalitas proportionis* [3]. Porro restitutio facit strictam aequalitatem rei ad rem. Ergo est actus proprius iustitiae commutativae. Saepe vero iustitia distributiva aut etiam legalis coniuncta est cum iustitia commutativa, et tunc sane per accidens etiam earum laesio inducit restitutionis obligationem, e. g. superior distribuit iniuste tributa, ita ut propter iniustum favorem unius alter plus solvere teneatur et damnum reale patiatur [4]. — Notandum est, non *omnem* iustitiae commutativae laesionem inducere strictam obligationem restitutionis; e. g. maritus committens adulterium uxori laedit iustitiam commutativam, sed tamen non tenetur ad restitutionem, nisi ex adulterio ortum sit etiam damnum pecunia compensabile.

Auctores valde disputant, num restitutio aut saltem aliqua com- 204
pensatio materialis sit facienda pro *damno mere personali,* e. g. pro adulterio, stupro, contumelia, mutilatione, occisione etc. — Apud omnes quidem constat, 1. restitutionem materialem esse faciendam, si damno personali iunctum fuerit damnum reale, e. g. restitutionem esse faciendam expensarum, quas vulneratus habet pro curatione; 2. saepe consulendam esse aliquam reparationem materialem, cum ita melius satisfiat homini laeso; 3. reparationem materialem esse faciendam, si iudex illam imposuerit. Sed estne praeter istos casus facienda restitutio pro damno pure personali? Debetne e. g. iniustus vulnerator dare compensationem materialem, illi cuius faciem graviter deturpavit cicatricibus indelebilibus? Pro affirmativa sententia citantur a S. Alphonso [5] S. Thomas, Caietanus, Silvester Prierias, quibus adstipulantur Dom. Soto [6], Sylvius [7], Billuart [8]. En verba S. Thomae [9]: «In quibus non potest re-

---

[1] Cf. *Billuart* l. c. diss. 8, a. 1.

[2] Ita sententia communissima, cui contradicere feruntur Caietanus, Molina, Vasquez (apud *Vermeersch,* Quaest. de iust. n. 156); Caietanus tamen immerito citatur. Nam licet in Comm. super 2, 2, q. 62 a. 2 doceat, iniustum distributorem beneficiorum ecclesiasticorum aliquando teneri ad restitutionem erga illum, qui habuit ius ad beneficium, constanter asserit, restitutionem esse actum iustitiae commutativae. Iniustum distributorem aliquando teneri ad restitutionem cum *S. Thoma* (S. theol. 2, 2, q. 62, a. 1 ad 3) omnes theologi docent, sed non propter laesam solam iustitiam distributivam, sed propter laesam commutativam adiunctam.

[3] S. theol. 2, 2, q. 61, a. 2. [4] Cf. *Billuart* l. c. [5] Theol. mor. l. 3, n. 627.

[6] De iure et iust. l. 4, q. 6, a. 3. [7] Comm. in S. theol. 2, 2, q. 62, a. 2.

[8] De iure et iust. diss. 10, a. 11, § 1. [9] S. theol. 2, 2, q. 62, a. 2 ad 1.

compensari aequivalens, sufficit, quod ibi recompensetur quod possibile sit, sicut patet de honoribus, qui sunt ad Deum et ad parentes. Et ideo quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est: puta cum aliquis abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personae, secundum arbitrium boni viri.» — Pro negativa sententia a S. Alphonso citantur Bannez, Franciscus de Victoria, Lessius, Lugo, Laymann, Bonacina, Sanchez, Sporer etc., et ipse S. Doctor vocat hanc negantem sententiam probabiliorem et communiorem allegatque hanc rationem: «Quia iustitia commutativa obligat ad restituendum iuxta aequalitatem damni illati. Ubi autem restitutio facienda sit in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit umquam compensatio damni; per quamcumque enim pecuniam damnum minime reparabitur, neque in toto, neque in parte.» — Quantum videre licuit, alii auctores afferunt eandem vel similem rationem pro sua sententia negativa. Haec autem ratio non videtur esse convincens. Etenim posito, non concesso, quod damnificator non possit secundum *aequalitatem* reparare damnum personale, licetne inde logice deducere: Ergo *ad nihil* tenetur? Si quis iniuste abstulit 10000 francos et impos est restituere totum ad aequalitatem, nonne tenetur saltem partem restituere, si potest? — Deinde non semper et simpliciter impossibilis est compensatio damni personalis. E. g. venator dives sclopeto vulneravit in venatione clamorosa (vulgo *Treibjagd*) operarium coadiuvantem, qui ex laesione habet faciem deturpatam, sed nullum aliud damnum materiale. Si nunc venator dives sponte (vel a iudice coactus) dat summam sat magnam operario laeso, nonne sufficiens compensatio dolorum et deturpationis adesse potest? Quae cum ita sint, ratio allata pro sententia negante obligationem restitutionis non videtur esse convincens. Nihilominus haec sententia potest in praxi adhiberi, 1. cum sit externe probabilis propter auctoritatem theologorum et notanter S. Alphonsi, Doctoris Ecclesiae; 2. quia ille, qui damnum personale iniuste passus est, censetur remittere reparationem materialem [1]. Ceterum damno personali fere semper adiungitur damnum materiale, et tunc profecto adest stricta obligatio restitutionis.

205 **Necessitas restitutionis.** *Rei iniuste ablatae vel saltem nunc iniuste possessae aut damni iniuste illati restitutio in re, quando possibilis est, sin minus in voto, necessaria est ad salutem, si agitur de re aut damno notabili.*

Prob. 1. *Ex S. Scriptura.* Deus praescripsit restitutionem: «Si laeserit quispiam agrum aut vineam, ... pro damni aestimatione restituet» [2]. Propterea dicit, non moriturum esse impium, «si ... egerit poenitentiam a peccato suo feceritque iudicium et iustitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit» [3]; et S. Paulus monet: «Reddite ergo omnibus debita.» [4]

---

[1] Dilucide hanc quaestionem tractat *Billuart*, De iure et iust. diss 10, a. 11, § 1.
[2] Ex 22, 5. [3] Ez 33, 14 sq. [4] Rom 13, 7.

2. *Ex SS. Patribus.* Audiatur unus S. Augustinus: «Si enim res aliena, per quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur; si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut dixi, cum restitui potest.»[1] Haec S. Augustini verba inserta sunt Decreto Gratiani[2], et Regula iuris 4 in VI° habet: «Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.»

3. *Ex ratione.* a) Conservare iustitiam est de necessitate salutis. Atqui qui non restituit (cum potest) iniuste ablatum, iniuste possessum et damnum iniuste illatum, non conservat sed violat iustitiam, quia scil. non servat aequalitatem. Ergo talis restitutio est de necessitate salutis[3]. b) Praeterea non restituere rem ablatam est continuatum furtum seu continuata iniustitia. Etenim est iniusta detentio rei alienae. Ergo saltem post ablatam rem alienam oportet restituere. c) Demum naturalis ratio dictat, suum unicuique esse reddendum. Ergo reddendum est proximo illud, quod iniuste illi ablatum est.

Dixi autem: *sin minus in voto,* quia si restitutio realis est impossibilis, requiritur et sufficit firmum propositum restituendi, quam primum hoc erit possibile. Nemo enim tenetur ad impossibile peragendum. Quando igitur quis confitetur gravem iniuriam commissam, confessarius nequit absolutionem impertire, nisi poenitens promittat restitutionem quantocius faciendam. Et si totum nequit restitui, saltem pars possibilis reddi debet iuxta illud adagium: Qui restituere non potest quantum debet, restituere tenetur quantum potest. Unde e. g. qui furto abstulit 1000 francos et non potest realiter restituere nisi 100 francos, sub gravi tenetur hanc partialem compensationem facere et insuper firmum propositum habere ceteros 900 francos restituere, si potuerit. Qui proposito facto restitutionis faciendae negligit illud exsequi, peccat. Quod quidem peccatum numerice est unum, nisi tamen peccans iterato popositum elicit et negligit. Confessarius tamen non interroget nimis moleste poenitentem de proposito iterato neglecto; sufficit, si dicit per quantum tempus habuerit propositum non restituendi aut neglexerit culpabiliter restitutionem.

Indoles istius necessitatis. Theologi disputant, utrum praecep- 206
tum restitutionis sit praeceptum *affirmativum* an *negativum*[4]. S. Thomas[5] dicit: «Praeceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum praeceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.» In praxi haec controversia est parvi momenti, dummodo tamen teneatur, rem alienam esse restituendam, *quantocius* hoc possibile sit.

Pariter disputant Theologi, num restitutio sit necessaria ad salutem necessitate *medii* aut *praecepti.* Absque omni dubio non est necessaria necessitate medii ipsa restitutio *realis;* potest enim etiam ille salvari, qui propter impotentiam nequit restituere. Restitutio autem *in voto* necessaria est necessitate medii, quatenus nemo salvari potest, qui non habet firmum propositum restituendi rem iniuste ablatam.

[1] Ep. 153 ad Maced. n. 20, alias ep. 54 (*Migne,* Patr. lat. 33, 662).
[2] c. 1, C 14, q. 6. [3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 62, a. 2.
[4] Cf. *Tanquerey,* Synopsis Theol. mor. n. 463.
[5] L. c. a. 8 ad 1.

Obligatio restitutionis est *gravis*, si agitur de damno absolute vel relative gravi reparando[1]. Secus tantum adest obligatio levis. — Praeterea requiritur formalis iniuria seu culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem. Si tamen sententia iudicis intercesserit, sufficit culpa iuridica[2].

Ex quibus sequitur, ut prorsus infundata sit opinio frequens vulgi, credentis animas defunctorum tamdiu detineri in purgatorio, donec eorum debita ab heredibus solvantur. Etenim defunctus, dum vivebat, pro viribus conatus est reparare iniurias factas, vel non. Si primum, salvus erit; si secundum, aut adfuit gravis culpa, et tunc punitur in gehenna, aut tantum levis culpa erat, et tunc punitur longius vel brevius in purgatorio pro quantitate istius culpae, non autem pro negligentia heredum.

ARTICULUS II.

De radicibus restitutionis faciendae.

207 **Praenotamen.** Angelicus Doctor[3] concinne notat: «Restitutio non ordinatur principaliter ad hoc, quod ille, qui plus habet quam debet, habere desinat; sed ad hoc quod illi, qui minus habet, suppleatur.» Quomodocumque igitur aliqua res ablata est legitimo domino (sive mutuo, sive furto, sive damnificatione etc.), debet ad aequalitatem restitui. Quae quidem restitutio est actus iustitiae commutativae. Res autem legitimo domino ablata potest ab alio vel detineri vel esse iniuste destructa. Hinc communissime assignatur duplex radix, ex qua obligatio restitutionis germinat: aliena res possessa et aliena res destructa seu damnificata[4]. Immerito assignatur a nonnullis auctoribus tertia radix, nempe iniusta cooperatio. Etenim cooperatio non ratione sui, sed ratione rei alienae aut possessae aut destructae obligationem restitutionis inducit, ac proinde reducitur ad alterutram ex radicibus assignatis. Agemus singillatim de duabus assignatis radicibus restitutionis.

§ 1.

De prima radice restitutionis, seu de possessione rei alienae.

208 **Notiones.** Potest quis rem alienam possidere vel potius detinere triplici modo: 1. bona fide; 2. dubia fide; 3. mala fide. Secundum hos modos et diversas conditiones diversae restitutionis obligationes illi incumbunt. — Cum res aliena restitui debeat cum eius fructibus, deductis tamen expensis, quaedam praenotanda sunt de diversis fructibus et expensis.

Fructus distingui solent quadruplicis generis:

1. Fructus *naturales*, qui a re producuntur sine ulla aut levi industria humana, e. g. herba in campis.

---

[1] Cf. supra n. 80.

[2] Cf. supra n. 93 sqq. De controversia, num culpa levis theologica inducat gravem, vel levem, vel nullam obligationem restitutionis, vide n. 96.

[3] S. theol. 2, 2, q. 62, a. 6 ad 1.

[4] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 548.

2. Fructus *industriales,* qui sola industria humana acquiruntur, licet res ipsa tamquam *instrumentum* adhibeatur, e. g. negotiationis lucrum, opus artificiosum instrumento alieno vel ex materia aliena confectum.

3. Fructus *mixti,* qui fere aequaliter producuntur ex natura rei et ex industria humana; e. g. butyrum, caseum sunt tales fructus vaccae.

4. Fructus *civiles,* qui proveniunt ex locatione rei, e. g. pretium pro locatione domus, iumenti, venationis etc.... Vocantur autem ideo civiles, quia lex civilis illos tamquam fructus rei habet; reducuntur autem ad naturales, mixtos vel industriales, prout scil. potius ex natura rei aut ex industria humana aut ex utraque simul proveniunt.

Expensae distinguuntur triplicis generis:

1. Expensae *necessariae,* sine quibus res aut periisset aut deterior evasisset, e. g. alimenta animalium, reparationes necessariae.

2. Expensae *utiles,* quae quidem non sunt absolute necessariae, sed tamen rationabiliter augent valorem rei; e. g. plantationes arborum.

3. Expensae *voluptuariae,* quae rei fructus non augent, sed tantum sunt ornamentum, e. g. aquae salientes in horto, picturae in parietibus etc. Aliquando non ita facile distinguuntur expensae utiles et voluptuariae.

1. De possessore bonae fidei.

Pauci sunt tractatus theologiae moralis, in quibus tanta opinionum di- 209
versitas ac ambiguitas exsistit, quanta in hoc de iuribus et obligationibus possessoris bonae fidei. Quod quidem inde ortum esse videtur, quia statuta iuris Romani antiqui de hac materia non sunt ita clara et non concordant cum modernis iuribus civilibus. Ut in re, quae est tanti momenti et tam frequenter occurrit, cum debita claritate procedamus, sequenti ordine proponuntur: possessoris bonae fidei notio; principia; iura et obligationes; applicationes.

Notio. Possessor bonae fidei ille est, qui invincibiliter ignoravit, rem a se possessam esse alienam, nunc autem casu cognoscit suum errorem. Quando igitur possessor bonae fidei rem primitus accepit, habuit titulum *coloratum* [1] dominii, e. g. emptionis, hereditatis etc. Occulto autem defectu obstante iste titulus fuit vitiosus et proinde non contulit verum dominium rei idque nunc detegitur. Ergo in possessore bonae fidei nulla habetur iniustitia *formalis,* sed tantum materialis.

Principium 1. *Res clamat, perit, fructificat domino neque quis* 210
cum alterius iniuria vel iactura locupletari debet.

Ita conformiter ad antiquum ius Romanum docent omnes theologi. Iura tamen moderna nonnullas modificationes hac in re introduxerunt, quas adhiberi licet etiam in foro conscientiae.

Explicatur: a) *Res clamat domino* (ad dominum). Etenim res legitime pertinens ad dominum ita cum illo connectitur, ut si fuerit *iniuste* ab illo separata, semper nitatur redire. Proinde dominus repetere potest rem suam, ubicumque demum illam invenerit, ac possessor tenetur illam reddere, nisi probet, se illam *iusto titulo* possidere, e. g. praescriptione.

[1] Cf. supra n. 61.

b) *Res fructificat domino,* quia fructus est quid accessorium rei. Porro accessorium sequitur principale. Ergo si res pertinet ad dominum, etiam fructus rei pertineant ad illum oportet. Debent autem revera esse fructus *rei* seu fructus *naturales* (mixti, civiles), non autem fructus potius *personae* possidentis, seu fructus *industriales.* Isti enim pertinent ad possidentem et non ad dominum. Iura moderna solent concedere possessori bonae fidei omnes fructus perceptos etiam naturales et civiles. Cf. infra n. 213.

c) *Res perit domino.* Sequitur hoc ex dictis; nam si res pertinet ad dominum, si fructificat domino, aequum est, ut etiam pereat domino, dummodo haec iactura causata fuerit sine iniustitia. Porro possessor bonae fidei non potest committere iniustitiam proprie dictam circa rem possessam, quam invincibiliter putat esse suae liberae dispositioni concreditam. Ergo quocumque demum modo res perit, perit domino, ita ut possessor bonae fidei nullam habeat obligationem erga dominum.

d) «*Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria*»[1], quia secus res non fructificaret domino, sed alieno possidenti.

211 **Principium 2.** *In dubiis circa proprietatem rei eiusque fructuum favendum est possessori bonae fidei.*

Ratio est triplex: a) Verissimum est adagium (saltem in materia iustitiae): «Melior est conditio possidentis»; quod quidem adagium notanter pro possessore bonae fidei agnoscitur a iuribus civilibus modernis.

b) Bonum reipublicae postulat, ut possessiones sint stabiles neve facile impugnationi obnoxiae, neve quis ex sua possessione detrudatur nisi certa et iusta ex causa.

c) Possessor bonae fidei sine ulla prorsus culpa rem alienam accepit. Ergo nullam meretur duritiem aut poenam. Quod quidem accideret, si in dubiis illi non praeberetur favor.

212 **Principium 3.** *Statuta iurium civilium modernorum circa possessorem bonae fidei potius observanda sunt quam statuta iuris Romani antiqui.*

Ratio est, quia vetus ius Romanum maximam quidem venerationem meretur, sed nihilominus mutationi immo et abrogationi obnoxium est. Moderni autem legislatores civiles libere possunt ferre statuta de translatione dominii privati, dummodo ipsum ius naturale inde non laedant. Porro nemo potest probare, statuta iurium civilium modernorum aperte contradicere hac in re iuri naturali. Ergo illa obligant in conscientia, et in casu conflictus cum iure Romano subditi tenentur sequi statuta moderna, relicto iure Romano. Unde nullus theologus — quantum scio — publice docuit, statuta modernorum iurium de possessore bonae fidei non posse tuto observari in conscientia[2].

---

[1] Regula iuris 34 in VI°.

[2] Cf. *Marc,* Instit. mor. I, n. 937.

Iura et obligationes. 213

a) Possessor bonae fidei acquirit rei alienae possessae verum dominium post legitimam *praescriptionem;* acquirit pariter omnes rei alienae *fructus* perceptos in bona fide, saltem si rem acquisivit titulo oneroso, atque si ita statuit ius positivum.

b) Liber est ab omni obligatione, quando res aliena possessa perit.

c) Potest exigere compensationem omnium expensarum utilium et necessariarum pro conservatione rei factarum.

d) Tenetur statim ac certo cognoscit legitimum dominum, reddere rem alienam apud se exstantem. Si rem accepit titulo *gratuito,* debet illam restituere sine ulla compensatione; sin autem emit rem, aliquando potest pretium solutum a domino rei ante eius restitutionem exigere, prout iura civilia statuunt.

Explicantur singula. a) Possessor bonae fidei habet omnes quinque [1] conditiones ad legitimam praescriptionem requisitas, dummodo per tempus a lege determinatum rem pacifice possederit. Quodnam sit istud tempus, vide supra n. 63. Unde si rei dominus elapso isto tempore apparuerit, possessor iam non tenetur in conscientia tradere rem possessam. Quando autem possessor bonae fidei ante istud tempus certo comperit, rem esse alienam, sed dominum eius esse *ignotum,* nihilominus rem retinere potest. Etenim si iuxta sententiam in praxi tutam inventor rem alienam retinere potest domino non comparente, a fortiori hoc licitum est possessori bonae fidei. E. g. Petrus bona fide emit rem; sed post duos menses comperit, illam esse furto ablatam; dominus autem rei prorsus ignotus est. Etsi in isto casu nondum adest titulus legitimae praescriptionis, tamen rem retinere eaque uti potest usque dum legitimus dominus sit notus. — Possessor bonae fidei non tantum retinere potest fructus *industriales,* ut docuerunt iuxta ius Romanum veteres theologi, sed etiam omnes alios fructus durante pacifica possessione perceptos. Ita fere omnia iura moderna, e. g. Gallicum [2], Italicum [3], Hispanicum [4], Austriacum [5], Hollandicum [6], Helveticum [7], contra ius Romanum. Ius Germanicum [8] facit limitationem: si possessor bonae fidei acquisivit rem titulo *gratuito,* tenetur reddere fructus, secus non. Iura moderna valde favent bono publico, cum sic evitentur innumerae difficultates et querelae,

---

[1] Cf. supra n. 59 sqq.

[2] Art. 549: «Le simple possesseur ne fait les fruits siens que dans le cas où il possède de bonne foi.»

[3] Art. 703: «Il possessore di buona fede fa suoi i frutti, e non è tenuto a restituire se non quelli che gli siano pervenuti dopo la domanda giudiziale.»

[4] Art. 451: «El poseedor de buena fe hace suyos los frutos percibidos mientras no sea interrumpida legalmente la posesión.»

[5] § 330: «Dem redlichen Besitzer gehören alle aus der Sache entspringenden Früchte, sobald sie von der Sache abgesondert sind.»

[6] Art. 604. In quattuor punctis lex Hollandica clare determinat iura possessoris bonae fidei. Tertium punctum statuit: «Dat hij (bezitter te goeder trouw) tot op de geregtelijke terugvordering de vruchten geniet, welke de zaak oplevert.»

[7] Art. 938: «Wer eine Sache im guten Glauben besitzt, wird dadurch, daß er sie seinem vermuteten Rechte gemäß gebraucht und nutzt, dem Berechtigten nicht ersatzpflichtig. Was hierbei untergeht oder Schaden leidet, braucht er nicht zu ersetzen.»

[8] § 988; cf. etiam § 2020.

quae iugiter circa restituendos fructus moveri possunt. Unde communiter theologi docent, ista statuta iurium modernorum obligare in conscientia[1].

b) Possessor bonae fidei liber est ab obligatione, quando res aliena perit nec ditior factus est ex ea. Etenim «res perit domino». Ratio autem est, quia nemo tenetur restituere, nisi rem alienam aut possidet aut culpabiliter damnificavit. Porro possessor bonae fidei putans invincibiliter rem esse suam, libere de ea disponere potuit et nullam iniuriam formalem commisit, etiamsi res ex eius culpa periisset. — Quid autem dicendum est, si possessor rem alienam bona fide consumpsit, e. g. vestem alterius usu frequenti attrivit? Veteres auctores respondebant distinguendo: Si tali usu possessor bonae fidei factus est ditior, quia scil. sic parcuit rebus propriis, tenetur pretium rei solvere; secus ad nihil tenetur. Ita Sporer[2], Elbel[3], et ex modernis Noldin[4]. Iura autem civilia moderna etiam in hoc casu solent eximere possessorem a qualibet restitutione[5]; attamen in quibusdam casibus non admittunt bonam fidem et proinde imponunt restitutionem, e. g. quando maritus bona fide consumit uxoris bona aut tutor bona pupilli. Confessarius in tribunali quoque poenitentiae potest iudicare iuxta haec statuta civilia.

c) Tamquam principium generale habens paucas exceptiones admittitur in iuribus modernis: possessor bonae fidei nullum damnum pati debet, dummodo non tantum de facto, sed etiam iuridice in bona fide egisse censeatur. Ergo potest exigere non solum compensationem omnium expensarum necessariarum et utilium pro conservatione rei, sed etiam plenam indemnitatem, quando rem alienam reddere tenetur. Iuxta ius Gallicum[6] potest a domino exigere pretium solutum, si rem emerit in nundinis, publica venditione vel a mercatore vendente res eiusdem speciei. Similia habentur in aliis iuribus[7].

d) Dominus legitimus semper potest rem suam vindicare, ubicumque demum inventa fuerit. Ita ius naturale. Propter bonum commune tamen leges civiles huic legi quasdam modificationes attulerunt. Nam non tantum post *legitimam praescriptionem* dominus iam nullum ius in rem habet, sed etiam in nonnullis aliis casibus. Sic e. g. ius Germanicum statuit, possessorem bonae fidei acquirere verum dominium proprietatis etiam in sequentes res furto ablatas: pecuniam, titulos nummularios *(Inhaberpapiere)* et in omnes res emptas in publica subhastatione[8]; in alias vero res furtivas possessorem non acquirere dominium. Videnda igitur sunt statuta singulorum iurium civilium, quae etiam in foro conscientiae observari possunt, immo debent, cum sint iustae determinationes iuris naturalis ad bonum reipublicae factae. Sin autem possessor bonae fidei iuxta ius patriae suae non acquisivit legitimum dominium in rem alienam possessam, tenetur illam reddere vel saltem reddere certiorem dominum, qui suam rem repetere possit. Patet per se, quia secus cessat esse possessor bonae fidei, sed fit malae fidei.

214 **Quaeres:** *Num qui rem furtivam bona fide emit, possit eam reddere furi ad pretium suum recuperandum?*

Respondeo: 1. Si dominus compareat exigatque rem suam, possessor bonae fidei debet rem tradere, nisi aliter statutum sit a legibus modernis. 2. Si dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, possessor bonae fidei non

---

[1] Cf. *Marc*, Instit. mor. I, n. 937. [2] De iust. tr. 4, c. 2, n. 113.
[3] De restit. n. 49. [4] De praeceptis n. 439.
[5] Cf. Cod. civ. Helv. art. 938. [6] Art. 2280.
[7] Cf. Ius Austr. § 367 sq et Cod. commerc. § 306—308 et ius Helv. art. 934.
[8] Cod. civ. § 985.

potest rem aliis vendere ad pretium suum recuperandum neque illam proprio usu consumere, quia tunc utitur illicito modo re aliena. — Num autem illam tradere potest furi, si aliter pretium suum nequeat recuperare?

Theologi in duas oppositas sententias abeunt. Caietanus[1], Concina[2], Dom. Soto[3], Billuart[4] et plures alii citati a Billuart et a S. Alphonso[5], nixi principio: «Res clamat domino», docent possessorem teneri reddere rem legitimo domino, etiamsi sic debeat perdere pretium suum. Alii theologi, S. Antoninus[6], Bannez[7], Lugo, Lessius, Holzmann et multi alii citati a S. Alphonso[8], asserunt, possessorem posse reddere rem furi, si nulla alia via suppetat recuperandi pretium suum; quia haec redditio nihil aliud est nisi rescissio contractus ex se invalidi. Haec autem rescissio ex rationabili causa licita est, etsi inde domino damnum oritur. S. Alphonsus favet huic sententiae. Ceterum in praxi raro accidit, ut desit alia via recuperandi pretium ac furi reddendo rem.

Applicationes. 1. Qui bona fide rem alienam *dono* aliove titulo gratuito 215
accepit, illamque *gratuito* tradidit alteri, ad nihil tenetur. Ita omnia iura. Ratio est, quia nullam commisit iniuriam neque ullum emolumentum ex substantia rei habuit. Etiam ad nihil tenetur propter fructus rei forsan perceptos, quia iuxta moderna iura possessor bonae fidei fere numquam tenetur restituere fructus perceptos in bona fide[9].

2. Qui bona fide rem alienam *dono* aliove titulo gratuito accepit, illamque postea vendidit vel alio titulo oneroso tradidit alteri possessori, tenetur emptori pretium acceptum reddere, si dominus suam rem evixerit. Ratio est, quia debet hic applicari Regula iuris 48 in 6°: «Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.»[10]

3. Qui bona fide rem alienam emit aut alio titulo *oneroso* accepit illamque postea vendidit (licet paulo carius), per se ad nihil tenetur. Rem enim alienam iam non possidet neque notabile lucrum ex ea habuit. — Quodsi autem dominus rem suam evixerit, tunc aliquando ipse tenetur pretium solutum compensare[11]; aliquando autem ultimus emptor potest pretium solutum reclamare ab anteriore venditore et sic deinceps.

4. Iura moderna civilia et commercialia in aliquibus casibus non admittunt bonam fidem, vel saltem non curant de bona aut mala fide, sed simpliciter determinant restitutionem aut retentionem rei fructuumque illius. Non potest a priori dici isthaec statuta esse iniusta. Quando igitur confessarius iudicare debet in tribunali poenitentiae de aliquo casu graviore possessoris bonae fidei, consulat prius iurisperitum, neque contra statuta iuris civilis vigentis possessori bonae fidei obligationem restituendi facile imponat aut libertatem a restitutione concedat.

2. *De possessore malae fidei.*

Notio. Possessor malae fidei ille est, qui culpabiliter rem, quam scit alienam, accepit aut retinet. Committit igitur iniustitiam formalem et proinde multo gravius tractandus est quam possessor bonae fidei.

---

[1] Comm. in 2, 2, q. 62, a. 6. [2] De iure et iust. diss. 2, c. 7, n. 11.
[3] De iure et iust. l. 4, q. 7, a. 2. [4] De iure et iust. diss. 8, a. 10.
[5] Theol. mor. l. 3. n. 569. [6] S. theol. P. 2, tit. 1. c. 12, § 16.
[7] Comm. in 2, 2, q. 62, a. 6, dub. 1, concl. 2 et 4. [8] L. c.
[9] Cf. tamen supra exceptionem in iure Germanico.
[10] Ita etiam expresse ius Germanicum § 816. [11] Cf. ius Gallicum a. 2280.

216 **Principium.** *Possessor malae fidei in tantum tenetur restituere, in quantum damnificavit; vel aliis verbis: Mensura restitutionis est quantitas damni illati.*

Ratio est obvia. Etenim restitutio debet strictam aequalitatem laesam reparare. Iamvero haec aequalitas non est reconstituta, nisi totum damnum iniuste illatum compensatum est.

Obligationes possessoris malae fidei considerari possunt quantum a) ad rem ipsam acceptam; b) ad eius fructus; c) ad lucrum cessans et damnum emergens; d) ad expensas.

217 a) *Obligationes ratione rei acceptae.* Possessor malae fidei tenetur rem ipsam restituere, si adhuc exsistat, vel aequivalens pretium dare, si res perierit. — Ratio est, quia possessor malae fidei est revera fur, et proinde tenetur totum damnum causatum (et praevisum) restituere. Porro haec restitutio exigit, ut imprimis res ipsa adhuc exsistens restituatur. Quodsi hoc iam impossibile sit, debet aequivalens pretium legitimo domino tradi. Si res ablata *periit* sive cum culpa sive sine culpa iniusti possessoris, nihilominus iste tenetur aequivalens pretium restituere, etsi ex re nullo modo factus est ditior. Tenetur enim dominum laesum facere indemnem. Datur tamen probabiliter una exceptio: si res *eodem modo* ac *eodem tempore* apud dominum periisset, quia tunc fur nullum reale damnum intulit legitimo domino. Si tamen fructus ex re percepit, tenetur illos compensare. E. g. fur abstulit bovem aegrotum, qui post mensem mortuus est. Aequo modo et tempore mortuus esset, etiamsi remansisset apud dominum. Fur tenetur quidem restituere fructus forsan perceptos durante mense, sed non pretium bovis. Vel fur abstulit pretiosas vestes. Sequenti nocte domus furis ac domus proprietarii simul unico incendio totaliter destructae sunt. Iuxta *ius naturale* fur ad nullam restitutionem tenetur, quia nullum reale damnum causavit legitimo domino [1]. Si vero res non pereat eodem moraliter tempore, fur ad restitutionem tenetur. Plura *iura civilia* [2] statuunt, ut fur numquam eximatur a restitutione, quocumque demum modo res perierit aut perdita fuerit. Haec statuta non videntur iniusta et post sententiam iudicis certo valent in conscientia. Non videntur autem obligare *heredes furis,* quia potius sunt latae in poenam personalem quam in reparationem damni causati.

Qui rem alienam ex certissimo et evidentissimo exitio salvavit et consumpsit *in ipso loco periculi,* ad nihil tenetur. Sin autem rem ex isto exitio in locum tutum translatam consumpserit, tunc reparandum est damnum, detracta tamen compensatione laboris necessarii ad salvandam rem. Unde e. g. qui in domo ardenti lagenam vini secus perituri bibit, ad nihil tenetur; sin autem illam lagenam prius in locum tutum abstulit, potest quidem compensationem pro labore suscepto

---

[1] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 620; Homo apost. 10, 79; *Billuart,* De iure et iust. diss. 8, a. 11, § 2.

[2] Ius Gallicum a. 1302; Italicum a. 1298; Hispanicum a. 457.

exigere, sed iam nullum ius in vinum habet, quia non sibi, sed legitimo domino rem salvavit. — Sunt tamen auctores qui eximunt a restitutione in hoc casu[1].

Si durante eo tempore, quo restitutio obligat, valor rei *varius* est, generatim summus valor est restituendus, quia res fructificat legitimo domino[2]. Unde si res apud possessorem malae fidei facta est melior, domino restituenda est cum incremento, deducto tamen pretio laboris et industriae; e. g. qui furto abstulit vitulum, qui postea factus est vacca, debet restituere vaccam aut eius pretium, computatis emolumentis perceptis, sed deductis expensis factis. Sin autem pretium rei primo crevit et postea decrevit, nihilominus fur tenetur (saltem theoretice loquendo) restituere maius pretium, quia fur debuit quocumque momento restituere. In praxi vero tunc ordinarie non est urgenda nisi restitutio rei aut eius pretii secundum valorem, quem habuit *tempore furti,* quia illae mutationes pretii saepe sunt valde incertae, nisi tamen agatur de naturali incremento, ut in exemplo vituli modo allato[3].

b) *Obligationes ratione fructuum.* Iure naturali possessor malae 218
fidei tenetur restituere *α*) fructus rei tum naturales tum civiles, quos ipse percepit (etsi forsan dominus illos fructus non percepisset), et *β*) quos dominus percepisset, etsi ipse non percepit. E. g. fur, qui abstulit pecuniam, debet praeter summam ablatam etiam solvere *usuram,* si ipse emolumentum pecuniare habuit ex pecunia ablata, vel si legitimus dominus ex pecunia usuram recepisset. — Sin autem sunt *furta minuta* et neque legitimus dominus neque fur aliquam usuram percepisset aut percepit, sufficit reddere summam ablatam sine addita usura[4].

Fur non tenetur restituere fructus *industriales,* aut fructus mixtos eos, in quibus industria personalis plus produxit quam ipsa res. Ratio est, quia isti fructus principaliter oriuntur ex industria personae et secundario tantum ex re ablata. Unde e. g. qui abstulit ova, ex quibus gallinas habuit, non tenetur gallinas vel earum pretium restituere, sed tantum pretium ovorum.

c) *Obligationes ratione damni emergentis et lucri cessantis.* «Quo- 219
ties agitur de restitutione lucri cessantis, vel damni emergentis, regula generalis ab omnibus tradita est, quod debeat restitutio fieri *non integre,* sed iuxta maiorem vel minorem certitudinem talis lucri, vel vitandi talis damni, quantum scilicet spes illa incerta valere poterat, attentis iis omnibus, quibus effectus impediri poterat.» Ita merito Lugo[5]. Possessor autem malae fidei debet id solum lucrum cessans et damnum

---

[1] Cf. *Tanquerey,* Synopsis Theol. mor. II, n. 507.

[2] Ita etiam *Billuart* l. c. § 3. *S. Raymundus* (Summa l. 2, tit. 6 de furtis, § 3) dicit: «Cum redditur aestimatio rei, non tantum est considerandum tempus, in quo res fuit subrepta, et tempus, in quo periit, sed etiam totum tempus medium, et fiet aestimatio secundum illud tempus, in quo plurimi valoris fuit res.»

[3] Cf. *Göpfert,* Moraltheologie II 155. [4] Cf. *Gury,* Comp. Theol. mor. I, n. 649.

[5] De iust. disp. 18, n. 133.

emergens reparare, quod saltem *in confuso praevidit*. In hoc casu applicanda sunt illa, quae supra n. 93 dicta sunt de iniusto damnificatore.

220 d) *Obligatio quoad expensas*. Possessor malae fidei deducere potest expensas necessarias et etiam aliquando utiles, quas dominus ad conservandam et augendam rem ipse fecisset, si res ablata non fuisset. Ita sententia verior et communior, cui favet S. Thomas[1] loquens de fructibus simoniace iniuste acceptis. Ratio est, quia tunc legitimo domino nedum fit iniuria, sed eius utilitati prospicitur. Nimis autem durum esset, si possessor malae fidei non tantum teneretur indemnem habere legitimum dominum, sed etiam expensas necessarias et utiles portare. Expensas autem mere *voluptuarias* forsan factas deducere nequit, nisi tamen illae sint separabiles a re, quin ipsa res deterioretur.

3. De possessore dubiae fidei.

Notio. Possessor dubiae fidei est ille, qui ex *gravi* ratione positive dubitat num res, quam possidet, sit sua an aliena. Leves igitur dubitationes non reddunt possessorem dubiae fidei. Dubium autem grave de proprietate rei potest vel *postea supervenire*, vel adesse *inde ab initio* possessionis.

221 1. **Obligationes in casu dubiae fidei supervenientis.**

Possessor, orto serio dubio, debet sedulo investigare veritatem, ut dubium deponat. Secus enim exponit se periculo rem alienam retinendi; immo et fit possessor malae fidei. Facta autem diligenti inquisitione:

a) Si moraliter constet, rem esse alienam, debet illam restituere.

b) Sin autem dubium perseveret, potest rem retinere, quia in dubio melior est conditio possidentis.

c) Si postea dominus compareat, restituere debet rem, si adhuc exstat; secus debet restituere, in quo ditior factus est, nisi tamen interim praescriptio legitima verum dominium illi procuraverit.

d) Si possessor habet pro se opinionem probabilem et contra se opinionem probabiliorem, potest adhuc rem sibi retinere. Ratio est, quia nemo a sua possessione detrudi debet, nisi moraliter *certo* constet, illum non esse legitimum possessorem. Porro in casu non habetur haec moralis certitudo.

222 2. **Obligationes in casu dubiae fidei antecedentis.**

a) Qui ex *titulo dubio* spoliat possessorem bonae fidei re sua, peccat contra iustitiam et tenetur rem arreptam restituere pristino possessori[2]. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis.

b) Qui vero non spoliavit possessorem contra eius voluntatem, sed rem accepit *legitimo titulo* (emptione, donatione, hereditate etc.) a possessore dubiae aut suspectae fidei, tenetur inquisitionem sedulam

[1] S. theol. 2, 2, q. 100, a. 6 ad 3.

[2] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 8, a. 9, § 5.

facere. Quodsi tali inquisitione facta anceps maneat, tenetur restituere *pro rata dubii,* et quidem domino probabili, si inveniri potest; secus autem erogare debet rem acceptam in pauperes aut causas pias. Ratio est, quia totum retinere nequit, quoniam possessionem incoepit cum dubia fide; nec tamen *totum* restituere debet, quia aequum non est illum obligare ad tantum damnum, cum revera dubium sit, an res possessa sit aliena. Ita post S. Alphonsum [1] communiter omnes theologi.

c) Qui rem vel ius (e. g. hereditatem) accepit a possessore bonae fidei et cum dubio possidere coepit, potest, manente dubio, antecessoris iure se tueri, scil. potest possidere cum bona fide et proinde ad nihil tenetur, usque dum contrarium certo probetur.

§ 2.

De altera radice, seu de iniusta damnificatione.

Altera radix restitutionis faciendae est iniusta damnificatio sive ab 223
uno sive a pluribus perpetrata. De hac duplici damnificatione atque de damnificatione in diversis materiis supra sufficienter dictum est. In omnibus materiis et casibus illud unicum principium applicandum est: Non adest obligatio restitutionis propter damnificationem causatam:

a) nisi actio damnificans iniusta fuerit vere, efficaciter et formaliter; seu aliis verbis: nisi laeserit iustitiam commutativam actu externo et interno moraliter culpabili, vel:

b) nisi post sententiam iustam iudicis aut post contractum validum de restitutione facienda initum.

Mensura et ordo restitutionis inter plures damnificantes. Quando damnificatio iniusta perpetrata fuit a pluribus, difficultas oriri potest, qua mensura et quo ordine singuli damnificantes restituere teneantur. Sequentia notentur:

Triplex est huiusmodi mensura inter plures damnificantes: alii enim obligantur *in solidum absolute,* alii *in solidum conditionate* (seu pro rata *et* in solidum), alii *pro rata simpliciter.* Solidaritas seu obligatio restituendi in solidum est onus incumbens singulis cooperatoribus reparandi *totum* damnum illatum. Haec solidaritas est a) *absoluta,* si quis tenetur *solus* totum damnum reparare, quin habeat ius recompensationem petendi ab aliis cooperatoribus; e. g. solidaritas mandantis; b) *conditionata,* si quis tenetur solus totum damnum illatum reparare, sed non nisi deficientibus aliis cooperatoribus. Si integrum damnum revera restituit, habet ius compensationem exigendi ab aliis cooperatoribus. Talis est solidaritas participantis. c) Obligatio restituendi *pro rata simpliciter* est onus unicuique incumbens, reparandi illam tantum damni partem, quae suae cooperationi correspondet, e. g. plures fures dividunt spolia ablata.

Principium 1. *Quicumque (adiuvantibus tantum aliis) fuit totius* 224
damni causa principalis, tenetur ad restitutionem in solidum absolute, seu, ut S. Thomas dicit: «*Principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto.*» [2]

---

[1] Theol. mor. l. 3, n. 625. [2] S. theol. 2, 2, q. 62, a. 7 ad 2.

Ratio est, quia ille fuit causa totius damni, et ceteri cooperatores non fuerunt nisi eius instrumenta. Quod quidem maxime apparet in mandante damnificationem. Valde enim iniquum esset, si mandans aliis, damnificationem, ab ipsis, damnificatione facta, exigeret partem restitutionis faciendam. Unde e. g. qui famulo mandat, ut damnum causet alteri, tenetur solus totum damnum causatum reparare, neque potest exigere, ut famulus partem damni restituat. Sin autem mandans non restituat, famulus tenetur reparare damnum causatum. Mandanti aequiparandus est ille, qui vi, metu, minis alterum inducit ad laesionem iustitiae commutativae.

225 **Principium 2.** *Qui simul cum aliis concurrit efficaciter ad totum damnum, tenetur ad restitutionem in solidum conditionate.*

Tenetur quidem *in solidum,* quia eius actio realiter influxit in *totum* damnum. Tenetur autem tantum *conditionate* in solidum, quia idem damnum etiam adscribendum est aliis concausis. — Iamvero cooperator habetur ut causa efficax totius damni in duobus casibus, scil.:

1. Quando eius cooperatio fuit necessaria ad totum damnum inferendum; e. g. aliquis praebuit suffragium, sine quo iniusta sententia fuisset impossibilis.

2. Quando totum damnum causatum est ex communi *conspiratione;* e. g. tres homines faciunt conspirationem ad occidendum inimicum, qui revera ab uno tamquam exsecutore istius conspirationis occiditur.

226 **Principium 3.** *Qui absque communi conspiratione simul cum aliis est causa partialis damni, tenetur restituere pro rata influxus.*

Hinc si plures concurrant ad furtum faciendum, unusquisque tenetur restituere pro rata influxus et bonorum ablatorum.

Causa partialis damni est illa, quae nec sufficiens nec necessaria est ad totum damnum perpetrandum, adeo ut etiam sine illa effectus evenisset, etsi forsan non ita facile. E. g. duo fures volunt noctu penetrare in aliquam domum ad furandum. Accedit tertius fur, et sic furtum facilius perpetratur. Omnes tres sunt causae partiales, et unusquisque tenetur restituere tantum, quantum furatus est.

Tria principia enuntiata sic breviter enuntiari possunt: Pluribus cooperantibus ad iniustum damnum 1. causa principalis tenetur in solidum absolute; 2. causa secundaria tenetur in solidum conditionate, si efficaciter causavit totum damnum; 3. secus tenetur causa secundaria pro rata influxus.

Quaeres: Quid faciendum est in dubio, a) num quis fuerit causa *totalis* damni; b) num alii partem suam restituerint? — In primo dubio ille non tenetur nisi ad partem, quia onus certum, scil. totum restituendi, non potest imponi pro incerta obligatione. Excipe tamen, nisi per suam actionem scienter reddiderit rem incertam. E. g. quando plures vi aut dolo mulierem stupraverunt, tenentur in solidum conditionate ad resarcienda damna materialia ex istis stupris causata. — In altero dubio quidam respondent, non adesse obligationem restituendi integrum. Ita

Noldin[1]. Ad rem scribit S. Alphonsus[2]: «Negant Salmanticenses et Roncaglia, dicentes quemque teneri tantum partem suam restituere; quia praesumendum alios socios iam restituisse. Sed id mihi minime probatur. Advertendum tamen, quod rudes etsi teneantur in solidum, raro expedit eos obligare ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant, se tenere ad restituendam partem a sociis ablatam. — Quinimmo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam, cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum.» Ergo tunc confessarius communiter hortetur poenitentem, ut restituat, quod debet, quin accuratam quantitatem explicet, id remittens dictamini conscientiae illorum.

De ordine servando inter iniustos cooperatores. 227

Haec quaestio arcte coniungitur cum praecedenti. Etenim mensura restitutionis faciendae et ordo eius solent esse proportionati. Notandum est sequens principium:

Principium. *Si cooperatores eodem gradu et modo damnum intulerunt, singuli aequaliter et indiscriminatim restituere debent; sin autem in diverso gradu influxerint, tenentur sequenti ordine: 1. qui rem nunc detinet; 2. mandans; 3. exsequens; 4. ceteri cooperatores positivi; 5. cooperatores negativi.*

Explicatur. *Aequalis* ordo adest, si singuli aequali modo ad damnificationem cooperati sunt. E. g. quinque fures abstulerunt summam 10000 francorum. Unusquisque tenetur primo et immediate sine respectu ad alios fures restituere 2000 francos.

Quando vero *inaequali* gradu influxerunt in damnum:

Primo loco tenetur ad restitutionem ille, qui rem alienam detinet, sive bona sive mala fide, quia res clamat domino. Si res iam non exsistat, ille censetur detentor, qui prae aliis lucrum habuit ex re aliena.

Secundo loco, deficiente detentore tenetur ad restitutionem mandans, quia est principalis auctor damni. Mandanti aequiparatur consulens, a) si alterum induxit in errorem invincibilem; b) si damnum ex consilio secutum soli consulenti et non exsequenti utile fuit.

Tertio loco obligatur exsecutor, quia ille aliquo modo agit proprio nomine et post mandantem in damno habet principaliorem partem quam alii cooperatores.

Quarto loco tenentur ceteri cooperatores *positivi,* scil. consulens, consentiens, palpo, receptans et participans. Inter hos nullus est ordo, dummodo tamen fere aequali modo damnum causaverint.

Ultimo loco restituere debent cooperatores *negativi,* scil. mutus, non obstans, non manifestans, quia isti minorem influxum quam ceteri omnes solent habere in damnum.

---

[1] De praeceptis n. 489. [2] Theol. mor. l. 3, n. 579.

Corollarium. Si principalis causa damni restituerit aut condonationem a domino legitimo obtinuerit, omnes causae secundariae iam ad nihil tenentur. Econtra, si causa secundaria restituerit aut obtinuerit condonationem *suae partis,* ideo nondum liberatur causa principalis, neque aliae causae secundariae. Si una ex causis secundariis restituerit suam partem, causa principalis tenetur illam compensare; sin autem restituerit totum, tunc deficiente causa principali etiam aliae causae secundariae debent illam iuxta ratam partem compensare.

ARTICULUS III.

De modo et circumstantiis restitutionis.

Expendemus: 1. cuinam, 2. quo tempore, 3. quo loco et 4. quo modo sit restituendum.

§ 1.

Cui sit restituendum.

228 **Principium generale.** *Restitutio per se facienda est illi, cuius strictum ius laesum fuit, eoque defuncto eius heredibus.*

Patet hoc ex notione iustitiae commutativae, cuius officium est reddere unicuique, quod suum est, seu restituere aequalitatem rei ad rem. In applicatione practica huius principii attendendum est, num dominus laesus sit a) *certus et notus,* b) *ignotus,* c) *dubius.*

229 **Regula prima. Si dominus laesus est certus et notus,** ipsi (vel successori) facienda est restitutio. Res enim clamat domino. Ab hac regula tamen dantur quaedam exceptiones seu potius limitationes a lege positiva introductae.

Exceptiones. 1. Si res ablata fuerit a iusto *possessore* et non ab ipso *proprietario,* restituenda est (saltem communiter) possessori et non proprietario. E. g. Petrus commodavit librum a Paulo; si liber furto ablatus fuerit Petro, debet ordinarie restitui Petro et non Paulo, quia secus Petrus damnum habere potest.

2. Si *communitas* seu societas laesa fuit, communiter restituendum est administratoribus istius communitatis. Si tamen ista communitas est *prorsus prava,* ut secta Massonica, aut (saltem in aliquibus regionibus) secta Socialistarum, non est restituendum ipsi societati aut administratoribus, quia hoc esset favorem praebere fini pravo, sed *singulis membris* societatis[1]. Cum hoc autem saepe sit impossibile, satis est, si summa restituenda distribuatur pauperibus. Quando autem societas non est ita mala, i. e. si eius principalis finis non est pravus, e. g. societates nonnullae haereticae, tunc restituendum est ipsi societati, quia non privatur iure suo propter malos fines accidentales.

---

[1] Sic christiani, qui res idolis oblatas furati erant, iussi sunt facere restitutionem sacerdotibus paganis templi. S. C. de Prop. Fide d. 10 Febr. 1795 et S. Offic. d. 21 Sept. 1842 ad 4.

3. Si damnum fuit causatum *reipublicae* aut *civitati,* restituendum 230
est reipublicae aut civitati. Haec autem restitutio diversis modis fieri potest: *α)* summam debitam solvendo iis, qui a potestate civili iniusto modo in bonis fortunae laesi sunt et quibus proinde a republica debetur restitutio. Hinc, cum in plurimis regnis Ecclesia catholica sit iniuste spoliata bonis suis, sufficit summam debitam erogare in bonum Ecclesiae. Attamen in isto casu melius est summam erogare non Ecclesiae in generali, sed alicui instituto ecclesiastico determinato, quod revera damnum iniuste passum est a tali gubernio. Ratio est, quia iuxta sententiam probabilem dominium bonorum ecclesiasticorum non pertinet directe ad totam Ecclesiam aut ad Summum Pontificem, sed ad singula iuridica Instituta ecclesiastica. — *β)* Potest etiam restitutio fieri destruendo *tesseras,* quibus pretium pro transvehendis litteris aliisque rebus solvitur [1], dummodo tamen istae tesserae ad *gubernium* civitatis pertineant. Vel potest restitutio fieri destruendo titulos debiti publici [2], non autem destruendo syngraphas bancarum particularium [3]. — *γ)* Demum potest restitutio fieri erogando summam debitam in pauperes; cum enim reipublicae incumbat obligatio subveniendi pauperibus, eius onera hoc modo diminuuntur.

4. Specialis difficultas eaque magna oriri potest, si restitutio facienda 231
est alicui *assecurationi.* Quando assecuratio pertinet ad *fiscum,* tunc fisco restituendum est, ut ex supra dictis patet; quando vero assecuratio est privata, ut saepissime est, tunc per se loquendo restitutio facienda est administratoribus istius assecurationis. Aliquando tamen hoc non est consulendum, quia plures assecurationes habent cum aliis societatibus pactum retro-assecurationis [4], et tunc incertum est, quisnam revera damnum passus fuerit. Non raro etiam periculum adest, ne restitutio facta defraudetur ab infidelibus administratoribus. Cum igitur restitutio facienda legitimo domino sit moraliter impossibilis, plures auctores, e. g. Göpfert [5], Noldin [6], merito docent, in istis dubiis summam restituendam posse pauperibus aut causis piis donari.

5. Si restitutio facienda est alicui, qui coactus fuit, *cessionem bo-* 232
norum facere [7], tunc lex positiva graviter praescribit, ut restitutio fiat non domino, sed bonorum administratori a publica auctoritate constituto; creditores enim domini ius habent, ut ex eius bonis omnibus indemnes serventur. Si tamen restitutio facta fuisset non administratori, sed domino, praesertim si iste esset in magna necessitate, valida esset. Ratio autem est, quia dispositio legis positivae non potest in isto casu invalidare legem naturalem, quae iubet restituere domino. Etiam extra cessionem legalem bonorum licet aliquando creditoribus restituere et non domino, quando scil. iste non est rationabiliter invitus, quod hoc

---

[1] Vulgo *Briefmarken, timbres, stamps.* [2] Vulgo *Staatsobligationen.*
[3] Vulgo *Banknoten von Privatbanken.* [4] *Rückversicherung.*
[5] Moraltheol. II, n. 126. [6] De praeceptis n. 512.
[7] Vulgo *Konkurs, Bankrott, faillite.*

modo restitutio fiat. In praxi tamen non est restituendum creditoribus, nisi hoc a lege civili permittatur.

233 6. Domino defuncto, restitutio facienda est eius heredibus; omnia enim defuncti iura in heredes transeunt. *Deficientibus* heredibus, summa restituenda datur pauperibus vel causis piis vel stipendiis Missarum pro requie defuncti dicendarum. Quando autem adsunt legitimi heredes defuncti, summa restituenda non potest erogari in stipendia Missarum pro defuncto dicendarum (nisi tamen heredes in hoc consentiant). Ita S. Poenitentiaria d. 7 Febr. 1899[1]. — Qui pauperibus aut causis piis dedit rem restituendam, quamdiu dominus aut eius heredes noti sunt atque eis restitutio fieri potuit, suae obligationi non satisfecit, ideoque iterum restituere debet, quia restitutio omnino debet fieri legitimo domino eiusve heredibus, *saltem si hoc est moraliter possibile*. Adesse autem censetur moralis impossibilitas restituendi legitimo domino, si ille, qui est obligatus ad restitutionem, restituendo legitimo domino deberet damnum *duplo maius* subire. Auctores tamen minime concordant in hac impossibilitate mensuranda. En verba S. Alphonsi[2]: «Si sit spes, ut res vel pretium alio tempore restituatur domino, vel eius heredibus, sine magno damno debitoris, tunc probabiliter dicunt Bonacina, Lugo, Lessius restitutionem posse differri. Si vero desit talis spes, ita ut dominus esset re privandus, tunc adhuc probabiliter dicunt Lessius et Dicastillus apud Croix (qui id non reprobat cum Lugo), quod si res parvi sit momenti, et damnum furis esset *duplo maius*, tunc posset restitutio applicari pauperibus vel operibus piis; quia in hoc praesumitur dominus assentiri. Si tamen esset res magni momenti, ... [plures] excusant furem a restituendo domino immediate, casu quo expensae faciendae essent aequivalentes rei valori. Sed hoc communiter non admittunt Tamburinus, Sporer et Croix cum Lugo, Vasquez et Illsung. — Excusant autem Scotus, Gabriel et Richardus apud Croix, si sumptus essent maiores debito. Huius sententiae est etiam Glossa in cap. ‚Cum tu', de usuris, ubi dicitur fur non teneri rem mittere domino, si expensae deportationis excedant ipsius rei valorem. Probabilius vero Sporer, Tamburinus et Molina excusant solo casu, quo sumptus essent longo maiores; immo Lugo obligat furem, etiamsi passurus sit damnum duplo maius. Quando autem damnum omnino esset excessivum, sufficit restituere pauperibus.» — In tanto labyrintho opinionum, quae omnes non excedunt limites probabilitatis, eligat unusquisque quamcumque voluerit. Nostris temporibus, cum absque magnis expensis saltem pretium rei ablatae possit mitti etiam in dissitas regiones, casus non est ita practicus. Potest tamen accidere, ut dominus transmigraverit in regionem dissitam et eius domicilium non possit sine magno labore magnisque expensis cognosci. Si in isto casu ad inveniendum domicilium deberet debitor expendere summam, quae est maior quam

[1] Collect. de Prop. Fide n. 2038.
[2] Theol. mor. l. 3, n. 598.

ipsum debitum, potest tuta conscientia omittere investigationem et totum debitum erogare in pauperes[1].

Regula secunda. Si dominus laesus est ignotus, possessor 234
rei debet facere diligentem inquisitionem, qua sine effectu peracta, possessor *bonae fidei* rem potest retinere; possessor vero *malae fidei* aut iniustus damnificator tenetur rem donare pauperibus aut locis piis.

Legitimo domino manente ignoto possessorem bona fidei posse retinere rem probabiliter docent post S. Alphonsum[2] fere omnes auctores moderni, Noldin[3], Tanquerey[4], Marc[5], Göpfert[6]. Ratio est, quia cum inventor possit probabiliter retinere rem inventam, si dominus post diligentem inquisitionem non apparuerit, a fortiori hoc licet possessori bonae fidei, cum iste coeperit possidere rem titulo colorato. Veteres auctores econtra hoc non admittunt[7]. S. Thomas[8] dicit: «Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus; praemissa tamen diligenti inquisitione de persona eius, cui est restitutio facienda.» Haec verba Angelici Doctoris a quibusdam auctoribus intelliguntur de solo possessore malae fidei, aut tamquam de *consilio* et non de praecepto[9].

Possessor *malae fidei* aut iniustus damnificator tenetur, domino manente ignoto, rem erogare pauperibus aut locis piis. Ita docent omnes theologi, quamvis de fundamento et ratione restitutionis non conveniant, alii hanc obligationem ex iure naturali, alii ex iure gentium, alii ex iure ecclesiastico deducentes[10]. Putamus, illam deduci ex utroque iure: ex iure quidem naturali, quia tum bono communi tum rectae rationi repugnat, ut malefactor (qualis est possessor malae fidei aut iniustus damnificator) ex sua malitia utilitatem reportet neve puniatur; ex iure autem ecclesiastico, quod semper cogit possessorem bona usuraria et simoniaca restituere[11]. — Si forte possessor malae fidei aut damnificator iniustus sit ipse pauper, ex sententia probabili complurium theologorum, rem vel saltem eius partem tamquam eleemosynam sibi retinere potest, cum non sit peioris conditionis quam alii pauperes. Ceterum in isto casu, quando debitor est ita pauper, versatur in impossibilitate morali restituendi et proinde excusatur, dummodo habeat propositum restituendi, quando sufficiens fortuna aderit.

Regula tertia. Si dominus est incertus aut dubius, 235
primum quidem inquisitio fieri debet et quidem ea diligentia, quae

---

[1] Huic opinioni videtur favere *S. Thomas* 4, dist. 15, q. 1, a. 5, q.[a] 4 ad 2. Cf. etiam *Billuart,* De iure et iust. diss. 8, a. 16.

[2] L. c. n. 589. [3] De praeceptis n. 503. [4] Synopsis Theol. mor. n. 555.

[5] Instit. mor. I, n. 999. [6] Moraltheol. II, n. 170. [7] Cf. *Billuart* l. c. a. 14, § 2.

[8] S. theol. 2, 2, q. 62, a. 5 ad 3.

[9] Cf. quae supra n. 49 dicta sunt de acquisitione rei inventae.

[10] Cf. *Vermeersch,* Quaest. de iust. n. 167.

[11] Cf. c. 5, X 5, 19; c. 16, X 5, 6. Hae leges ex iure consuetudinario ad omnia debita ex delicto extenduntur.

rei valori proportionatur. Dubio autem permanente distinguendum est: a) Si dominus dubius est inter *paucos*[1] (tres vel quattuor) debet res vel pretium eius inter illos dividi meliore quo potest fieri modo, neque licet dare rem pauperibus. b) Si dominus dubius est inter *multos* (et idem valet si *pauci* sunt veri domini dubii[2]), tunc restituendum est pauperibus. c) Si *plures* domini dubii sint et habitent in eodem loco, tunc iuxta S. Alphonsum[3] omnino restitutio facienda est pauperibus huius communitatis laesae, quia cum communitas illius loci sit laesa, illi quoque damnum resarciendum est. In magnis tamen urbibus, ubi cives facillime mutant domicilia, non videtur esse necessarium, ut restitutio fiat pauperibus eiusdem civitatis, sed fieri potest quibuslibet pauperibus. Hinc mercatores, qui compluribus et nunc ignotis emptoribus damnum intulerunt, adulterando merces aut diminuendo pondera et mensuras, possunt restituere, augendo pondus et mensuram vel diminuendo pretium mercium, si *iidem* emptores solent adhuc redire ad emporium; secus restituere tenentur pauperibus. Merito autem dicit Lehmkuhl[4]: «Quare censeo sine ullo scrupulo *statim* fieri posse restitutionem in pauperes vel in publicos fines pios et utiles ipsius loci, ubi fraudes commissae sunt; fieri etiam posse in *quoslibet* pauperes vel causas pias saltem sine peccato gravi, vel si adsit rationabilis causa, sine omni peccato.» — Rationes autem sunt *α)* mutatio continua civium in magnis urbibus; *β)* sat parva probabilitas restituendi hoc modo veris dominis laesis; *γ)* ardua difficultas ita restituendi paulatim per tempus nimis longum summam forsan magnam, quae multo facilius semel vel paucis vicibus potest erogari pauperibus.

236 Subnectitur hic quaestio: **Cui prius restituendum sit, seu quo ordine satisfaciendum sit creditoribus?**

1. Si debitor omnibus suis creditoribus satisfacere potest, in restituendo nullus ordo necessario est servandus.

2. Quodsi omnibus satisfieri nequit, tunc servanda est lex positiva in loco restitutionis vigens de cessione bonorum (vulgo *Konkursordnung*), saltem si cessio bonorum iam *iuridice* declarata est. Lex positiva solet distinguere inter debita privilegiata, hypothecaria et communia, atque determinat, quo ordine et qua proportione singula debita solvenda sint. Omnia ista statuta videntur obligare in conscientia. Ita communis modernorum theologorum sententia[5]. Unde si quis alio ordine solvat creditoribus, cum notabili damno aliorum, peccat graviter et tenetur aliis damnificatis restituere. Antequam vero cessio bonorum sit iuridice declarata, licet certo sit praevisa, sequenti ordine satisfaciendum est singulis creditoribus:

---

[1] E. g. aliquis abstulit bursam, quae pertinebat ad unam ex tribus personis, sed nescit ad quamnam.

[2] E. g. aliquis mercator uni vel paucis incolis alicuius urbis vendidit merces adulteratas.

[3] Theol. mor. l. 3, n. 589.

[4] Cas. consc. I, n. 746.

[5] Cf. *Göpfert*, Moraltheol. II, n. 171; *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, 1219; *Noldin*, De praeceptis n. 519.

a) Reddenda sunt bona, quae nondum in proprietatem debitoris transierunt, e. g. commodata, deposita.

b) Satisfaciendum est creditoribus *pauperibus*. Ita ex caritate.

c) Creditoribus tempore prioribus aut prius petentibus. Nihilominus, iusta exsistente causa, debitores impares ad satisfaciendum omnibus creditoribus non sunt inquietandi, si redditis prius illis bonis, quae nondum in eorum proprietatem transierunt, non observant ordinem hic indicatum et potius uni creditori quam alii satisfaciunt. Immo possunt aliquem creditorem monere, ut solutionem debiti petat. Quandoque tamen leges positivae irritas declarant solutiones factas *brevi tempore* ante iuridicam cessionem bonorum. Quae quidem leges, utpote valde rationabiles et iustae, videntur obligare in conscientia. Unde si quis creditor clam notabilem summam contra statuta istarum legum acceperit a debitore impari ad satisfaciendum omnibus creditoribus, tenetur ad restituendam rem acceptam. — Diversas theologorum sententias in hac quaestione videsis apud S. Alphonsum [1].

§ 2.

Quo tempore sit restituendum.

Principium. *Restitutio debita facienda est, quam primum fieri* 237
potest, moraliter loquendo [2].

Ratio est, quia rem alienam non licet retinere, domino rationabiliter invito. Porro dominus est rationabiliter invitus, quod alienus possessor diutius retinet rem, quam potest hic et nunc restituere. Hinc grave peccatum est, sine causa differre per *notabile tempus* restitutionem materiae gravis. Secus autem si dilatio est modica. Quid sit notabile tempus, non potest certo determinari. Si ex dilatione iniusta oriatur legitimo domino notabile damnum, e. g. periculum sortis aut lucrum seu foenus cessans, tunc videtur esse grave peccatum.

Qui vero *ex iusta causa* differt restitutionem, non peccat quidem; tenetur tamen tunc reficere totum damnum, quod creditorem inde passurum esse praevidet. Ita saltem si obligatio restitutionis orta est *ex delicto* [3].

Qui voluntatem habet non restituendi eamque non revocat, unum tantum peccatum committit, licet ad obligationem restituendi saepius attendat; attamen hoc peccatum aggravatur, quo longius istud pravum propositum perdurat.

Confessarius insistere debet, ut restitutio fiat, quantocius moraliter sit possibile, et praesertim ne permittat, ut restitutio differatur usque ad mortem. Insuper urgeat, ut saltem partialis fiat restitutio, si totalis est impossibilis.

§ 3.

Quo loco sit restituendum.

1. Possessor *bonae fidei* satisfacit obligationi restituendi rem ex errore 238
possessam, si in loco possessionis tradit rem liberae dispositioni legitimi proprietarii.

Ergo sufficit, ut proprietarium certiorem faciat de exsistentia suae rei, atque non tenetur ad expensas vel pericula transmissionis subeunda. Ratio

---

[1] Theol. mor. l. 3, n. 691—694.
[2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 62, a. 8.
[3] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 680.

est, quia possessor bonae fidei sine culpa rem alienam possedit, neque tenetur pati ullum damnum ex ista possessione inculpabili.

2. Possessor vero *malae fidei* vel iniustus damnificator debet rem restituere suis sumptibus in loco, ubi dominus eam habiturus esset, si ea non fuisset ablata, deductis tamen expensis, quas dominus etiam ipse fecisset asportando[1].

Ratio est, quia damnificator et possessor malae fidei debent reparare *totum* damnum, quod dominus passus est. Sin autem res ipsa ablata non potest transmitti sine magnis expensis, sufficit mittere pretium rei. — Si res restituenda casu vel culpa tertii perierit in transmissione, antequam ad dominum pervenit, possessor bonae fidei ad nihil tenetur, quia res perit domino; possessor vero malae fidei et iniustus damnificator non liberantur a sua obligatione, sed iterum curare debent, ut legitimus dominus reddatur indemnis. Sane si dominus ipse designasset modum transmissionis, tunc in casu iacturae dominus et non possessor malae fidei deberet damnum pati.

239 **Scholion. De restitutione facta ope confessarii.** «Multi probabiliter censent, a nova restitutione immunem esse, qui pecuniam restituendam confessario tradidit, apud quem casu vel culpa tertii periit; nam confessarius haberi potest ut nuntius ex praesumpto creditoris consensu electus, cum saepe restitutio alia via tuto fieri non possit absque infamiae periculo, et aliunde confessarius sit ex officio nuntius fide dignus. — Unde in praxi, qui hoc modo restituit, et putat se officio suo iam satisfecisse, ad novam restitutionem non est cogendus.» Ita Tanquerey[2]. Hanc sententiam tuentur etiam Lessius, Sporer, Tamburini et recenter Frassinetti, Lehmkuhl[3] et Noldin[4]. Non equidem nego probabilitatem istius opinionis, sed in praxi fere semper alio modo est procedendum. Casu, quo bonum restituendum hoc modo *sine ulla culpa tum confessarii tum debitoris* periit, confessarius valens probare hoc infortunium, melius petat a creditore *condonationem*, quae in istis circumstantiis non ita difficulter obtineri poterit. — S. Alphonsus ponit quaestionem: Si confessarius furi imposuerit, ut rem ablatam distribuat inter pauperes pro anima domini, non obstante, quod dominus sit certus et notus, satisfecitne fur obligationi restitutionis? Merito respondit negative, quia nullo modo potest praesumi haec intentio domini. Debet igitur iterum fieri restitutio sive a fure sive a confessario, qui tam falsum consilium dedit. Nihilominus confessarius subsequens, qui rem a fure comperit, potest illum in bona fide relinquere, si ex monitione timet grave incommodum oriturum.

§ 4.

Quomodo sit restituendum.

240 **Principium.** *Generatim requiritur et sufficit, ut restitutio eo modo fiat, quo iustitia violata ad aequalitatem reparatur.*

Patet ex notione iustitiae commutativae et restitutionis.

---

[1] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 8, a. 16.

[2] Synopsis Theol. mor. n. 559. [3] Theol. mor. I, 1225.

[4] De praeceptis n. 501. Optime hanc quaestionem tractat *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 3, n. 704) vocans sententiam oppositam communem et tenendam. Sed in haec verba concludit: «Olim primam sententiam [i. e. illam, quae supra exposita est] vere probabilem

Corollaria. a) Restitutio potest fieri *secreto,* quin dominus hoc animadvertat, e. g. clam augendo pondus mercium.

b) Potest fieri sub specie *donationis.* Si tamen tunc creditor hac donatione motus, aliud donum debitori rependerit, curandum est, ut sequentibus donis aut oblationibus tandem aliquando aequalitas iustitiae violatae reparetur. Quando autem quis debiti immemor aliquid gratuito creditori donaverit, nihilominus istud donum potest computari pro sua obligatione iustitiae satisfacienda. Ita sententia probabilior. Ratio est, quia in omni liberali praestatione quisque praesumitur prius velle satisfacere obligationibus iustitiae. Huic sententiae videtur favere S. Alphonsus, in longum disputans de hac quaestione, licet oppositam sententiam vocet communiorem et valde probabilem [1]. Unde in praxi non est urgenda adhuc restitutio, si iam gratuitis donis creditori totum debitum solutum est. Immo, quando legitimus dominus est ignotus et proinde restitutio facienda est pauperibus, tunc pro restitutione computari potest magna pars eleemosynarum *post* (non autem ante) contractam obligationem restituendi factarum.

Quomodo restituendum sit fisco aut iuridicis societatibus, iam dictum est supra n. 230.

ARTICULUS IV.

De causis a restitutione excusantibus.

Distinguuntur causae *eximentes* absolute ab omni restitutione et causae *excusantes ad tempus.*

§ 1.

De causis eximentibus.

Causae eximentes possunt enumerari quinque: *condonatio, com-* 241
pensatio, praescriptio, compositio et *necessitas extrema.*

Condonatio creditoris expressa aut tacita aut etiam praesumpta a restitutione eximit. Requiritur autem, ut condonatio expressa sit a) omnino libera, i. e. ab omni errore, fraude, vi et metu immunis; b) facta ab eo, qui habet potestatem condonandi tum iuxta ius naturale, tum iuxta ius positivum. Hinc e. g. condonatio expressa est invalida, si creditor decipitur circa quantitatem debiti, putans illud esse multo minus quam revera est; pariter si debitor se falso fingit miserum et pauperrimum ad misericordiam creditoris excitandam; pariter si uxor condonat restitutionem faciendam bonis mariti etc. — Aliquando confessarius potest prudenter nomine poenitentis petere condonationem expressam a creditore, si poenitenti est revera durissimum facere restitutionem. Attamen confessarius sit valde cautus, ne sigillum confessionale laedatur neve ipsimet magna incommoda ex tali petitione enascantur!

---

censebam; sed ex rationibus mox allatis melius postea perpensis, de illius probabilitate valde dubito. — At, quia Lessius et Sporer cum Tamburinio non audent primam opinionem damnare, nec ipse audeo.»

[1] L. c. n. 700.

Condonatio *tacita* aut *praesumpta* censetur adesse, quando prudenter iudicari potest, creditorem, si convenienti modo rogaretur a debitore vel a confessario nomine debitoris, esse libenter remissurum debitum, e. g. in furtis filiorum familias, saltem si res ablata iam non exsistit; parentes enim ordinarie non tam inviti sunt propter ipsam rem ablatam, quam propter furtivum modum ablationis. Pariter condonatio mariti potest aliquando praesumi in furtis uxoris, dummodo facta sint pro expensis rationabilibus. Pariter in furtis minutis, quae a famulis facta sunt in esculentis aliisque rebus eorum cura commissis. Pariter in furtis minutis (quae non coaluerunt ad gravem materiam infra breve tempus), quae ab operariis committuntur, e. g. asportando parvas res, ut lignum, metallum, pannum etc., dominus non est multum invitus, quia non patitur magnum damnum. Proinde post factum condonatio potest praesumi. Nihilominus operarii deterrendi sunt ab huiusmodi furtulis, tum propter pravum exemplum respectu aliorum sodalium, tum propter periculum paulatim perveniendi ad materiam gravem.

Compensatio habetur, quando creditor vel ab ipso debitore vel ab eiusdem debitoribus exegerit illa, ad quae ius habuit. E. g. Petrus debet Paulo 100 francos, Andreas debet Petro 100 francos. Paulus, qui non potest obtinere summam 100 francorum a Petro, exigit illam (cum auctoritate legis civilis) ab Andrea illamque obtinet. Ambo debita nunc exstincta sunt. In praxi observanda sunt statuta legis civilis circa hanc rem.

Praescriptio exstinguit post legitimum tempus debitum possessoris bonae fidei, sed numquam potest liberare a restitutionis obligatione possessorem malae fidei, quia deest conditio necessaria, scil. *bona fides.*

242 **Compositio,** quae est debiti remissio auctoritate Summi Pontificis facta, locum habere potest tantum a) in bonis ecclesiasticis et b) in bonis, quae debentur incertis dominis. Cum Summus Pontifex habeat dominium (saltem altum) omnium bonorum ecclesiasticorum, potest ex iusta causa propter bonum commune condonare tum guberniis civilibus, tum personis singularibus bona ecclesiastica usurpata aut alio illegitimo modo acquisita. *Guberniis civilibus* multoties condonata sunt bona ecclesiastica usurpata. Sic e. g. gubernio *Galliae* condonata sunt omnia bona ecclesiastica occupata usque ad 15 Iulii 1801. Fideles autem, qui haec bona usque *ad id tempus* usurpata emerunt aliove titulo acquisiverunt, licet haec acquisitio facta fuerit post diem 15 Iulii 1801, possunt illa iure ac pacifice retinere[1]. Hoc etiam constat ex litteris Pii VII ad episc. Pictaviensem a. 1822 directis. Bona autem ecclesiastica in ultima persecutione Gallica usurpata nondum sunt condonata. — Pro *Belgio* condonatio facta est die 16 Dec. 1833 quoad omnia bona usurpata a gubernio. — Pro *Regno Borussico* condonatio facta est die 7 Febr. 1894 de omnibus bonis, quae usque ad finem *anni 1824* saecularizata sunt

[1] Cf. responsio S. Poenit. 20 Martii 1848.

et de praesenti a privatis tamquam propria possidentur vel in posterum possidebuntur[1]. — Pro *Italia* concessa est episcopis facultas faciendi compositionem, si bona ecclesiastica occupata non excedant valorem 30000 francorum[2]. — Quomodo agendum sit cum *hominibus privatis*, qui bona ecclesiastica usurpata a gubernio civili emerunt aut alio titulo acquisiverunt, non potest una regula generali determinari. Videnda sunt statuta emanata pro singulis regionibus. Quodsi aliquod dubium remaneat, recurrendum est ad S. Poenitentiariam. — Si agitur non de bonis ecclesiasticis, sed de bonis ad incertum dominum pertinentibus atque ideo erogandis in pauperes aut in causas pias, communiter theologi docent, Summum Pontificem posse concedere compositionem, quia ista erogatio praescripta aliquo modo pertinet ad bona ecclesiastica et subiacet iurisdictioni Summi Pontificis, qui potest dispensare in omnibus, quae non adversantur legi naturali aut divinae. Porro nemo dicet, compositionem, quando legitimus dominus inveniri nequit, adversari legi naturali aut divinae. Hanc autem compositionem Summus Pontifex solet ita facere, ut aliquam partem debiti causis piis aut pauperibus applicandam decernat, reliquam partem vero remittat, ac tandem fructum, qui ignoto domino ex elargitione bonorum ablatorum provenisset, ex thesauro Ecclesiae suppleat. Ad obtinendam istam compositionem, recurrendum est ad S. Poenitentiariam. In Hispania, ubi bulla «Cruciada» adhuc in usu est, speciales facultates hac de re habentur. — Quid autem faciendum est, si casu inopinato, postquam debitum restituendum in pauperes aut causas pias erogatum fuerit, verus dominus appareat? In isto casu adhiberi potest praescriptio, quae praesertim in rebus mobilibus non requirit longum tempus iuxta iura moderna. Quodsi tempus legaliter determinatum nondum elapsum fuerit, nihilominus debitor non tenetur restituere illud, quod iam elargitus est bona fide pauperibus aut causis piis[3]; immo iuxta plures theologos nec etiam id, quod Summus Pontifex condonavit.

Extrema aut quasi extrema necessitas excusat, immo et eximit ab omni obligatione restituendi, quando nulla spes apparet illam pellendi. Tunc enim restitutio est moraliter impossibilis. Ad impossibile autem nemo tenetur.

§ 2.

De causis excusantibus ad tempus.

Causae excusantes ad tempus a restitutione praecipue sunt *impotentia temporanea* et *cessio bonorum*. 243

Impotentia temporanea est vel *physica* vel *moralis*. Prior adest, quando debitor nihil habet, ex quo restituere potest, e. g. aliquis

---

[1] Cf. *Vogt*, Kirchenvermögensrecht § 20.

[2] Cf. card. *Genarri*, Consultazioni morali canoniche-liturgiche Cons. I, 17—54.

[3] Cf. *Tanquerey*, De iust. n. 610.

combussit domum alterius, et propter hoc crimen detruditur in carcerem per decem annos. Cum nulla bona possideat neque nova bona acquirere possit tempore incarcerationis, versatur in impossibilitate physica restituendi, ac proinde excusatur, saltem ad tempus.

Impotentia *moralis* adest, quando ex restitutione debitori aut etiam personae tertiae grave damnum oriretur. Damnum autem istud oriturum debet esse multo *gravius* quam illud, quod oritur creditori ex restitutione omissa. Patet per se, quia creditor rationabiliter exigit bona sua, quibus carere non potest sine gravi damno. Si tamen debitor restituendo cadat in extremam necessitatem, non obligatur ad restitutionem, etsi creditor ex restitutione omissa versetur in necessitate gravi.

Corollaria. 1. Si debitor restituendo decideret a *statu suo* iuste acquisito, e. g. mercatoris ad statum famuli, potest restitutionem differre; debet tamen diligentius laborare atque expensas diminuere, ut quamprimum restituere valeat.

2. Si debitor statim restituendo pateretur notabile damnum, quod probabiliter evitaretur per restitutionem dilatam, excusatur ad tempus, e. g. negotiator obligatus ad restitutionem non tenetur nunc vendere merces minore pretio ad habendam pecuniam pro restitutione facienda, si spes adest pretium mercium mox aucturum esse. Pariter opifex non tenetur vendere instrumenta sua necessaria, ut debita sua solvat.

3. Si restitutio fieri nequit sine damno *in bonis altioris ordinis*, e. g. sine periculo famae et honoris. Qua occasione quaeritur, utrum gravatus aere alieno possit religionem intrare, antequam restituerit? Respondendum est cum distinctione multiplici: a) Si infra *breve tempus* valet satisfacere obligationi restituendi, tenetur omnino ingressum in religionem differre usque post restitutionem factam. b) Si nulla fundata spes adest, ut restitutio fieri possit infra plures annos, videndum est, num creditor sit *notus* et num ille cognoscat vel probabiliter cogniturus sit debitorem. In isto casu debitor non potest ingredi in religionem, tum quia Clemens VIII [1] graviter prohibuit, ne recipiantur in religione illi, qui sunt gravati aere alieno; tum quia propter iura civilia possunt facile oriri maxima incommoda et scandala pro religione et pro Ecclesia catholica. Sin autem creditor est *ignotus* neque ullum periculum adest, ut postea debitor detegatur, tunc videtur ingressus in religionem licitus [2]. Ratio est, quia iste homo secus pateretur magnum damnum spirituale propter omissum ingressum in religionem, et praeterea etiam post plures annos incapax erit ad restituendum. Creditor autem non patitur magnum damnum, si restitutio omittatur. Demum non possunt oriri, ut supponitur, incommoda et scandala pro religione. Si quis autem habens obligationem restitutionis subdole religionem ingressus et professus esset, professio esset valida, sed religio non teneretur solvere debita contracta a subdito suo. Religiosus autem obligaretur ad satisfaciendum creditoribus meliore quo potest modo.

244 **Cessio bonorum** dicitur ille actus, quo debitor impar solvendi omnibus creditoribus, bona sua cedit, ut creditores saltem secundum aliqualem proportionem recipiant pecuniam illis debitam.

---

[1] Const. «In suprema» 2 Apr. 1602.

[2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 189, a. 6 ad 3.

Duplex distinguitur cessio bonorum: *iudiciaria* et *extraiudiciaria*. Cessio iudiciaria habetur, quando vel ipse debitor (cessio iudiciaria stricte dicta) vel aliquis eius creditor (cessio necessaria) iudici denuntiat debitoris impotentiam solvendi. Cessio vero extraiudiciaria est cessio bonorum oblata a debitore insolvente et sponte acceptata a creditoribus. Haec cessio extraiudiciaria solet locum habere, quando debitor sine omni culpa ex mero infortunio in angustias solvendi redactus spem praebet, se postea soluturum esse, vel etiam in casu, quo per cessionem iudiciariam creditores etiam maiora damna paterentur. Cessio tum iudiciaria tum extraiudiciaria potest ex parte debitoris esse aut culpabilis vel fraudulenta aut inculpabilis.

Principium 1. *Statuta iurium civilium in iudiciaria cessione* 245
bonorum ordinarie videntur obligare in conscientia, ita ut laesio eorum facile inducat obligationem restitutionis.

Ita sententia communis. Ratio autem est, quia illa statuta sunt iustae determinationes iuris naturalis salvantes meliore quo potest modo iura singulorum creditorum et vitantes nimiam duritiem erga debitorem. Ideo non licet clam subducere bona debitoris neque inire contractus, facere donationes etc. prohibitas a lege civili.

Principium 2. *Debitor cedens bonis suis iure tum naturali tum* 246
positivo potest sibi retinere ea bona, quae sunt prorsus necessaria ad honestam et humilem sustentationem, immo et ea bona, quae sunt necessaria media ad inchoandum novum parvum commercium. Idem valet de uxore et filiis istius debitoris.

Ratio autem est, quia unusquisque ius habet ad convenientem sustentationem, cum nemo teneatur mendicare [1].

Principium 3. *Omnis cessio bonorum per se non exstinguit in* 247
conscientia obligationem restitutionis, sed tantum ad tempus suspendit.

Ratio est, quia creditores nonnisi coacte consentiunt ad recipiendum solummodo partem bonorum ipsis debitorum. Proinde si debitor postea iterum potens erit ad restituendum, ordinarie tenetur omnes creditores indemnes reddere [2]. Dico autem: *ordinarie* tenetur. Etenim casu, quo leges civiles alicuius regionis non solum non amplius admittunt actionem iudicialem creditorum, verum etiam debitorem reddunt prorsus immunem ab omni futura obligatione restituendi et solvendi, creditores censentur consentire his legibus et renuntiare iuribus suis. Tales esse leges Angliae contendit Crolly [3]. Leges autem civiles posse exstingere omnem obligationem solvendi debita videtur certum, cum hoc sit aliquando valde utile pro diligentia in commercio adhibenda. Omnes autem theologi docent, obligationem restitutionis semper remanere, quando cessio bonorum facta fuit *fraudulenter* aut cum gravi culpa propter negligentiam in administrandis bonis.

---

[1] Cf. *Billuart*, De iure et iust. diss. 8, a. 20. [2] Cf. ib.
[3] De iure et iust. III, n. 1232.

QUAESTIO IV.

De contractibus.

248 **Praenotamen.** Ut ex supra n. 39 dictis patet, contractus est principalior modus acquirendi dominium, et originem ducit ex ipsa natura societatis humanae. Homo enim utpote animal sociale suam felicitatem nequit acquirere sine auxilio aliorum hominum. Unde nullus homo vere dicere potest, seipsum esse sibi sufficientem atque se nemine alio indigere. Econtra unusquisque necessario debet aliquando petere alterius hominis adiutorium. In statu naturae lapsae solum *caritatis* praeceptum non sufficit, ut adiutorium petitum semper concedatur; unde aliud medium addendum fuit, ut omnibus necessitatibus sufficienter provideatur; quod quidem medium sunt contractus, quibus opera et res aliorum sub certis conditionibus in nostram utilitatem cedunt. Sic e. g. pauper eget cibis; cum autem non habeat pecuniam, debet inire contractum laboris ad pecuniam acquirendam. Habita pecunia init contractum emptionis et venditionis ad cibos comparandos. Etiam ditissimus quisque eget contractu emptionis ad sibi procuranda multa necessaria vitae. Ab ipso ergo iure naturae repetenda est contractuum origo, supposita tamen divisione bonorum. Nam si omnia bona essent prorsus communia, iam superflui essent contractus, quippe quorum principalis effectus sit transferre dominium alicuius rei determinatae ab uno homine in alium. Iura positiva diversos contractus conditionesque illorum magis determinaverunt.

Tractatus de contractibus est longissimus, cum sint fere innumerae species contractuum et quam plurima legum positivarum statuta, quae videntur obligare in conscientia. Confessario autem neque necessarium neque possibile est scire omnia ista statuta ad legitimitatem singulorum contractuum lata. Propterea brevitati studentes dividimus totum istum tractatum in dua capita: 1. de contractibus in genere; 2. de praecipuis contractibus in specie.

CAPUT I.

De contractibus in genere.

Tractamus 1. de notione et divisione contractuum; 2. de requisitis ad contractum; 3. de effectu seu de obligatione contractus.

ARTICULUS I.

De notione et divisione contractuum.

249 **Notio.** *Contractus est duorum pluriumve in idem placitum consensus signo sensibili manifestatus, pariens obligationem saltem in uno contrahentium;* vel breviter iuxta Ius Romanum: «est pactio duorum pluriumve in idem placitum (et) consensus.» [1]

Dicitur 1°: *consensus,* quia sine consensu nullus est contractus, sicut filius non est sine patre. Consensus est causa tum efficiens tum formalis contractus, ut praesertim pro contractu matrimoniali est notatu dignum.

---

[1] L. 1, § 2, D. de pactis 2, 14.

Dicitur 2°: *duorum pluriumve in idem placitum,* ad significandum subiectum contractus, qui non potest exsistere nisi saltem duo in idem placitum, i. e. cognitum consentiant.

Dicitur 3°: *signo sensibili manifestatus,* quia interior consensus nondum inducit obligationem, nisi sit alteri contrahenti manifestatus aliquo signo sensibili.

Dicitur 4°: *pariens obligationem saltem in uno contrahentium.* Contractus enim est a) promissio data et acceptata; iamvero talis promissio parit obligationem, saltem unilateralem (immo bilateralem, si fuerit mutua seu reciproca); b) est privata lex, quam quis sibi voluntarie imponit et quae confirmatur iure tum civili tum naturali[1].

Duplex est fons, ex quo ius contrahendi emanat: 1. ex iure naturali, quia societas humana non potest convenienter salvari, nisi adsit facultas libera ineundi contractus, et 2. ex iure humano, quod diversos contrahendi modos constituit et regit, ita ut omnia ex iustitia et aequitate componantur.

Divisiones. Inter multiplices contractuum divisiones sequentes 250
nobis videntur pro usu confessarii magis necessariae:

1. Contractus formalis seu *expressus* et virtualis seu *tacitus.* Prior est ille, qui fit verbis, scriptis aliisque signis formaliter consensum contrahentis manifestantibus. Posterior vero est ille, qui habetur implicite in susceptione alicuius officii aut muneris; e. g. medicus exercens suam artem facit contractum implicitum agendi ea omnia, quae eius professio requirit. Contractus tacitus solet vocari *quasi-contractus.*

2. Contractus *nominatus* et *innominatus.* Nominatus habet speciale nomen, ut emptio, locatio etc.; innominatus vero caret in iure nomine proprio, et est quadruplex: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Adverte tamen, id quod datur aut redditur in contractu innominato, ordinarie non posse esse *pecuniam;* alias foret contractus nominatus. In contractibus innominatis non habetur stricta obligatio iustitiae, sed potius convenientiae; e. g. dono tibi librum meum, habens tacitam intentionem, ut tu mihi etiam quid dones.

Veteres auctores solebant contractum nominatum subdividere in illum, qui est in utilitatem *utriusque* contrahentis, et in illum, qui est in utilitatem *unius* tantum. Primi generis sunt novem: emptio, cui opponitur venditio, locatio, conductio, census, cambium, emphyteusis, feudum et assecuratio. — Secundi generis contractus sunt: mutuum, commodatum, precarium, pignus, hypotheca, fideiussio, depositum. — Nostris temporibus mutuum et hypotheca iam in utilitatem utriusque contrahentis vergunt, cum non soleant concedi sine foenere.

3. Contractus *unilateralis* et *bilateralis* seu synallagmaticus. Prior causat obligationem ex una tantum parte contrahentium, e. g. contractus promissionis gratuitae. Posterior vero habetur, quando stricta obligatio

---

[1] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 1, a. 1.

oritur ex *utraque* parte contrahentium, e. g. emptio, locatio etc. — Contractus bilateralis solet subdividi in commutatorium et aleatorium. Contractus *commutatorius*, qui et *certi eventus* solet vocari, est ille, in quo aliquid dandum aut faciendum est independenter a fortuito eventu, e. g. emptio, venditio. Contractus vero *aleatorius*[1] est ille, in quo aliquid promittitur aut datur tantum sub eventu fortuito, e. g. in ludo, sponsione, assecuratione.

4. Contractus *gratuitus* et *onerosus*. Gratuitus cedit in utilitatem unius contrahentis solum, e. g. donatio; onerosus imponit onus utrique contrahenti, e. g. venditio, in qua unus tenetur mercem tradere et alter pretium.

5. Contractus *principalis* et *accessorius*. Principalis non dependet ex alio contractu, e. g. libera venditio. Accessorius seu subsidiarius pendet ex alio contractu eumque corroborat, e. g. hypotheca.

6. Contractus *sollemnis* et *simplex*. Prior observat omnes formalitates a iure positivo praescriptas, e. g. testamentum initum coram notario. Alter observat tantum conditiones iuris naturalis, e. g. testamentum informe, sed clare exprimens voluntatem testatoris.

7. Contractus *vestitus* et *nudus*. Contractus sollemnis fere idem est ac contractus vestitus, cuius exsecutio a iudice civili cogitur, quia est initus iuxta legem civilem. Contractus vero simplex idem est quod contractus nudus, qui quidem inducit obligationem naturalem, sed non agnoscitur a iure positivo.

8. Contractus *purus* (seu absolutus) et *conditionatus*, prout nulla vel aliqua conditio aut modificatio apponitur contractui.

9. Contractus *consensualis*, *verbalis*, *litteralis* et *realis*. Haec distinctio celeberrima fuit in antiquo Iure Romano et etiam in quibusdam codicibus modernis habetur. Contractus consensualis perficitur in sola manifestatione consensus, sive hoc fiat iuxta formalitates a lege positiva praescriptas (contractus sollemnis) sive absque illis (contractus simplex). Contractus verbalis est idem ac *stipulatio*, et exigit determinatam formam verborum. Contractus litteralis requirit ad validitatem, quod sit scripto exaratus. Huiusmodi est contractus sponsalitius iuxta decretum «Ne temere». Contractus demum realis est ille, qui solummodo traditione rei perficitur, qualis est mutuum, pignus, depositum.

251 **Scholion. De legis civilis valore in contractibus.** Cum societatis humanae maximopere intersit, ut omnes contractus rite ineantur, leges civiles omnium nationum multa statuerunt de modis contractuum. Hinc oritur quaestio sane momentosa, quousque ista statuta iuris civilis obligent in conscientia. Certum est quidem competere auctoritati civili potestatem irritandi ex rationabili causa subditorum actus, qui secus non essent invalidi ex iure naturali. Etenim huiusmodi potestas necessaria est ad efficacem societatis directionem. Unde etiam communissime auctores tribuunt principi civili potestatem statuendi impedimenta dirimentia in matrimoniis *non-baptizatorum*[2].

---

[1] *Glücksvertrag.* [2] Cf. infra in tractatu de matrimonio.

Irritatio autem contractuum iure naturali validorum potest a lege civili fieri duplici modo; nempe 1. directe attingendo personam *agentem*, vel 2. magis directe attingendo *actum ipsum*. Priore modo agentis voluntas inefficax redditur sive *absolute*[1] sive *relative*[2]. Ita iuxta legem Germanicam absolute impotens ad quemcumque contractum est ille, qui e. g. ita declaratus fuit iuridice propter defectum mentis[3]. Iuxta vero legem Gallicam minorennis, qui 16 annos non expleverit, absolute impotens est ad disponendum de bonis suis per donationem aut testamentum[4]. — Ipsum actum contractus attingunt plura civilia statuta de formalitatibus praescriptis, e. g. in venditione immobilium, in testamento condendo etc. Num autem istae formalitates praescriptae ita afficiant actum, ut sine illis invalidus sit etiam in conscientia, est ardua quaestio, quae non potest regula generali resolvi et quae in singulis casibus dependet a mente legislatoris. Porro ista mens est saepe dubia. Cum enim legislatores habeant non tantum subditos catholicos, sed etiam infideles haud multum curantes de obligationibus fori interni, generatim abstrahunt ab obligatione conscientiae. Nihilominus melius videtur, si tunc legibus civilibus tribuatur obligatio in conscientia quoque, nisi legislator expresse determinet, actum esse tantum *rescindibilem*, vel solummodo non agnosci in foro publico. Ratio est, quia non potest sufficienter consuli bono communi nec prospici indemnitati infirmorum, quando legibus contractum irritantibus nulla alia tribuitur obligatio in conscientia, nisi post sententiam iudicis. Etenim tunc leges illae prodessent malis et obessent bonis; boni namque, qui conscientiae vocem audiunt, eis non uterentur contra alios; mali econtra, qui soli foro externo attendunt, iis uterentur, quoties ipsis faverent. — Praeterea ex tali divortio inter forum internum et externum praeberetur occasio multorum peccatorum atque rixarum, quia alii usurparent sibi bona iuxta ius civile, alii se compensarent occulte iuxta ius naturale. Exemplum classicum difficultatum fere insolubilium praebet sic dictum testamentum informe, quod iuxta legem naturalem est validum, iuxta legem vero civilem est invalidum[5]. Demum accedit, quod confessario non tantum magna dubia, sed etiam dirae persecutiones oriri possunt, si in hac materia denegat legi civili omnem obligationem in conscientia ante sententiam iudicis. Quae cum ita sint, confessarius agit prudentius et verius, si in materia contractuum inculcat observantiam legum civilium.

ARTICULUS II.

De requisitis ad contractum.

Quattuor essentialiter requiruntur: 1. materia apta; 2. persona capax; 3. consensus legitimus; 4. forma conveniens.

§ 1.

De re apta.

1. *Materia apta.* Cum contractus sit modus acquirendi aut trans- 252
ferendi dominium, ut supra dictum est, quidquid cadit sub dominio,

[1] *geschäftsunfähig* [2] *geschäftsbeschränkt.*
[3] Cod. civ. Germ. § 104. [4] Cod. civ. Gall. a. 903.
[5] Cf. infra n. 277.

potest esse materia contractus. Cum autem dominium de re aut actione aliqua possit limitari, eatenus limitatur etiam facultas contrahendi. Conditiones requisitae, ut aliqua res aut actio possit esse materia contractus, enumerantur sequentes: possibilis, exsistens, propria contrahentis, pretio aestimabilis, licita et honesta.

a) *Possibilis* tum physice, tum moralis. Quia ad impossibile nemo se obligare potest. Unde si res est *physice* impossibilis, contractus est nullus (e. g. aliquis vendidit suum determinatum et unicum equum, sed ille equus subito fulgure percussus moritur). Sin autem res est *moraliter* impossibilis, i. e. maxime difficilis, contractus non valet, nisi expresse stipulatum fuit, in quocumque eventu rem esse praestandam. — Si materia contractus est *divisibilis* et tota praestari nequit, manet obligatio praestandi partem possibilem; nisi ex mente contrahentium constet, eos vel ad totum vel ad nihil se obligare voluisse. Qui propria culpa efficit, ut materia contractus impossibilis reddatur, e. g. architectus, qui ex incuria culpabili non finit aedificium tempore statuto, tenetur resarcire damnum exinde alteri contrahenti ortum.

b) *Exsistens* in re aut saltem in spe. Ratio est, quia non potest ius transferri in rem, quae non exsistit nec umquam exstitura speratur. In speculationibus Bursae nonnumquam magnae iniustitiae committuntur, quando res quaedam venduntur tamquam exsistentes, quae tamen aut omnino non aut nonnisi in spe exsistunt[1].

c) *Propria contrahentis.* Nemo enim in alium transferre potest ius, quod ipse nullo modo habet. Hinc invalida est venditio, quam fur facit de re aliena iniuste ablata. Si quis vero rem habet propriam in spe, potest hanc spem vendere, nisi tamen leges positivae talem contractum irritent. — Quando aliquid iam alteri debetur ex *iustitia,* non potest de eodem cum eodem iterum contrahi. Sic e. g. iudex non potest contractum inire ad accipiendum aliquid pro ferenda sententia iusta. Haec enim obligatio iam adest ex suscepto officio; ergo non potest libere de illa disponere; quod si nihilominus disponit, agit de re iam non sua. Dico autem: cum *eodem,* quia cum tertia persona, cui nihil ex iustitia debetur, potest iterum contrahere. E. g. aliquis conductus a Petro, ut nuntium afferat Romam, potest a Paulo exigere pecuniam, ut aliquod eiusdem negotium Romae peragat, quia etiamsi Petrus solverit totas expensas itineris et debitum salarium, tamen Paulus nullum ius inde acquirit, ut mandatarius Petri sibi aliquid negotium procuret. — Si quid vero debetur ex *caritate,* aut ex alia virtute, contractus de hac re factus est validus, sed illicitus, e. g. ostendere erranti rectum iter est actus caritatis; si quis autem pro hoc servitio (sine labore praestito) pecuniam exigat, peccat contra iustitiam[2].

d) *Pretio aestimabilis.* Quod quidem praesertim locum habet 1. in rebus spiritualibus, quae non possunt vendi pretio temporali (licet autem permutare unam rem spiritualem cum alia, e. g. dicere pro alio

---

[1] E. g. *Termingeschäfte.* [2] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 1, a. 9.

rosarium cum pacto, ut alius dicat Missam); 2. in contractibus de re turpi; quia enim actus turpis non potest pretio aestimari, hinc omnes contractus de re illicita sunt inde ab initio invalidi (cf. infra).

e) *Honesta et licita.* Nemo enim potest se obligare ad aliquid 253
malum, nec postulare ut res illicita fiat. Hinc omnes auctores docent contractum de re turpi, *antequam* opus patratum fuerit, esse nullum, ideoque neutrum contrahentium teneri ad implendum opus stipulatum; immo utrumque teneri ad recedendum a contractu inito. Sed magna inter theologos controversia exsistit, num *post opus malum patratum* alter contrahens teneatur pretium stipulatum solvere. Certum est, meretrices posse retinere, immo et exigere suum turpe lucrum post fornicationem admissam. Ita expresse docet S. Thomas cum sententia communissima[1] et apparet etiam ex responsione S. Poenitentiariae d. 22 April. 1822. Dubium: «Meretrix, quae magnam pecuniae summam obtinuit, concedendo usum sui corporis variis amatoribus, nuperrime conversa est. Numquid tenetur restituere omne pretium suorum criminum, vel partem tantum, aut illud impendere in piis operibus? Et si ad alterutrum teneatur, numquid ex stricta iustitia, vel ex consilio tantum? N. B. haec meretrix, restitutione facta, non ad summam paupertatem reduceretur.» Responsum est: «Mulier poenitens non cogenda est, sed hortanda, ut pretium meretricium, iuxta prudentis confessarii iudicium, eroget in pios usus.» — Pro aliis autem illicitis actionibus[2], Comitolus[3], Collet[4], Gousset[5], Carrière[6], Tanquerey[7] negant validitatem contractus turpis etiam *post* opus malum patratum. Etenim ille contractus ante operis impletionem fuit invalidus. Ergo etiam opere completo remanet invalidus, cum ex Regula iuris 18: «Non formatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit.» — Communior autem sententia, quam certe tenent S. Thomas[8] et S. Bonaventura, S. Antoninus, S. Alphonsus[9] atque quam plurimi antiqui et moderni auctores, docet: «Contractus sub conditione operis turpis, sive repugnantis iustitiae sive alteri virtuti, sive

[1] S. theol. 2, 2, q. 62, a. 5 ad 2. Vel ipse *Concina* (De restit. diss. 2 in comm. c. 11) hoc concedit, sed falso putat, unicum titulum, cur meretrices possint repetere et retinere pretium, esse legem civilem, quae quasi mulcta punit scortatores, ut solvant pretium scortationis.

[2] Notanda est etiam responsio S. Officii d. 14 Ian. 1846 (Collect. de Prop. Fide n. 1003): «Bonzus quidam ethnicae superstitionis erroribus nuntium mittere et S. Ecclesiae catholicae nomen dare paratus, petit, ut sibi liceat retinere, quae antea perceperat in ethnico officio, quod gessit; quaeque in medicae artis exercitio comparaverat. — Resp.: Non esse inquietandum, dummodo aliunde non intervenerit certa iniustitia.... Quae item ab ethnicis sacerdotali munere sibi Bonzus quaesivit, quamvis superstitioso e fonte manaverint, legitime tamen eidem obvenisse videntur, utpote quae fuerint paganae gentis propria, eiusque consensu suis sacerdotibus honorarii loco attributa.»

[3] Respons. mor. l. 3, q. 5. Rationes ab eo allatas bene explicat *Concina* l. c.

[4] De restit. c. 3, a. 1, sect. 4.

[5] Theol. mor. n. 753. [6] De contract. n. 331—338.

[7] De iust. n. 648.

[8] S. theol. 2, 2, q. 32, a. 7; q. 62, a. 5 ad 2; q. 87, a. 2 ad 2; Sent. 4, dist. 15, q. 2, a. 4, q. 2. [9] Theol. mor. l. 3, n. 712.

puniendi per leges sive non, verificata conditione, iure naturae obligat.» Ratio autem est, quia in istis actibus illicitis est duplex constitutivum, alterum materiale, scil. actus physicus, alterum formale, scil. culpabilitas istius actus. Secundum constitutivum non est pretio aestimabile et proinde numquam potest esse materia contractus. Primum vero constitutivum est pretio aestimabile, et quando revera positum fuit, alter contrahens tenetur pretium promissum solvere. Hinc qui promittit puellae matrimonium sub conditione copulae carnalis, hac conditione turpi impleta, tenetur iuxta omnia iura illam ducere. Qui promittit malefactori summam pecuniae ad prodendam patriam[1] tenetur, proditione facta, promissam pecuniam solvere.

Aliquando tamen a legibus civilibus huiusmodi contractus turpes absolute declarantur irriti, tum ante tum post factum. Tunc sane non obligant. Quia sententia affirmans omnimodam nullitatem istorum contractuum est extrinsecus probabilis, in praxi favendum est *possessori*, ac proinde si quis recusat solvere promissum pretium pro re turpi praestita, illi denegari non potest absolutio sacramentalis[2].

Resolves. 1. Mercator promisit redactori alicuius ephemeridis celeberrimae 1000 francos, si artificiosis mendaciis in diario suo commendaret negotium aliquod; sed postea recusat solvere hanc summam promissam. Melior est conditio possidentis in contractu turpi, ac proinde non potest stricte obligari ad dandam pecuniam promissam.

2. Iuvenis promisit puellae 100 francos, si illa permitteret copulam. Qua peracta recusat dare 100 francos. Non potest in foro conscientiae cogi ad solvendam pecuniam promissam. Ratio est eadem: Melior est conditio possidentis in contractu turpi. Quodsi autem puella postea occulte surripuit 100 francos promissos, nec ipsa potest cogi ad restitutionem ob eandem rationem: Melior est conditio possidentis in contractu turpi[3].

§ 2.

De personis aptis ad contrahendum.

254 **Principium.** *Omnis homo contrahere potest, dummodo usu rationis polleat, nec specialiter a lege positiva prohibeatur.*

Ratio primi est, quia nemo potest sibi obligationem imponere, nisi illam vere cognoscat. Hinc ex ipso iure naturali nequeunt contrahere: a) Infantes, qui usum rationis nondum adepti sunt. Ordinarie ante septennium infantes censentur carentes perfecto usu rationis. Post primum septennium sufficiens usus rationis praesumitur, ac proinde contractus tunc initus de iure naturae est quidem validus, de iure vero positivo saepe declaratur rescindibilis. b) Perpetuo amentes. c) Ebrii, lunatici etc, tempore quo carent usu rationis.

Ratio autem secundi est, quia leges positivae (sive civiles, sive ecclesiasticae) ob bonum commune possunt libertatem contrahendi licite

[1] Vulgo *Spionage*.

[2] Optime agit de hac controversia *Billuart*, De contract. diss. 1, a. 8.

[3] Cf. *Génicot*, Cas. consc. I, de contract. in gen. c. 3.

limitare. Sicque ab omnibus iuribus factum est quantum ad minorennes, uxores, interdictos, civiliter mortuos etc. Statuta plurium Codicum civilium iam supra satis explicata sunt, quando sermo fuit de subiecto dominii [1]. Regula generalis est: Minores, uxores omnesque in facultate contrahendi limitati possunt contractum initum rescindere; non autem idem possunt illi, quibuscum contraxerunt, seu ut statuit ius Romanum: Minoribus aetas in damnis subvenit, et in prospere gestis non obest [2]. Si autem quaeritur, num ista statuta valeant etiam in conscientia, ita ut contractus initi possint tuto rescindi, si ita lex civilis permittat, *generalis responsio est affirmativa*. Ratio autem est, quia statuto generali iusto lex civilis valide et licite concedere potest propter bonum commune rescissionem alicuius contractus. Quodsi huiusmodi rescissione aliqui damnum patiantur, hoc sibi ipsi imputare debent, quia sciebant aut scire debebant, se non posse valide contrahere cum minoribus, uxoribus etc. Tenentur autem minores, uxores et interdicti ad resarcienda damna orta ex rescissione contractus 1. si fraude usi fuerint, se fingentes liberos ad contrahendum; tunc enim sunt iniusti damnificatores aut possessores malae fidei; 2. si inde facti sunt ditiores.

Resolves. Ex dictis facile resolvuntur sequentes casus:

1. Filius minorennis contraxit multa debita atque pecuniam acceptam dilapidavit. Si leges civiles statuant, ut minorennis nullum validum contractum inire valeat, neque parentes neque ipse filius tenetur debita contracta solvere, dummodo a) filius nullam fraudem adhibuerit erga creditores; b) ex debitis factis ditior factus non fuerit [3].

2. Filius minorennis a ditissimo Iudaeo mutuatus est 1000 francos promittens foenus quotanne 50 % et insuper iurans se contractum fideliter exsecuturum esse neque umquam beneficio legis civilis se esse usurum. Contractus iste est nullus, et postquam dispensatio legitima obtenta est super iuramento, rescindi potest ope iudicis civilis [4].

3. Filius minorennis (absque consensu patris et legis civilis) aliquid emit. Contractus rescindi potest a minorenni, non autem a venditore, qui cogi potest, ut reddat pretium acceptum et recipiat rem venditam. Ratio est, quia qui (licet bona fide) contraxerit cum minorenni, nequit impedire rescissionem talis contractus [5].

4. Uxor (absque consensu mariti et legis civilis) emit domum. Postea consulit marito, ut emptionem rescindat, etsi venditor inde damnum patiatur. Uxor potest uti beneficio legis civilis neque laedit *iustitiam* per contractus rescissionem [6].

§ 3.

De consensu legitimo.

Consensus contrahentium est revera anima contractus, quia deficiente legitimo consensu contractus mortuus est.

---

[1] Cf. n. 18 sqq et 29 sqq. [2] Cf. § 9 Instit. 3, 19; L. 44, Dig. 4, 4.

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 757. Cf. etiam Cod. civ. Germ. § 107—113; Cod. civ. Austr. § 865; Cod. civ. Ital. a. 1303.

[4] Cf. *Génicot* l. c. tr. 9, c. 5; *Billuart* l. c. a. 5.

[5] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 529. [6] Cf. *Lehmkuhl*, Cas. consc. I, n. 796 sq.

Agemus de *dotibus* et *vitiis* consensus.

255 A. **Dotes consensus.** Consensus debet esse 1. verus seu internus, 2. liber et deliberatus, 3. externe manifestatus, 4. mutuus.

1. *Verus seu internus,* non externus tantum aut fictus. Unde non sufficit ad validitatem contractus in foro conscientiae consensus in sola verba exteriora. Ita sententia communis contra paucos antiquiores[1]. Ratio autem est, quia contractus parit obligationem vere humanam, i. e. moraliter obligantem non tantum corpus, sed etiam animam. Dico autem: *in foro conscientiae,* quia in foro externo (praesertim civili), ubi de interioribus iudicatur per exteriora, contractus etiam ficte initus reputatur validus. Qui ergo *ficte* consentit, i. e. sine animo contrahendi, non tenetur in conscientia ratione contractus, qui nullus est; tenetur tamen alterum indemnem facere, qui ex hac deceptione aliquod damnum passus est. Immo si non suppetit aliud medium damni resarciendi, ficte consentiens tenetur verum et validum praestare consensum. Quod praecipue accidere potest in consensu matrimoniali ficte praestito. — Quid autem dicendum, si quis contrahens habuit quidem voluntatem contrahendi, sed minime voluit *se obligare?* S. Alphonsus putat probabiliorem eam sententiam, quae affirmat, etiam in hoc casu contractum esse invalidum, quia ista voluntas inde ab initio exsistens est contra substantiam contractus ac proinde illum invalidat[2]. Sin autem quis habet voluntatem se quidem obligandi, sed non standi promissioni, tunc contractus valet, quia ad essentiam contractus sufficit voluntas se obligandi. Patet autem, huiusmodi contrahentem peccare propter deceptionem alteri contrahenti causatam.

2. *Liber et deliberatus,* i. e. praestitus cum illa advertentia et libertate, quae ad actum perfecte humanum requiruntur. Ad validitatem contractus non semper requiritur omnimoda libertas a quolibet metu, ut infra patebit. Cum contractus sit actus humanus inducens obligationem moralem, manifeste elucet, illum requirere sufficientem deliberationem. Unde amentes, infantes etc. carentes sufficienti deliberatione nequeunt contractum inire.

3. *Externe manifestatus,* ita ut ab altero clare percipi possit. Cum enim contractus ineantur inter homines, qui non cognoscunt secreta cordium, consensus mere internus non sufficit ad validum contractum. Hinc alteri oblatus consensus non perficit contractum tunc, quando is consentit, sed quando offerens alterius consensum clare percipit et acceptat. Modus, quo consensus manifestari debet, solet legibus positivis determinari, utrum verbis ore prolatis, an scripto exaratis, an coram testibus etc. — Silentium autem generatim non habetur pro consensu, nisi ex circumstantiis id constet. Id autem constare praesumitur: a) si contractus est *favorabilis tacenti,* ut in donatione; b) si contrahens facillime posset contradicere et hoc non facit. — Nihilominus etiam

---

[1] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 2, a. 2. [2] Theol. mor. l. 3, n. 710.

in istis casibus silentium nihil praebet nisi *praesumptionem,* quae cedere debet aliquando veritati oppositae. Hinc e. g. si ephemeridum aut librorum editores mittant sua opera et declarent, illos censeri subscriptores, qui ea non remittunt, silentium minime habere potest ut consensus; saltem ubi lex civilis nihil hac de re statuit. Lex autem civilis contrarium statuens videtur esse onerosa et abolenda.

4. *Mutuus,* i. e. ab utroque contrahente de eodem obiecto praestitus. Hoc etiam valet in contractibus gratuitis. Nam licet quis possit sola sua propria voluntate dominium alicuius rei abicere, non autem valet eandem rem sub dominium alterius redigere, nisi iste consentiat. Non tamen requiritur, ut consensus utriusque contrahentis *eodem tempore eliciatur,* sed sufficit, ut unius consensus internus et manifestatus virtualiter perseverat, quando alter suum consensum elicit et primo manifestat. Qui alteri contractum offert, potest etiam determinare tempus, intra quod alter consensum praestare debet, ac proinde, quamdiu suus consensus virtualiter perduret. Quodsi alter intra hoc tempus consensit et hoc expressit, contractus est validus; tempore vero isto elapso requiritur novus consensus utriusque. Ut patet, facile ex hoc capite multiplices lites oriri possunt; unde leges positivae constituere solent, quandonam contractus perficiatur, praesertim si per litteras inter absentes fuerit oblatus. Quae quidem statuta observanda sunt etiam in conscientia. Unde consulendi sunt codices commerciales diversarum regionum.

B. **Vitia consensus** dicuntur illa impedimenta, quae consensum 256
contrahentium aut tollunt aut minuunt, ac proinde ipsum contractum aut invalidant aut rescindibilem reddunt. Communiter autem enumerantur a) error et dolus, quibus intellectus decipitur; b) vis et metus, quibus voluntatis libertas laeditur. De errore dicemus simul cum dolo ac de vi simul cum metu.

a) **De errore et dolo.** Error est iudicium discordans a veritate 257
obiectiva. Error aliquando confunditur cum ignorantia, sed differunt sicut actus et habitus. Error, qui locum habet in contractibus, potest esse aut *substantialis* aut *accidentalis,* prout versatur vel circa ipsam substantiam contractus, vel prout tantum afficit accessoria contractus. Porro substantia contractus est illud, quod contrahens intendit *primario* vel saltem tamquam conditionem sine qua non. Potest esse vel ipsa substantia vel qualitas rei vel utrumque simul; e. g. adest error substantialis, si quis vult emere vinum Mosellanum et venditur illi vinum Rhenanum etc. — Econtra accidentalis reputatur error, qui versatur circa qualitates non redundantes in substantiam ac proinde non primario volitas; e. g. si quis putat emere vinum quattuor annorum, revera autem accipit vinum fere aeque bonum ante duos annos recollectum. In praxi non est semper facile distinguere inter errorem accidentalem et substantialem. Unde attendendum est tum ad intentionem contrahentium, tum ad singulas species contractuum.

Quando error unius contrahentis fraudibus aut fallaciis alterius vel tertiae personae causatur, habetur *dolus*. Dolus igitur saepe est causa erroris, licet error possit adesse sine dolo. Quando dolus est ex parte unius et error ex parte alterius contrahentis, a fortiori valent principia sequentia, quae tamen verificantur etiam de *solo errore* sine dolo.

Principium 1. *Error substantialis reddit contractum invalidum.*

Ratio est, quia qui errat circa ipsam substantiam, non dat verum consensum. Porro sine consensu vero nullus exsistit contractus. Unde e. g. si quis vult emere vinum de vite et recipit vinum de pomis, contractus est invalidus; vel si quis vult emere picturam Raphaelis et accipit picturam alterius pictoris, emptio est invalida. In foro externo error substantialis debet stricte probari antequam contractus invalidatur.

Principium 2. *Error accidentalis per se non reddit contractum invalidum; saepe tamen reddit illum rescindibilem.*

Ratio primae partis est, quia ad valorem contractus sufficit consensus in substantiam. Iamvero error accidentalis non necessario destruit hunc consensum in substantiam [1]. — Ratio secundae partis est, quia multum interest boni communis, ut contractus sint undequaque liberi. Porro etiam error accidentalis aliqualiter reddit contractum non liberum. Unde in pluribus casibus iura positiva permittunt rescissionem contractus, quando probari potest, intercessisse errorem aut dolum accidentalem. — De *iure* autem *naturae* propter errorem accidentalem censetur rescindibilis: 1. Contractus *gratuitus*, qui factus fuit in utilitatem illius, qui errorem accidentalem causavit. E. g. donatio facta pauperi, qui simulat se esse probum, revera autem est improbus, est quidem valida, sed a donatore irritari potest. 2. Contractus *onerosus*, qui causatus fuit ex dolo alterius contrahentis, vel quando laesio enormis causata fuit dolose uni contrahenti, e. g. pretio vere excessivo, vel mercibus corruptis aut laesis. In praxi standum est statutis iuris positivi, cum ex solo iure naturali plures casus sint indissolubiles [2]. De errore in contractu sponsalitio et matrimoniali cf. infra in tractatu de matrimonio.

258 b) **De vi et metu.** Vis seu violentia absolute procedit a principio *extrinseco*, ita ut vim patiens omnino repugnet, sed a maiore virtute inferentis vim vincatur. Cum vis seu violentia omnino tollat voluntarium, ut ex supra I, n. 65 dictis de actibus humanis patet, tollit etiam consensum, ac proinde omnem contractum irritat. Aliquando autem vis seu violentia non est ita absoluta, ut vim patiens nullo modo possit resistere, et tunc idem dicendum est de ea, quod valet de metu. Cum iam supra I, n. 67 sqq satis dictum sit de notione et divisione metus, hic breviter ponuntur in materia contractuum sequentes propositiones:

1. Metus ita gravis, ut perturbet usum rationis, irritat omnem contractum.

Patet per se, quia totaliter tollit consensum.

2. Metus gravis a causa naturali aut etiam a causa libera *iuste* incussus non irritat neque rescindibilem facit contractum.

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 715.

[2] Cf. *Billuart*, De contract. diss. 1, a. 3.

Ratio est, quia talis metus non tollit consensum, neque ita contrahenti ulla iniuria infertur. Unde e. g. qui ex gravi metu, ne diffametur, ducit puellam a se defloratam in matrimonium, valide conficit contractum matrimonialem; aut qui propter gravem metum gehennae religionem intrat, validam professionem religiosam emittit.

3. Metus levis iniuste incussus in foro externo non attenditur, in foro autem interno a) probabilius irritat contractus *gratuitos* (quia ad illos requiritur maxima libertas) et b) probabiliter rescindibiles reddit contractus *onerosos*.

Ceterum in hac re auctores minime sunt concordes [1]. In praxi attendendae sunt materiae, circa quas contractus initus est. Sic e. g. sponsalia inita propter metum levem probabilius possunt rescindi.

4. Metus gravis *iniuste incussus a causa libera in ordine ad extorquendum consensum* ordinarie non invalidat quidem, sed rescindibilem reddit contractum.

Dico: *ordinarie* non invalidat, quia sunt plures casus, in quibus huiusmodi contractus sunt invalidi. Ex ipso iure naturae putat Billuart [2] esse invalidum contractum, cuius obiectum est *sola liberatio* a vexatione gravi et iniusta. Etenim haec liberatio seu cessatio a tali vexatione iniusta non est vendibilis, quia iam debetur ex ipsa iustitia. Unusquisque enim habet ius strictum, ne vexetur metu iniusto, et vexans tenetur ex iustitia cessare a vexatione. Sicut ergo iudex non potest valide contrahere de sententia iusta ferenda, ad quam iam tenetur vi officii sui, ita talis iniuste vexans non potest valide contrahere de cessatione ab ista vexatione. Quae quidem sententia videtur esse potius subtilis quam vera. Etenim in omni contractu propter metum iniustum inito contrahens intendit se liberare ab iniusta vexatione. Ergo dicendum esset, omnes tales contractus esse invalidos; quod tamen nec ipse Billuart admittit. Ex iure autem positivo plures alii contractus ex gravi metu initi sunt invalidi, ut supra I, n. 71 dictum est. Aliqui excipiunt etiam contractus gratuitos [3].

Contractus ex metu gravi initos posse rescindi, docent communissime auctores. Ratio autem est, quia «quae metu et vi fiunt, de iure debent in irritum vocari» [4]. Ille enim, qui gravem metum iniuste passus est, potest ab auctoritate publica petere, ut iniuria sibi illata reparetur; quod autem fieri nequit sufficienter, nisi indemnis habeatur, seu nisi contractus initus rescindatur. — Illos vero contractus non esse ex ipso iure naturali invalidos, docet sententia communior et probabilior. Ratio autem est, quia iste metus non tollit neque voluntarium neque consensum, ac proinde essentia contractus sarta tecta manet. Profecto si contrahens sub influxu gravis metus externum tantum consensum praebet, interius autem dissentit, tunc contractus est invalidus. Ceterum tota controversia de contractibus sub gravi metu iniuste incusso initis, non est ita magni momenti pro praxi; nam sive dicantur invalidi sive rescindibiles isti contractus, semper eorum effectus potest praecaveri per rescissionem. Unica fere difficultas est de contractu sponsalitio; nam si spon-

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 718. [2] L. c. a. 4.
[3] Cf. *Marc*, Instit. mor. I, n. 1051, et *Tanquerey*, De iust. n. 636.
[4] c. 2, X 1, 40.

salia sub isto metu inita sint valida, inducunt impedimentum publicae honestatis, licet postea rescindantur; sin autem sunt invalida inde ab initio, nec etiam inducunt illud impedimentum dirimens matrimonii[1].

§ 4.

De forma externa contractuum.

259 Iure naturali sufficit, ut contractus conficiantur consensu legitimo et clare manifestato contrahentium. Iuribus autem positivis (sive ecclesiastico sive civili) saepe praescribitur sub poena nullitatis quaedam determinata forma seu sollemnitas. Utrum autem validi sint contractus initi sine ea forma, quae in foro externo essentialis habetur? Triplex datur sententia: prima affirmat, secunda negat, tertia dicit rem esse dubiam, cum tot magni nominis auctores hinc inde disputent, ideoque praeferendum esse possessorem, donec per iudicis decretum ad restitutionem condemnetur. Sane haec tertia sententia in praxi sequenda est; secunda autem sententia magis vera nobis videtur. Nam si lex ecclesiastica potest declarare nullos quosdam contractus, nisi sint initi sub determinata forma (e. g. professio religiosa), non est ratio, cur idem ius non concedatur iuri civili in contractibus pure materialibus. Unde communissime auctores concedunt talem facultatem potestati civili. Unicum dubium remanet, num potestas civilis voluerit revera annullare contractus sine praescripta forma. Haec autem est mera quaestio facti. Cum tamen lex civilis simpliciter et sine ulla restrictione istos contractus declaret nullos, verba legis sumenda sunt, sicuti sonant, atque contractus habendi sunt ut nulli. Ita etiam Lugo[2].

ARTICULUS III.

De effectu seu de obligatione contractuum.

260 Obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. Triplex distinguitur obligatio: *naturalis,* quae ligat ex ipsa natura contractus, sed in conscientia tantum; *civilis,* quae oritur ex lege civili et actionem parit in iudicio civili, sed non obligat in conscientia; *mixta,* quae valet tum in foro conscientiae tum in foro civili.

1. Quilibet contractus validus parit veram obligationem in foro conscientiae. Ratio est, quia animus se vere obligandi est de essentia contractus, qui propterea instar legis privatae habetur quoad contrahentes. Gravitas istius obligationis per se mensuranda est ex gravitate materiae; gravis est ergo obligatio in materia gravi, levis in materia levi.

2. In contractu qualificato obligatio determinanda est ex natura clausulae adiectae. Praecipuae autem clausulae, quae adici solent, sunt sequentes: *sub conditione, sub modo, sub die, sub demonstratione.* — De singulis pauca dicenda sunt.

---

[1] Cf. infra in tractatu de matrimonio. [2] De iust. et iure disp. 22, n. 252.

Contractus sub conditione. Conditio contractui adiecta potest esse 261
vel *de praesenti*, vel *de praeterito*, vel *de futuro*. Si est de praeterito vel de praesenti, tunc verificata conditione statim obligatio contractus incipit; secus non. Conditio autem de futuro est duplex: altera *suspensiva*, quando obligatio suspenditur usque dum conditio sit completa; e. g. dabo tibi 10 francos, si istum librum mihi comparaveris; altera *resolutoria*, quando obligatio contractus iam exsistens, postmodum impleta aut non impleta conditione, revocatur; e. g. vendo tibi istum librum, nisi infra hebdomadam tibi displiceat, vel aliis verbis: tu potes infra hebdomadam hunc contractum initum resolvere [1].

Effectus conditionis suspensivae sunt sequentes: *Ante* eventum suspenditur obligatio; *post* eventum conditionis obligatio statim oritur sine novo consensu, et obligatio tunc censetur exstitisse a die initi contractus; deficiente vero conditione obligatio nulla oritur nec umquam censetur adfuisse [2].

Effectus autem *conditionis resolutoriae* sunt sequentes: Ante eventum, et *deficiente* conditione contractus est validus; *impleta* autem conditione, contractus ilico dissolvitur sine ulla iudicis sententia. — Si adicitur contractui conditio de re turpi, i. e. de aliquo malo faciendo vel bono omittendo, tunc haec conditio ut non adiecta habetur. Hinc e. g. quando avunculus in testamento legat nepoti suo 1000 francos sub conditione, ut fiat calvinista, aut ut non fiat religiosus, nonobstante vocatione divina, haec conditio utpote turpis ut non adiecta habetur, et proinde nepos retinere potest 1000 francos, licet conditionem non adimpleat. Leges autem modernae civiles non solent hoc legis canonicae statutum agnoscere; sed potius legi canonicae quam illis standum est in praxi.

Contractus sub modo seu contractus modalis ille est, in quo stipulatur 262
finis seu usus materiae, de qua contrahitur. Modus iste solet exprimi particulis: ut, pro, ea lege, ad etc. E. g. do tibi 100 francos, ut monasterium ingrediaris; do tibi 100 francos pro emendis libris; commodo tibi hanc vestem ea lege, ut illa utaris tali die etc. — Contractus sub conditione a contractu sub modo ita differt, quod conditio *suspendit* obligationem contractus, donec conditio sit impleta; modus autem non suspendit effectum contractus, sed imponit solam obligationem observandi modum. Modus enim nihil aliud est nisi gravamen adiectum contractui absoluto et substantialiter completo, ad quem se habet ut accessorium ad principale [3]. Modus igitur numquam est motivum primarium contrahentis. Proinde contractus proprie modalis non revocatur, si non servetur modus. In praxi saepe difficulter distinguitur contractus modalis a contractu conditionato. Si modus impositus ab alterutro contrahentium habebatur ut *motivum principale* aut saltem ut conditio sine qua non, contractus censendus est conditionatus et non modalis; sin vero modus impositus fuit motivum secundarium, contractus habetur ut modalis.

Contractus sub die seu ad diem ille est, cuius exsecutio ad determi- 263
natum diem procrastinatur; e. g. do 100 francos monasterio, quando pater morietur. Contractus sub die *statim* obligationem parit, sed non pro statim. Quare si promittens moriatur ante diem exsecutionis contractus, heredes debent exsequi promissionem factam. Sin autem promissio facta fuerit *pro die incerto*, i. e. non certo futuro — e. g. dabo tibi 100 francos die, quo filia

---

[1] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 541.

[2] Cf. *Billuart*, De contract. diss. 1, a. 7, § 1.

[3] Cf. ib. § 2.

ingressura est monasterium — talis contractus non est sub die, sed conditionatus, ac proinde non obligat statim. Hinc si moriar ante ingressum filiae in monasterium, heredes mei non tenentur solvere 100 francos promissos. Ceterum in praxi imprimis attendenda est intentio promittentis.

264 **Contractus sub demonstratione** vocatur ille, in quo materia contractus non accurate designatur, sed potius largo modo demonstratur. Quantitas enim rei potest designari aut *demonstrative,* si scil. primo res ipsa exprimitur, et deinde secundarie tantum quantitas rei; aut *taxative,* si primo quantitas et deinde res exprimitur. E. g.: Do tibi talem cistam, quae continet 100 francos. Est designatio demonstrativa. Do tibi 100 francos, qui continentur in ista cista. Est designatio taxativa. Iamvero si in designanda quantitate error acciderit, valet contractus sub demonstratione initus, non autem sub taxatione confectus. Ita sententia communis. E. g. si avunculus dicit nepti: Do tibi hanc cistam, quae continet 100 francos; neptis potest retinere cistam cum pecunia, etiamsi forte 200 francos includantur. Econtra si avunculus dixisset: Do tibi 100 francos, qui includuntur in hac cista; neptis non posset retinere 200 francos, qui revera in cista inventi sunt. Ceterum in praxi omnia dependent ab intentione contrahentis, et applicanda sunt principia supra allata de errore occurrente in contractu.

265 **De iuramento quod contractui adiungitur.** Aliquando contractui additur *iuramentum promissorium,* quo contrahens sub invocatione divini nominis se obligat ad implendum contractum; e. g. iuvenis promittit puellae matrimonium et iurat se servaturum esse promissionem factam. Rarissime adicitur contractui *iuramentum assertorium*[1]. De efficacia huius iuramenti promissorii contractui adiecti, sequens valet principium.

Principium. *Contractus omnes per iuramentum additum non mutantur in ratione contractus.*

Dico autem: in ratione *contractus,* nam in contractu iurato valido est duplex obligatio: altera *iustitiae* vi contractus, cuius laesio inducit obligationem restituendi damni illati; altera *religionis* vi iuramenti, cuius laesio est quidem grave peccatum, sed minime ex se restitutionem imponit. Ratio autem principii enuntiati est, quia iuramentum promissorium contractui additur tamquam accidens. Porro commune adagium dicit: «Accessorium sequitur principale.» Exinde sequuntur plura **corollaria:**

266 1. Neque contractus neque iuramentum est validum, si agitur de re aut actione, quae sine peccato praestari nequit. Ratio est, quia nemo potest se obligare ad actum peccaminosum. Unde omnes contractus turpes iurati sunt invalidi, et non debent exsecutioni mandari.

2. Iuramentum appositum contractui, qui a) iure naturali vel b) iure positivo *propter bonum commune* irritatur et prohibetur, est nullum. — Hinc nullum est iuramentum clerici, quo renuntiat privilegio canonis, quia tale privilegium datum est potius pro bono communi quam pro bono privato; pariter iuramentum est nullum, quo quis ex gravi metu

---

[1] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 1, a. 6.

se obligat ad matrimonium ineundum, quia Ecclesia apposuit impedimentum metus in matrimonio propter bonum commune, ad vitanda scil. odia, scandala etc.

3. Iuramentum appositum contractui, qui naturalem quidem obligationem inducit, sed a iure positivo rescinditur *principaliter in favorem contrahentis*, est validum. Ratio est, quia iuramenti obligatio tamdiu sustinenda est, quamdiu licite observatur. Atqui in casu isto iuramentum potest licite observari. Quare iam Alexander III dixit: «Non est tutum quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae.» [1] Hinc minorennis, qui iuramento promisit, se non esse rescissurum contractum, eum servare debet, nisi obtenta fuerit legitima dispensatio. Quando et quomodo dispensatio obtineri possit in iuramento promissorio, dicetur infra in tractatu de religione [2].

4. Iuramentum et contractus metu extorta valent (nisi ex iure positivo declarentur invalida), possunt tamen legitima auctoritate rescindi. Contractum metu initum esse communiter validum, iam supra n. 258 dictum est; quia metus non tollit libertatem. Pariter nullibi statuitur iuramentum metu extortum esse invalidum. Hinc si quis metu mortis iurat, daturum se latroni summam pecuniae, tenetur illam dare tum vi promissionis, tum vi iuramenti; potest tamen petere a legitima auctoritate aut rescissionem contractus et dispensationem iuramenti aut punitionem latronis. Ita expresse S. Thomas [3], et hanc sententiam S. Alphonsus [4] vocat longe probabiliorem. Regula enim generalis est, quodlibet iuramentum in foro conscientiae servandum esse, quod sine peccato impleri potest. — Cf. Billuart [5], qui merito multum insistit in differentia obligationis orientis ex contractu et ex iuramento. Prima obligatio est *realis* et transiens ad heredes. Laesio illius inducit restitutionis debitum. Secunda obligatio est *personalis* et non transiens ad heredes, neque laesio eius secum trahit debitum restitutionis. Hinc e. g. si quis iuravit, se numquam revocaturum esse testamentum, et tamen postea illud revocavit, est quidem periurus, sed revocatio testamenti est valida neque periurus aut eius heredes ad restitutionem tenentur.

CAPUT II.

De contractibus in specie.

Praenotamen. Nimis longum est tractare de omnibus contractibus, qui praesertim nostris temporibus in maximum numerum excreverunt. Sed hoc nec etiam est necessarium, quia confessarius non eget cognoscere omnes istos contractus. Unde tantum de principalioribus agemus et quidem: 1. de contractibns gratuitis; 2. de contractibus onerosis commutatoriis; 3. de contractibus aleatoriis.

[1] c. 8, X 2, 24. [2] Cf. *Göpfert*, Der Eid n. 276 sqq.
[3] S. theol. 2, 2, q. 89, a. 7 ad 3. [4] Theol. mor. l. 3, n. 174.
[5] L. c.

ARTICULUS I.

De contractibus gratuitis.

Contractus gratuiti sunt vel *unilaterales,* ut promissio, donatio et testamentum, aut *bilaterales,* ut commodatum, precarium, depositum, sequestrum, mandatum, negotiorum gestio, et demum mutuum, quod tamen per accidens est onerosus contractus. De singulis pauca.

§ 1.

De promissione gratuita.

267 **Notio.** Promissio gratuita est contractus, quo quis liberaliter et spontanee se obligat ad aliquid alteri praestandum vel omittendum; seu brevius: *Promissio est libera et spontanea fidei datio de re licita possibili.* Datur tamen etiam promissio onerosa [1], quae in ceteris contractibus intervenire potest. De illa hic non agimus. Ad promissionem gratuitam sequentia requiruntur:

1. Animus vere se obligandi. Unde promissio differt a *proposito,* quo quis intendit quidem aliquid facere, sed non vult veram obligationem subire; differt etiam a *donatione,* quae est datio *rei,* cum promissio sit tantum datio *fidei.*

2. Voluntas spontanea et libera, i. e. omni errore, metu aut vi libera. In promissione *gratuita* excluditur etiam metus levis, quia secus iam non est prorsus gratuita et spontanea. Aliter est in promissione onerosa.

3. Manifestatio et acceptatio promissionis. Promissio enim est contractus. Porro nullus contractus inter homines perficitur, nisi voluntas utriusque contrahentis manifestetur et acceptetur ab utroque. Disputant autem auctores, num acceptatio semper debeat esse expressa. Certum videtur, aliquando ex circumstantiis etiam silentium illius, cui fit promissio [2], esse sufficientem acceptationem, cum illi ex promissione gratuita et liberali beneficium aliquod conferatur, et tunc valeat adagium: «Qui tacet consentire videtur.» [3]

268 **Obligatio promissionis.** Optime de hac re notat Concina [4] dicens: «Sermo non est de promissione *onerosa,* ex utraque parte inducente obligationem; neque de promissione *civili,* pariente praeter obligationem fidelitatis, debitum legale. Civilis promissio, debitum legale inducens, ea dicitur, quae fit coram notario et testibus, vel medio chirographo subscripto, vi cuius in foro externo cogi promissor aut donator potest ad implendum promissum. Convenit penes omnes, has duas promissiones obligationem gravem ex iustitia parere. Disputatur dumtaxat de promissione simplici privata verbis facta et acceptata.»

---

[1] Vocatur aliquando *Auslobung* (cf. Cod. civ. Germ. § 657) et habetur, si quis promittit aliquod donum illi, qui aliquem determinatum effectum produxerit.

[2] Qui solet vocari «promissarius». [3] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 2, a. 1.

[4] De iust. et iure l. 3, diss. 4, c. 20, n. 6 sqq.

Violatio promissionis legitimae et acceptatae est peccatum oppositum veracitati et fidelitati. Ita omnes. Si haec violatio causat iniustum damnum promissario, est peccatum ex genere suo grave contra iustitiam. Ita etiam omnes. E. g. ille, qui secretum promissum culpabiliter non servat indeque causat alteri grave damnum, peccat mortaliter et ad restitutionem tenetur. — Sed si quis promissionem factam sine sufficienti ratione non servat, quin tamen notabile damnum causet promissario, estne hoc ex genere suo peccatum mortale? Sunt tres sententiae[1]. Prima contendit, peccare mortaliter, et quidem contra iustitiam commutativam, illum, qui non implet promissionem acceptatam. Ratio est, quia virtus fidelitatis est pars potentialis iustitiae et utpote omnium obligationum fundamentum est apprime necessaria reipublicae atque humanae societati. Hanc opinionem defendunt S. Antoninus[2], Sylvester[3], Dom. Soto[4] et Billuart[5]. Sin autem iuxta hanc sententiam quaeritur, quaenam materia sit gravis in laesione promissionis, respondent isti auctores, requiri materiam *quadruplo maiorem* quam in furto, antequam oriatur gravis obligatio restitutionis. — Secunda sententia docet, gravitatem obligationis ex promissoris intentione pendere. Promissio enim est quaedam lex privata, quam promissor sibi libere imponit. Ergo potest se ex iustitia vel ex fidelitate graviter vel leviter astringere. Ita Lugo[6] (qui dicit sibi hanc opinionem omnino placere) Molina[7], aliique. Sed haec opinio non attingit punctum difficultatis. Sane promissio liberalis non obligat ultra intentionem explicitam promittentis, ac proinde promittens potest se obligare vel sub gravi vel sub levi, sicuti etiam obligatio voti, quod est promissio Deo facta, potest esse levis vel gravis iuxta intentionem particularem voventis. Nodus ergo difficultatis est, quanta sit obligatio promissionis *ex natura sua,* abstractione facta ab aliqua particulari intentione promittentis. Particularis intentio *graviter se obligandi* censetur esse in promittente: 1. quando promissionem firmat iuramento; 2. quando promittit stipulando, e. g. promitto illi, qui detegerit talem malefactorem, 1000 francos; 3. quando promittit coram notario aut coram testibus explicite ad id assumptis, aut per documentum scriptum; 4. quando dicit: obligo me quantum possum, aut quid simile. — Tertia sententia defendit, simplicem promissionem gratuitam acceptatam obligare per se dumtaxat sub levi. Ratio est, quia violatio huiusmodi promissionis est quasi mendacium simplex. Atqui mendacium simplex est tantum peccatum veniale ex genere suo, ut supra n. 170 probatum est. Ergo etiam violatio promissionis prorsus gratuitae. Accedit communis aestimatio hominum, qui non putant se commisisse peccatum mortale, quando simplicem ac prorsus liberalem promissionem datam fregerunt sine

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 720.
[2] S. theol. P. 2, tit. 10, c. 1, § 4.
[3] Verb. «Pactum» q. 4.
[4] De iure et iust. l. 7, q. 2, a. 1 ad 1.
[5] L. c. § 2.
[6] De iust. et iure disp. 23, n. 90.
[7] De iure disp. 262, n. 11.

tamen damno proximi. Huic sententiae videtur favere S. Thomas dicens: «Secundum *honestatem* ex qualibet promissione homo homini obligatur.»[1] Ita etiam docent Caietanus[2], Bannez[3] (sed tamen non ita clare), Petr. de Ledesma[4], Ioannes a S. Thoma[5] et multi alii. Cum omnis quaestio, in qua de peccato mortali agitur, periculose determinetur, nisi veritas expresse habeatur, et cum non sit peccatum asserendum mortale, nisi certo constet, hinc haec tertia sententia nobis videtur praeferenda in praxi. Nihilominus frivola laesio promissionis factae est vere detestabilis et haud raro graves inimicitias causat.

269 **Cessatio obligationis.** S. Thomas enumerat duas rationes, ob quas promissio facta cessat: 1. quando res promissa est illicita; 2. quando res promissa vel circumstantiae rei vel personae notabiliter mutantur. «Potest tamen [promittens] excusari ex duobus; uno modo si promisit id, quod manifeste est illicitum, quia promittendo peccavit, mutando autem propositum bene facit; alio modo, si sunt mutatae conditiones personarum et negotiorum. Ut enim Seneca[6] dicit, ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant; alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit, quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus; nec etiam est infidelis, non implendo quod promisit, quia eaedem conditiones non exstant. Unde et Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum esse promiserat, ut dicitur 2 Cor. c. 1, et hoc propter impedimenta, quae supervenerunt.»[7] — Moderni auctores praeter istas duas rationes addunt adhuc duas alias, scil. a) si promissarius sponte condonet; b) si, promissione mutua facta, alter promissis non steterit. Qui enim fidem datam fregit, eidem et frangitur fides impune.

Quaeres: Quaenam sint obligationes, si promittens aut promissarius moritur, antequam promissio exsecutione completa fuerit?

a) Si moriatur *promissarius* et promissio facta fuit principaliter in eius favorem *personalem*, tunc moritur etiam obligatio promissionis; secus est, si promissio facta fuit praecipue vel saltem aeque principaliter in favorem familiae promissarii eiusque heredum. Tunc enim remanet obligatio.

b) Si moriatur *promittens*, promissio personalis, i. e. de actione personali praestanda, cessat; promissio vero realis, i. e. de re danda, transit ad heredes. -- In praxi tutius est sequi statuta codicis civilis.

Cum omnis promissio non causet *ius in re*, non licet occultam compensationem adhibere casu quo promittens sine sufficienti ratione promissis non steterit. Si tamen promissio fuerit *ex iustitia aut remuneratoria*, ille, qui occupavit bona fide rem promissam, potest illam

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 3 ad 1. [2] Comm. in 2, 2, q. 113, a. 1, dub. 4.
[3] Comm. in 2, 2, q. 62, disp. 5, dub. 2.
[4] De matrim. q. 45, a. 5, dub. 2. [5] 1, 2, q. 88, disp. 29, a. 9.
[6] De benef. l. 4, c. 34 sq.
[7] S. theol. 2, 2, q. 110, a. 3 ad 5.

retinere, nisi iudex contrarium statuerit. E. g. aliqua neptis inservit sine explicito contractu avunculo aegroto, qui explicite promisit, se daturum esse donum 1000 francorum. Quando morte subitanea avunculus non potest promissioni isti stare, neptis in bona fide relinqui potest, si sumpserit 1000 francos promissos[1].

§ 2.

De donatione.

Notio. Donatio seu quasi doni datio definiri potest «*liberalis* 270
datio alicuius propriae rei alteri acceptanti»[2]. Ille, qui donat, vocatur donator, ille vero, cui aliquid donatur, audit donatarius.

Divisiones. Donationis divisiones principaliores sunt sequentes:

1. Donatio pure *liberalis* et donatio *antidoralis* seu *remuneratoria*. Prima est, quae in donatore nullam obligationem supponit neque iustitiae neque gratitudinis. Haec sola est donatio in stricto sensu; unde quando in iure canonico prohibentur aut irritantur plures donationes, e. g. inter coniuges, donationes religiosorum, vel quando donationes declarantur revocabiles propter ingratitudinem donatarii, solae donationes pure liberales intelligendae sunt. — Altera est, quae supponit obligationem gratitudinis[3].

2. Donatio *inter vivos, mortis causa* et *per testamentum*. Donatio inter vivos transfert statim et irrevocabiliter dominium rei donatae in donatarium: e. g. do tibi istum librum. Donatio mortis causa transfert dominium quidem, sed revocabiliter usque ad mortem donatoris; e. g. do tibi summam 1000 francorum post mortem meam habendam; si tamen aliter illa eguero, non habebis illam[4]. Donatio per testamentum nullum dominium transfert nisi post mortem testatoris, qui durante vita suam voluntatem libere mutare potest. In donatione ergo inter vivos dominium statim transfertur absolute; in donatione mortis causa statim, sed conditionate; in donatione demum per testamentum solummodo pro futuro.

3. Donatio *realis* seu completa et donatio *verbalis* seu incompleta. Prior est realis traditio rei donatae, ac proinde confert donatario perfectum *ius in re*. E. g. avunculus donat nepoti 100 francos et statim hanc summam tradit illi. — Altera est illa, quam non comitatur rei donatae traditio et exinde

---

[1] Ita *Göpfert*, Moraltheol. II, n. 99; *Marc*, Instit. mor. I, n. 1062; *Aertnys*, Theol. mor. l. 3, n. 404.

[2] Cf. *Billuart*, De contract. diss. 2, a. 2. [3] *Belohnung*.

[4] Auctores non concordant in assignandis iis, quae omnia requirantur ad veram donationem mortis causa iuxta vetus ius Romanum. Satis clare de hac re disserit *Lugo* (De iust. et iure disp. 24, sect. 15, n. 318) dicens: «Donatio causa mortis est, qua traditur vel promittitur aliquid, ut, donantis morte secuta ante mortem donatarii, fiat irrevocabiliter eius, cui donatur. . . . Aliquando haec donatio incipit *a traditione*, per quam donans transfert dominium in donatarium, sed revocabiliter, nisi morte confirmet; quare quomodocumque revocetur donatio, debet restitui et res donata et omnes fructus ex ea percepti. . . . Aliquando vero incipit *a sola promissione* sine traditione; et tunc non valet, nisi sequatur acceptatio donatarii.» — In modernis iuribus donatio mortis causa solet considerari aut ut legatum aut ut donatio inter vivos. Cf. *H. Vering*, Geschichte und Pandekten des römischen und heutigen gemeinen Privatrechtes[5] § 286; *H. Dernburg*, Pandekten III[7], § 117.

non confert nisi *ius ad rem.* E. g. do tibi salarium, quod ipse habebo in fine mensis.

4. Donatio *pura* et donatio *qualificata.* Prior est donatio absoluta carens omni modificatione. — Altera est donatio affecta aliqua modificatione, de qua supra n. 261 sqq sermo fuit, e. g. donatio sub conditione, sub modo, sub demonstratione, sub iuramento etc.

Agemus 1. de donatione in genere, 2. de donatione inter vivos et de donatione mortis causa, 3. de donatione per testamentum, 4. de donatione praesumpta seu de successione ab intestato.

1. De donatione in genere.

271 1. *Habilis ad donandum* est ille solus, qui habet dominium et administrationem liberam bonorum suorum. Ergo neque dominium solum neque administratio sola sufficit ad licite facienda dona. Hinc uxor non potest (saltem interminate) facere dona de bonis, quorum retinuit dominium; neque maritus de bonis uxoris, quorum habet administrationem. Quinam in particulari sint inhabiles ad donandum, solent definire codices civiles[1]. Communiter solent esse plus minusve inhabiles ad dona facienda: infantes, amentes, prodigi, minorennes, uxores. Ex iure positivo ecclesiastico etiam religiosi sunt inhabiles ad dona facienda. Cfr. de hac re ius canonicum et praesertim constitutionem «Religiosae» d. 19 Iunii 1594 Clementis VIII[2].

2. *Habilis ad recipienda dona* est omnis, qui est capax dominii. Unde ex iure naturali omnis homo *conceptus* potest dona recipere. Ex iure civili autem saepe apponuntur limitationes; sic e. g. iuxta ius Gallicum[3] medici non possunt accipere dona proprie dicta ab aegrotis, durante aegritudine et curatione facta[4]. Praesertim communitates ecclesiasticae prohibentur saepe a codicibus civilibus, ne maiora dona legata accipere possint sine speciali licentia principis aut gubernii civilis. In isto casu leges civiles non obligant in conscientia; iuxta communissimam sententiam, quae confirmatur ex c. 11, X 3, 26 et ex rescripto S. Poenitentiariae d. 10 Ian. 1901 declarantis: «Praxim huius S. Tribunalis esse, ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae. Facile tamen admittuntur heredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa, cui legatum est.» Contrarium docet Card. D'Annibale[5] dicens: «Existimo non oportere inquietari eos, qui extra Ditionem Pontificiam non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito ex iure civili.»

---

[1] E. g. Cod. Gall. a. 901 sqq; Cod. Germ. § 104 sqq; Cod Helv. Obligat. a. 240 sqq. Cod. Austr. § 944; Cod. Hisp. a. 624; Cod. Ital. a. 1052. Pro Anglia et America Septentrionali cf. *Tanquerey,* Suppl. p. 20—21.

[2] Nostrum Man. iur. eccl. II, q. 82. [3] Art. 909.

[4] Cf Cod. Gall. a. 906 sqq; Cod. Helv. Obligat. a. 241. Cf. etiam *Tanquerey,* De iust. n. 710.

[5] Summula Theol. mor. II, n. 339.

3. *Obiectum donationis* possunt esse omnia bona, quorum habet proprietarius liberam dispositionem. Ex iuribus positivis prohibentur parentes dare dona, quae legitimam portionem liberorum laedunt. Debitor autem solvendi impar non potest dona magni momenti dare, quia sic fit adhuc magis impar solvendi et iniuste laedit creditores. Ita saltem sententia probabilior.

4. Nulla donatio (etiam pro causis piis) est perfecta et valida *ante acceptationem*. Ratio est, quia donatio transfert dominium in donatarium. Porro nemo censetur dominium acquirere sine consensu; qui tamen aliquando praesumi potest, e. g. in infantibus.

5. Iura civilia solent speciales formas pro donationibus faciendis praescribere, e. g. ut donatio fiat publico instrumento, quae quidem forma in antiquo iure Romano vocabatur *insinuatio* [1]. De istis formis sicuti generaliter de statutis legis civilis hac in re dicendum videtur, illa non inducere *directam* obligationem in conscientia, sed solum indirectam, i. e. post sententiam iudicis aut ad cavenda maiora mala. Quapropter si quis libere, quin ullum dolum passus sit, rem suam per donationem in alium transtulit, haec donatio in conscientia est valida, saltem donec a competenti auctoritate rescissa fuerit, licet statuta legis civilis observata non fuerint. Ratio est, quia donationes tales illegales sunt quidem rescindibiles, sed non ex ipso iure naturali invalidae.

6. Donationem factam aliquando *revocari* posse, permittunt tum iura moderna, tum ius antiquum. Praecipui casus sunt: a) si donatio sit inofficiosa, i. e. contra pietatem, laedens partem legitimam filiorum vel etiam parentum; b) si donatori nascatur proles insperata; c) si donatarius magnam ingratitudinem ostenderit donatori, e. g. eum afficiendo gravibus iniuriis, vel causando illi magnum damnum, vel non sustinendo eum in egestate [2].

2. *De donatione inter vivos et mortis causa.*

Donatio inter vivos *statim et absolute* transfert dominium in 272
donatarium. De illa valent omnia, quae in paragrapho praecedenti dicta sunt. Donatio vero mortis causa statim quidem dominium in donatarium transfert, non autem absolute, sed tantum, si donator usque ad mortem non revocaverit donationem. Confert igitur *ius in re*, licet conditionatum. Donatio mortis causa aliquantillum differt a legatis testamentariis, quia ista tantum conferunt ius ad rem et totaliter dependent a valore testamenti, cum econtra donatio mortis causa sit valida, etiamsi testamentum forte conditum est prorsus invalidum. In pluribus regionibus donationes mortis causa, in quantum sunt distinctae

---

[1] Cf. L. 36 Cod. 8, 53.

[2] Cf. Cod. civ. Gall. a. 953; Cod. Austr. § 947 sqq; Cod. Germ. § 528 sqq: Cod. Hisp. a. 644; Cod. Ital. a. 1078.

a legatis testamentariis, iam non exsistunt[1]. Si alicubi adhuc exsistant, standum est iuri civili istius regionis[2].

3. *De donatione per testamentum.*

273 **Notiones praeviae.** Quamvis successio hereditaria stricte loquendo non sit contractus, tamen merito reducitur ad donationem. Etenim per illam et notanter per testamentum gratuito modo transfertur dominium hereditatis in alios. — Claritatis causa quaedam notiones praevie explicandae sunt:

Successio hereditaria vocatur ius succedendi in bona et iura alicuius defuncti. Est duplex: altera legalis seu *ab intestato,* qua ius succedendi oritur ex dispositione legis etiam sine voluntate expressa testatoris; altera *testamentaria,* qua illud ius succedendi oritur ex ultima voluntate expresse manifestata ipsius defuncti.

Hereditas[3] est universitas bonorum ad defunctum pertinentium.

Heres dicitur ille, qui recipit bona defuncti, et si recipit omnia eius bona, vocatur *heres universalis* (seu *ex asse*); sin autem recipit tantum partem, est *heres ex parte.* Distinguuntur insuper: 1. *Heres ab intestato,* qui succedit in bona alicuius, qui sine testamento mortuus est; heres *ex testamento,* qui vi testamenti bona defuncti recipit. 2. *Heres necessarius,* qui omitti non potest in successione hereditaria, et *heres arbitrarius,* qui a testatore libere vocatur ad hereditatem. In codicibus modernis adhuc aliae divisiones heredum habentur[4], quae tamen divisiones non sunt ita cognitu necessariae pro confessario.

Pars seu *portio legitima* vocatur illa pars hereditatis, quae heredibus necessariis[5] relinqui debet ex statuto legis.

Modi autem acquirendi hereditatem praecipue sunt duo, scil. ex *testamento* (sub quo reduci potest pactum hereditarium), quo quis declarat ultimam suam voluntatem de bonis suis et *successione ab intestato,* si quis sine testamento mortuus est. De hac ultima agemus n. 280 sqq.

274 **Ius testandi** fundatur quidem in iure naturali, sed determinatur a iure civili[6].

De origine huius iuris valde disputant theologi et iurisperiti. Alii et quidem fere omnes catholici dicunt, ius testandi oriri ex ipsa lege naturali; alii autem docent, testandi facultatem oriri ex solo iure civili. Ita Pufendorf[7], Schmalzgrueber[8], Zallinger[9] et insuper illi, qui exsistentiam iuris naturalis negant. Alii demum docent, facultatem testandi fundari quidem in iure naturali, sed plenam vim et determinationem accipere a lege positiva. Unde sequitur, ut lex positiva possit quidem restringere facultatem testandi, sed non eam penitus tollere. Haec controversia potius ad Philosophiam moralem quam ad Moralem practicam pertinet. Unde non vacat longius de ea disserere[10].

---

[1] Cf. Cod. Helv. Obligat. a. 245; *Staudinger,* Kommentar zum Bürgerl. Gesetzbuch I 355; Cod. civ. Germ. § 2301.

[2] Cf. Cod. Austr. § 956. [3] *Erbschaft.*

[4] E. g *Vererbe, Nacherbe, Ersatzerbe, Noterbe* etc. [5] *Noterben.*

[6] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 2, a. 3, § 4, et *Tanquerey,* De iust. n. 688 sqq.

[7] De iure nat et gent. l. 4, c. 3.

[8] In lib. 3 Decret. tit. 26, n. 3 sqq. [9] Inst. iur. nat. l. 1, § 720.

[10] Cf. *Cathrein,* Moralphil. II 339 sqq.

Ius testandi a iure naturali dimanat, sicut et dominium privatum, cuius est complementum necessarium. In praesenti rerum statu dominium privatum est necessarium, ut supra n. 4 probatum est. Iamvero hoc dominium privatum includit perfectam facultatem disponendi de bonis propriis, et quidem non tantum quid de illis fieri debeat hic et nunc, sed etiam post mortem testatoris. Nihilominus ius positivum potest ex rationabilibus causis hanc testandi facultatem plus minusve limitare, sicut reapse in omnibus regionibus civilizatis factum est. Immo haec limitatio est nimia in nonnullis codicibus. Econtra alibi est nimia libertas testandi, indeque magna incommoda solent oriri. Etenim est absonum, ut e. g. pater possit sine urgenti ratione unum vel plures filios exheredare et totam fortunam uni filio transmittere.

Modus testandi determinatus non requiritur a iure naturali; ius 275
autem positivum sapienter normas stabilivit ad legitime testandum. Sic enim evitantur multae fraudes, quae secus facile accidere possunt. Praecipui modi sunt: *testamentum, codicillus* et *legatum.*

Testamentum iuxta vetus ius Romanum vocatur illa ultima voluntas, qua *heres* instituitur; iuxta plura autem moderna iura testamentum vocatur generaliter totalis dispositio ultima de bonis propriis.

Codicillus est additio explicativa vel mutativa adiuncta ad testamentum iam conditum.

Legatum est res determinata, quae iuxta voluntatem testatoris ex sic dicta massa hereditaria debet tradi alicui determinatae personae. Vocatur legatum *stricte dictum,* si testator *directe* legat aliquid alicui; e. g. lego Titio libros meos; vocatur autem *fidei commissum,* si testator *indirecte,* i. e. mediante alio, aliquid legat; e. g. tribuo Petro meam fortunam cum onere solvendi post tres annos nepoti meo Caio 5000 francos.

Forma testamenti. In diversis regionibus diversae normae sta- 276
tutae sunt pro testamentis condendis. Videndi sunt singuli codices. Cum haud raro casus difficiles occurrant de valore et modo testamentorum, confessarius conetur addiscere saltem principaliores formas testamentorum vigentes in sua patria. Non afferuntur hic nisi paucae divisiones seu formae testamenti:

1. Testamentum *ordinarium* et *extraordinarium.* Primum est illud, quod in ordinariis circumstantiis legaliter perficitur. Alterum est id, quod ex privilegio (exinde vocatur etiam testamentum privilegiatum) in extraordinariis circumstantiis agnoscitur ut legale, e. g. testamentum factum a militibus in expeditione militari, aut durante epidemia, aut si notarius vel iudex advocari nequit etc.

2. Testamentum *scriptum, nuncupativum* et *holographum.* Testamentum scriptum intelligitur aliquando illud, quod a notario aut iudice iuxta legales formas est scriptum et a testatore est subscriptum. — Testamentum nuncupativum id est, quod oretenus est statutum a testatore coram testibus[1]. — Testamentum holographum est id, quod

[1] Cf. Cod. civ. Germ. § 2250.

totum propria manu testatoris est conscriptum, eiusque nomine et cognomine subscriptum ac cum additione anni, mensis et diei est signatum. Complura iura moderna admittunt testamentum holographum, e. g. ius Germanicum, Gallicum, Austriacum, Helveticum, Italicum, Hispanicum etc.

3. Si omnes normae ad validitatem legalem testamenti requisitae observatae fuerint, vocatur testamentum *legale*, secus est testamentum illegale seu *informe* et a iudice civili tamquam irritum declaratur.

277 **Valor testamenti informis.** Ad gravissimam quaestionem de valore testamenti informis sic breviter respondetur:

1. Si mens testatoris est certa, omne testamentum informe *ante* sententiam iudicis tamquam validum haberi potest. Ratio est, quia facultas testandi primario oritur *ex iure naturali*, leges autem civiles videntur potius decernere rescindibilitatem quam ipsam nullitatem talium testamentorum. Optime scribit Billuart[1]: «Leges irritantes testamenta minus sollemnia [i. e. informia] non sunt usu communi receptae, quantum ad hoc ut, qui per tale testamentum possidet, spolietur ante sententiam iudicis. . . . Quem enim reperies, qui voluntarie dimittat, quod titulo testamenti alteriusve contractus minus sollemnis absque vi vel fraude possidet, dum a nemine repetitur?» — Attamen nulla fraude uti licet ad decipiendum iudicem, e. g. supplendo subscriptionem, designationem diei aut anni, quae ex oblivione omissa fuerunt. Nam tali fraude alii iniuste impediuntur, ne ius suum petendi rescissionem testamenti exerceant. Quodsi quis tali fraude revera impedit, ne alius iure suo possit uti, ad restitutionem tenetur, iuxta sententiam communiorem et probabiliorem[2].

2. Post sententiam iudicis huiusmodi testamenta sunt invalida etiam in conscientia, immo unusquisque potest licite petere rescissionem eorum, dummodo tamen agatur de testamentis *ad causas profanas*. Ratio est, quia istae leges irritantes fundantur in praesumptione periculi communis. Porro leges fundatae in praesumptione periculi communis obligant in conscientia. Unde merito subdit Billuart[3]: «Quis est, qui restituit id, quod per sententiam iudicis obtinuit contra dispositionem testamenti alteriusve contractus minus sollemnis?»

3. Si agitur de testamento *ad causas pias*, valde controvertitur, num valeat in conscientia, etiamsi sententia iudicis civilis illud propter defectum irritaverit. Sententia communior affirmat, quia Ecclesia habet ius acquirendi bona temporalia independenter a gubernio civili. Confirmatur haec sententia ex c. 11, X 3, 26 et ex responsione S. Poenitentiariae supra n. 271 allata. Sententia probabilis negat, quam praecipue tenent Cardinalis d' Annibale[4], Daelman[5], Haine[6]. In praxi prudenter

---

[1] De contract. diss. 2, a. 3, § 3

[2] Cf. *Dom. Soto*, De iure et iust. l. 4, q. 5, a. 3; *Bannez*, Comm. in 2, 2, praeamb. ad q. 62; *Billuart* l. c., et inter modernos *Tanquerey*, De iust. n. 697 sqq.

[3] L. c. [4] Summula Theol. mor. II, n. 339.

[5] De iust. P. 2, q. 2. obs. 8. [6] De contract. q. 53.

dicit Kenrick[1] Archiepisc. Baltimor.: «Ceterum vix auderem denegare sacramenta nolenti ea solvere, quae legis civilis praesidio carent.» Quod quidem approbat Tanquerey[2]; Noldin[3] autem notat: «Si fideles sibi persuasum habeant, etiam testamenta et legata pia nullius valoris esse, ubi sollemnitate legis civilis carent vel a iudice rescinduntur, confessarius abstinere potest a monitione, quae magis obfutura praevidetur, ne mala fide retineant, quae bona fide possident.» — Ad maiorem vero securitatem petenda esset a S. Poenitentiaria compositio, quae, ipsa testante, facile obtinetur[4].

Acceptatio testamenti. Nemo tenetur acceptare testamentum 278
in suum proprium commodum factum. Dico autem in suum *proprium* commodum factum, nam aliquando leges civiles prohibent, ne e. g. tutores recusent testamenta facta pro pupillis suis[5]. Quando quis accepit totam hereditatem alicuius, tenetur etiam solvere *omnia debita* defuncti, quamvis ista sint ultra vires hereditatis. Ita saltem in foro externo, nam communiter auctores excusant heredem ab hac obligatione in foro conscientiae[6]. Ad evitandam autem tam duram obligationem, leges civiles solent concedere heredi universali tempus deliberandi, e. g. unum vel tres menses, an hereditatem adire velit pure vel «*sub beneficio inventarii*», i. e. non ultra debita incumbentia hereditati.

Revocatio testamenti semper libere fieri potest a testatore, nisi 279
tamen factum est sic dictum «*pactum hereditarium*»[7], quale in aliquibus regionibus viget e. g. inter maritum et uxorem, inter fratres aut sorores etc. Etiam promissio testatoris non mutandi testamentum nihil obstat mutationi rationabili; immo nec etiam iuramentum adiectum, saltem si agitur de testamento pro causis profanis. — Ex parte heredum codices civiles nonnumquam permittunt impugnationem testamenti, praesertim si caret legali forma. — *Commutari* potest testamentum defuncti vel potius eius ultima voluntas ex rationabili causa a principe civili, utpote habente dominium altum in bona subditorum, si agitur de causis mere profanis; a Summo Pontifice, si agitur de causis piis. Testamenta enim causas pias respicientes considerantur tamquam res sanctae a Deo acceptatae et aequiparantur votis et iuramentis[8]. Episcopi aliique praelati non possunt propria auctoritate mutare ultimas voluntates; possunt tamen hoc ex delegatione Summi Pontificis; possunt etiam auctoritate propria *interpretari* testamenta. Casus illi, in quibus iuxta plures auctores[9] episcopus valeret propria auctoritate commutare voluntates ultimas testatoris, iuxta hodiernam praxim non

---

[1] Theol. mor. tr. 11, n. 37.
[2] De iust. n. 700. [3] De praeceptis n. 561.
[4] Cf. supra n. 271 et «Linzer Theol.-prakt. Quartalschr.» LXV (1912) 841.
[5] Cf. Cod. civ. Germ. § 1822, 2. [6] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 1, n. 150.
[7] *Erbvertrag.* Cf. Cod. civ. Germ. § 2289 sqq.
[8] Cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 6 de reform., et c. 2, III 11 in Clem.
[9] *S. Alph.* l. c. l. 3, n. 931; *Aertnys.* Theol. mor. l. 3, n. 424; *Noldin,* De praeceptis n. 556.

possunt solvi nisi auctoritate Summi Pontificis, qui de legatis piis iudicat per S. Congr. Concilii[1]. Tales casus sunt: 1. si pecunia legata ad aliquem usum non sufficit; 2. si res legata nequeat deservire pro usu destinato ob impedimentum iuris vel facti; 3. si legatum est factum ad usum non ita necessarium; e. g. si legatum factum est pro emendo calice et calix iam non est ita necessarius, econtra ecclesia valde indiget casulis.

S. Congregatio de Prop. Fide a. 1807 totam doctrinam de commutatione ultimae voluntatis ad pias causas optime explicavit his verbis: «Commutari quidem Sedis Apostolicae auctoritate possunt fidelium voluntates, . . . sed commutationes non nisi ex iusta et rationabili causa fieri debent, ut Summus Pontifex fidelis et prudens administrator habeatur et sit. Qua lege cum Summus idem Pontifex obstringatur, *qui solus potestatem habet perficiendarum huiusmodi commutationum,* ipsius est cognoscere et iudicare de causa, quae in singulis casibus interveniat.»[2] Ex quibus verbis manifeste sequuntur duo: 1. solum Summum Pontificem posse commutare ultimas voluntates; 2. nec Summum Pontificem id valere nisi ex iusta et rationabili causa.

Nota. Episcopi sunt exsecutores testamenti in pias causas conditi etiam in favorem Regularium exemptorum[3].

4. De donatione praesumpta seu de successione ab intestato.

280 **Ius succedendi.** Ex ipso iure naturae instituente familiam derivatur ius succedendi inter parentes et filios, nisi tamen in casu particulari ob legitimam causam illi iure derogetur. — Ideo S. Scriptura filium eo ipso heredem appellat: «Quodsi filius et heres»[4]. De successione ab intestato fere idem dicendum est, quod supra n. 4 de dominio privato propositum est. Sicut dominium privatum in praesenti rerum ordine necessarium est, cum secus salus publica servari non possit, ita est etiam de successione ab intestato; nam si filii non succederent parentibus in bonis familiae, nexus et perpetuitas familiae maxime periclitaretur. Unde filii habent strictum ius, ut parentes eos alant atque eis provideant convenientem sustentationem tum quoad corpus tum quoad animam. Parentes autem peccant, si sine gravi ratione filios exhereditant. Nihilominus aliqua libertas concedenda est parentibus circa dispositionem bonorum suorum, praesertim casu, quo filii sunt immorigeri et familiae dedecus afferunt. Quae quidem libertas diversa est pro diversis regionibus. Plena est in Anglia et in pluribus Statibus Foederatis Americae, ubi parentes possunt libere disponere de omnibus bonis suis[5]. In Germania[6], in Italia[7] et in Austria[8] dimidia

---

[1] Const. «Sapienti consilio» d. 29 Iunii 1908; Acta Ap. Sedis I 11.

[2] Collect. de Prop. Fide n. 689.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 8 de reform., et *Piat*, Prael. iur. Reg. II, P. 4, c. 3, § 27. [4] Gal 4, 7.

[5] Cf. *Tanquerey*, De iust. n. 716; *Slater*, De iust. c. 6, a. 3; *Stephen*, Commentaries on the Laws of England II 194.

[6] Cod. civ. § 2203. [7] Cod. civ. a. 805. [8] Cod. civ. § 765.

pars est disponibilis. In Hispania[1] conceditur parentibus, ut disponant pro libitu de tertia suorum bonorum parte. In Gallia pars disponibilis a numero filiorum dependet: si unicus est filius, parentes possunt disponere de dimidia parte; si duo filii supersunt, de tertia parte; si tres aut plures filii adsunt, de quarta parte bonorum suorum. — De sociali utilitate ac de morali obligatione limitationis legalis in successione hereditaria non consentiunt neque iuristae neque theologi, aliis plenam testandi libertatem propugnantibus, aliis legalem reservationem defendentibus. Non vacat disputare, uter modus sit melior pro sociali utilitate[2].

Obligationes testatoris et heredum.

1. *Obligationes testatoris.* 281

a) Ex ipso iure naturali testator tenetur filiis, uxori aliisque propinquis versantibus in egestate convenientem partem fortunae relinquere. Id enim exigit virtus tum pietatis tum caritatis. Licet enim neque filii neque alii habeant strictum ius ad totam hereditatem, tamen fortuna seu dominium privatum non solum ad possessorem, sed post eius mortem aliqualiter etiam ad eius familiam pertinet. Pietas autem et caritas bene ordinata exigunt, ut homo habeat curam domesticorum praesertim egenorum. Proinde testator peccat tum contra caritatem, tum contra pietatem, tum contra iustam legem civilem, si sine sufficienti ratione heredibus necessariis subtrahat hereditatem debitam.

b) Sufficientes rationes subtrahendi partem legitimam heredibus necessariis non tantum sunt illae, quae in diversis codicibus civilibus determinantur[3], sed etiam quaelibet alia causa rationabilis; e. g. si aliquis heres necessarius est immorigerus nec ita indiget hereditate, potest testator eius partem legitimam aliunde distribuere.

c) Testator non tenetur ad restitutionem, si partem legitimam heredum necessariorum donationibus, dilapidationibus etc. subtraxerit. Ratio est, quia non laesit iustitiam commutativam.

d) Nisi adsint rationes vere graves, valde expedit, ut testator nullum heredem excludat neve quidpiam hereditatis subtrahat. Secus enim solent oriri magnae rixae et inimicitiae.

2. *Obligationes heredum.* 282

a) Heredes necessarii non possunt se occulte compensare, si eorum pars legitima a testatore diminuta fuerit. Ratio est, quia non habent strictum ius ad hanc partem legitimam. Possunt autem isti heredes adire iudicem et tunc post favorabilem sententiam iudicis obtinent strictum ius ad portionem legitimam.

b) Heredes necessarii tenentur conferre in acervum hereditatis ea bona, quae iam durante vita testatoris acceperunt, nisi tamen ista bona receperint titulo prorsus gratuitae donationis. In praxi attendendae

---

[1] Cod. civ. a. 2303. [2] *Tanquerey* l. c. n. 719.

[3] Cf. Cod. civ. Germ. § 2339 sqq; Cod. civ. Helv. a. 477; Cod. civ. Gall. a. 725 sqq.

sunt tum leges patriae, tum legitimae consuetudines, tum intentio testatoris. Hinc non potest generali regula determinari, num expensae pro studiis, pro militia, pro nuptiis et dotibus conferendae sint in acervum hereditatis, necne. Valde conveniens est, ut heredes aequali necessitudine cum testatore coniuncti etiam aequalem partem hereditatis obtineant, nisi obstet expressa voluntas testatoris.

§ 3.

De commodato, precario, deposito, sequestro, mandato et de negotiorum gestione.

283 De omnibus istis contractibus gratuitis bilateralibus brevissime agimus, quia sufficit confessario applicare principia data de contractibus in genere.

Commodatum[1] est alicuius rei non fungibilis ad solum et determinatum usum certumque tempus gratuita concessio. Si pro illa concessione exigitur pecunia, tunc iam est contractus onerosus et potius locatio vocatur[2].

Precarium est idem ac commodatum, cum hac differentia, ut in precario contractu res commodata potest quolibet momento ad libitum repeti, cum in commodato hoc non permittatur nisi elapso tempore stabilito[3].

Depositum[4] est contractus, quo res mobilis alicui gratis custodienda traditur ea conditione, ut ad arbitrium depositoris reddatur. Iuxta modernam praxim res custodienda saepe non recipitur gratis, sed exigitur aliqua recompensatio pro custodia[5]. Servandae sunt leges positivae, praesertim si agitur de sarcinis depositis in emporiis viae ferreae, de rebus commissis cauponibus, de actionibus et obligationibus depositi in aliqua Banca etc.

Generatim dici potest:

1. Depositarius, i. e. is, apud quem res deponitur, debet rei depositae eam curam gerere, quam homines prudentes et timorati de tali re habent.

---

[1] *Leihvertrag, prêt à usage, commodat, loan.*

[2] Cf. Cod. civ. Germ. § 598 sqq.

[3] Precarium definitur in iure Romano (L. 1 Dig. de precario): est id, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur. In hodiernis iuribus precarium non solet considerari ut contractus distinctus a commodato. Precarium non est confundendum cum precaria iuris canonici. Precariae enim seu precaria in singulari numero est contractus iure canonico introductus, quo alicui ad preces et plerumque causa remunerationis ususfructus alicuius praedii vel alterius rei ecclesiasticae immobilis ad dies vitae vel ad aliud tempus conceditur, ea lege, ut singulis quinquenniis renovatio huius concessionis seu contractus petatur (c. 1, 2, X 3, 14; cf. *Ferraris*, Prompta Bibl. s. v. «Precarium» n. 11). Precariae istae sunt praecursores beneficiorum ecclesiasticorum. Praecariae tamen nonnumquam etiam laicis concedebantur (cf. *Wetzer* et *Welte*, Kirchenlexikon, s. v. «Precarium»).

[4] *Verwahrungsvertrag.*

[5] Cf. Cod. civ. Germ. § 688 sqq; Cod. civ. Gall. a. 1917 sqq.

Quodsi hoc non facit, ad damnum forte ortum reparandum cogitur a iudice competenti, immo etiam ante sententiam iudicis obligatur, saltem si eius negligentia fuit graviter culpabilis.

2. Re deposita uti nequit depositarius sine licentia deponentis sive expressa sive saltem prudenter praesumpta. Per se patet; etenim non licet uti re aliena sine licentia domini. Quodsi depositarius illicite usus fuerit re deposita (e. g. pecunia ad negotiationem) et exinde lucrum ceperit, videndum est, utrum tale lucrum sit fructus industrialis, an fructus civilis aut naturalis rei depositae. Si fuerit fructus industrialis, potest lucrum sibi retinere; secus debet illud domino restituere iuxta adagium: «Res fructificat domino.»[1]

Sequestrum est species depositi; est enim contractus, quo res *litigiosa* deponitur apud tertium, ea lege, ut lite dirempta victori restituatur[2].

Mandatum[3] est contractus, quo unus suscipit negotium nomine alterius gerendum. Quamvis iste contractus natura sua sit gratuitus, plerumque tamen pacta mercede initur.

Negotiorum gestio[4] est quasi-contractus, quo quis alterius negotium sine mandato expresso quidem, sed ex praesumpta voluntate domini absentis suscipit. Negotiorum gestio nihil aliud est nisi mandatum praesumptum. Locum habet, si quis invenit rem, quam tenetur inventor fideliter custodire ex praesumpta voluntate domini legitimi, usque dum iste appareat et omnes expensas necessarias solvat[5].

§ 4.

De mutuo et usura.

Praenotamen. Doctrina de mutuo et usura hodie fere nullam difficultatem practicam pro confessario habet. Proinde breviter de hac re tractamus insinuantes summaria capita huius doctrinae. Fere innumera opera scripta sunt de mutuo et usura. Inter modernos moralistas Tanquerey[6] sufficientissime de hac re egit.

Mutuum[7] *est contractus, quo rei primo usu consumptibilis et* 284
fungibilis dominium alteri traditur, cum obligatione, ut res similis, i. e. eiusdem valoris, suo tempore reddatur.

Dicitur: «rei primo usu consumptibilis et fungibilis», ad distinguendum mutuum a commodato et locatione, in quibus res non consumptibilis datur cum obligatione reddendi eandem rem *in individuo*. Mutuum item distinguitur a deposito aliisque contractibus in paragrapho praecedenti enumeratis ob eandem rationem, et insuper quia res mutuata

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 748; Cod. civ. Gall. a. 1936.
[2] Cf. Cod. civ. Gall. a. 1955 sqq. [3] *Vollmacht.*
[4] *Vertretung ohne Vollmacht.* [5] Cf. supra de inventione n. 48.
[6] De iust. n. 864—906. [7] *Darlehensvertrag.*

sub hac sua individuali forma statim transit in dominium recipientis, quod non accidit in contractibus commodati, depositi etc.

Obiectum igitur mutui est res primo usu consumptibilis et fungibilis, e. g. vinum, oleum et praesertim *pecunia*. Omnis autem talis res est infructuosa in se. Fructifera potest esse res aliqua: 1. naturaliter, ut arbor producit fructus; 2. artificialiter seu industrialiter, ut mercator ope pecuniae emit merces, ex quarum venditione facit lucrum; 3. civiliter, ut domus locata producit pretium locationis. Cf. supra n. 208.

285 **Usura** definitur a S. Thoma: «*Acceptio pretii pro usu rei mutuatae*»[1], vel obiective consideratum: «Pretium usus rei mutuatae». Latius hanc definitionem explicat Concilium Lateranense V, sess. 5: «Ea est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foetusque conquiri studetur.» — *Essentia igitur usurae consistit in acceptione lucri ex puro mutuo.* Si enim lucrum accipitur ratione alterius tituli extrinseci, e. g. damni emergentis, periculi etc., non est usura. Pariter non est usura, si lucrum ex mutuo quidem accipitur, sed titulo gratuito et non oneroso[2].

Quamvis secundum vim nominis non distinguantur usura et foenus, tamen claritatis causa melius est, ut usura semper sumatur in malam partem; foenus autem (vel interesse, vel auctarium) in bonum sensum. *Usura* igitur est aut lucrum ex puro mutuo, aut lucrum *excessivum*[3] perceptum ex pecunia commodata, e. g. 60 %. *Foenus* autem est lucrum licite perceptum ex mutuo. — Foenus distinguitur aut *legale*, quod a lege patriae determinatur; aut *vulgare*, quod ex communi usu in aliquo negotio constituitur; aut *conventionale*, quod ex conventione mutuantis et mutuatarii definitur. Foenus legale et vulgare censetur esse iustum. Foenus autem conventionale non est iustum, nisi visis circumstantiis locorum, temporum et personarum respondeat lucro cessanti et periculo sortis, quod mutuans pati debeat. Alia mensura magis exacta non potest dari de quantitate foeneris. S. Poenitentiaria d. 18 Apr. 1889[4] respondit ad quaesitum, num liceat 8 vel 10 % foeneris percipere: «Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae periculosum sit, Ven. in Christo Pater Episcopus orator in singulis casibus rem decernat iuxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.» — Puto nostris temporibus *sub conditionibus ordinariis* foenus excedens 10 % esse usurarium ac iniustum[5], quia multum excedit quantitatem, quae in publicis institutis nummulariis (vulgo *Bank*) statuitur. Exinde tamen nolo condemnare actiones societatum industrialium, quae 30 % aut etiam 50 % dant, annuatim, quia tale auctarium non est foenus proprie dictum, sed fructus commercii facti.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 78, a. 1. [2] Cf. *Billuart*, De contract. diss. 4, a. 1 et 2.
[3] *Wucherzins*. [4] Collect. de Prop. Fide n. 1702.
[5] Fere idem docet *D'Annibale* (Summula Theol. mor. II 535): «Regulariter non immodicas esse dixerim usuras septunces; immodicas supra decunces.»

Principium. *Usura proprie dicta est contra ius positivum divinum, ecclesiasticum et naturale.* 286

Ita sententia communissima, cui fere solus D'Annibale[1] contradixit his verbis: «Nullo manifesto, seu naturali, seu divino iure constat, usuras per se illicitas, aut alias vetitas esse. Quin potius ex ratione agendi Ecclesiae catholicae contrarium conicitur.»

Prob. 1. Est contra *ius positivum divinum.* Ex multis textibus S. Scripturae[2] tantum duos eligimus. Dicitur in Psalmo 14: «Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?» Respondetur inter alios: «Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.» Ergo usura excludit a caelo. In Evangelio[3] dicitur: «Mutuum date, nihil inde sperantes.» De sensu huius loci videsis Billuart[4].

Prob. 2. Est contra *ius ecclesiasticum.* Sunt quinque Concilia oecumenica, quae prohibuerunt usuram, scil. Concilia Lateranensia III, IV et V; Concilium Lugdunense II et Concilium Viennense[5]. Pariter Sixtus V reprobavit «usurarum voraginem, Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam et christianae caritati contrariam». Alexander VII proscripsit propositionem (42): «Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.»[6] Cf. etiam propositiones 41 et 42 damnatas d. 2 Martii 1679 ab Innocentio XI[7]. Praesertim autem Benedictus XIV Encyclica sua «Vix pervenit» d. 1 Nov. 1745 certam de usuris doctrinam constituit[8].

Prob. 3. Est contra *ius naturale.* Unde S. Thomas dicit: «Accipere usuram pro pecunia mutuata est *secundum se* iniustum»[9]; probat autem istam thesim hoc modo: Contra iustitiam ac proinde contra ius naturale est vendere id, quod non est, aut vendere bis idem. Atqui usurarius facit hoc. Ergo peccat contra iustitiam et ius naturale, ac proinde ad restitutionem tenetur. Maior patet. Prob. Min. In rebus fungibilibus et primo usu consumptibilibus, quae sunt proprium obiectum usurae, ipsae res earumque usus sunt moraliter idem. Unde sicut plane ridiculum et iniustum foret, si mercator, postquam vinum vendidit pretio iusto, vellet insuper vendere usum seu consumptionem vini, ita iniuste ageret, si quis reclamaret praeter vinum mutuo datum aliquid aliud pro usu istius vini. Ceteroquin pecunia, de qua praecipue est usura, manifeste non distinguitur moraliter ab eius usu. Ergo nihil peti potest pro usu pecuniae mutuatae, et si nihilominus aliquid acceptum est, debet restitui.

Etsi autem usura numquam licita esse potest atque mutuum proprie 287
dictum semper debet esse gratuitum, tamen adsunt *causae extrinsecae*, propter quas exigi potest in contractu mutui aliquod auctarium seu foenus. Iam S. Thomas[10] tales causas enuntiat, et Benedictus XIV[11] hoc expresse docet. Solent quattuor causae seu tituli enumerari: 1. periculum sortis, 2. poena conventionalis, 3. lucrum cessans seu damnum emergens, 4. lex civilis seu praemium legale.

---

[1] L. c. n. 533.

[2] E. g. Ex 22, 25; Lv 25, 35—37; Dt 23, 19 sq; Ez 18, 8 et 13.

[3] Lc 6, 34. [4] L. c.

[5] Textus citantur a *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1302.

[6] *Denz.* n. 1142. [7] *Denz.* n. 1191 sq.

[8] *Denz.* n. 1475 sqq, vel melius in Instructione S. C. de Prop. Fide a. 1873, ubi complura decreta de usura afferuntur.

[9] S. theol. 2, 2, q. 78, a. 1. [10] Ib. [11] L. c.

1. **Periculum sortis**[1] est *speciale* (non generale) periculum, quo prudenter timetur, ne mutuans rem suam non recuperet. Tale periculum saepe adest, praesertim si quis committit pecuniam suam quibusdam institutis nummulariis vel debitoribus parum securis. Patet propter tale periculum posse accipi aliquod foenus[2].

2. **Poena conventionalis** constituitur pro casu, quo mutuatarius ex culpabili mora redditionem sortis ultra stipulatum tempus culpabiliter differat. Ut ista causa sit sufficiens et iusta, requiritur, ut poena imposita sit moderata et dilatio solutionis revera culpabilis.

3. **Damnum emergens seu lucrum cessans.** Quidam auctores separatim agunt de istis, sed revera omne lucrum cessans est damnum emergens et vice versa. Lucrum cessans est defectus alicuius lucri *proxime* sperati, quod mutuans certo habuisset, si pecuniam mutuatam aliis usibus obviis deputasset. Damnum vero emergens est positivum detrimentum, quod mutuans subire debet propter contractum mutui. Etiam istas causas sufficere ad exigendum proportionatum foenus in mutuo, per se patet et ab omnibus hodie admittitur[3].

288 4. **Praemium legale seu lex civilis.** Inde a saeculo XVII acriter disputatum est, num lex civilis valeat, deficientibus aliis titulis, licitam reddere usuram. Neque hodiedum controversia cessavit, neque Ecclesia illam authentice diremit. Tamen sententia affirmans videtur esse probabilior et conformior responsis S. Officii et S. Poenitentiariae. Ad dubium: «An poenitentes, qui moderatum lucrum *solo legis titulo* ex mutuo, dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis», respondit S. Officium d. 17 Ian. 1838: «Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.» — In eundem sensum pluries responsum fuit a S. Poenitentiaria, e. g. 14 Aug. 1831; 11 Nov. 1831; 11 Febr. 1832; 23 Nov. 1832[4]. S. Congregatio de Propaganda Fide colligens fere omnes resolutiones S. Congregationum usque ad a. 1873 emanatas in haec verba concludit: «*Deficientibus licet aliis quibuslibet titulis . . . unum quoque legis civilis titulum ceu sufficientem in praxi haberi posse*, tum a fidelibus, tum ab eorum confessariis, quibus proinde suos poenitentes hac

[1] Sors est idem quod hodie vulgo dicitur «capitale».

[2] Ita etiam declaravit S. C. de Prop. Fide a. 1645 (Collect. de Prop. Fide n. 117 ad 3).

[3] Veteres auctores valde subtiliter disputabant de istis duobus titulis mutui. Cf. *Caietanum*, Comm. in 2, 2, q. 78, a. 2. Immo nonnulli dubitabant, num S. Thomas admittat lucrum cessans ut titulum sufficientem mutui. Hodie istae disputationes sunt parvae utilitatis practicae, cum in mutuatione pecuniae semper adsint sufficientes tituli foeneris moderati. Optime de singulis titulis foeneris disserit *Billuart*, De contract. diss. 4, a. 5. A *D'Annibale* (Summula Theol. mor. II, n. 531) prorsus immerito citatur *S. Thomas* (De malo q. 13, a. 4 ad 14), quasi nec damnum emergens esset titulus sufficiens pro foenere accipiendo.

[4] Cf. *Denz.* n. 1612 et nota 1.

super re inquietare non licet, donec quaestio haec sub iudice pendeat, nec S. Sedes ipsam explicite definierit.» [1]

Ratio est, quia supremo legislatori *vi dominii alti* seu ratione boni publici competit ius transferendi proprietatem istius auctarii a mutuatario in mutuantem, idque eo vel magis, quod subditi sponte consentiant. Et revera hodiernis temporibus mercatura esset impossibilis, si auctarium seu foenus non permitteretur. — Alii auctores [2] aliter processerunt. Etenim hodiernis temporibus auctarium seu foenus fere unice exigitur et accipitur pro *pecunia* mutuata. Porro pecunia hodie non est prorsus sterilis, sed revera frugifera. Sane pecunia non parit pecuniam, sicut vacca parit vitulum; sed sicut domus locata producit lucrum, ita etiam pecunia mutuo data. — Praeterea pecunia hodie est principale instrumentum negotiationis atque statim et absque ulla difficultate converti potest in res fructiferas. Unde contractus, quo pecunia alteri traditur sub conditione legitimi foeneris, iam non est proprium mutuum aut usura, in quibus res sterilis traditur, sed contractus sui generis. Proinde gravissimae prohibitiones latae contra usuram iam non possunt applicari pecuniae mutuatae. In praxi igitur omnes (sive clerici sive laici) possunt tuta conscientia moderatum foenus percipere ex pecunia mutuata, ita ut numquam adsit obligatio restitutionis foeneris percepti. Quodnam autem sit foenus moderatum, pendet ex periculo sortis, lucro cessante et damno emergente. Quare in regionibus, ubi adest taxa legalis vel consuetudo admissa, huic standum est. Immo aliquid amplius accipi potest, si pecunia traditur illis societatibus, quae vulgo vocantur *Aktiengesellschaften*. Numquam autem licet abuti indigentia mutuatarii ad extorquendum foenus immoderatum, cum secus laedatur tum iustitia tum caritas [3].

---

[1] Collect. de Prop. Fide n. 1393.

[2] *Lehmkuhl* (Theol. mor. I, n. 1313), *Weiß* (Apologie des Christentums IV 794 sqq), *Tanquerey* (De iust. n. 902).

[3] Cum antiquis temporibus graves poenae statutae fuerint contra quamcumque usuram, nonnulli conabantur eludere has poenas per usuram palliatam ineundo contractum trinum aut contractum «Mohatra». *Contractus trinus* est unus contractus associationis et duplex contractus assecurationis. E. g. Petrus petit a Paulo 10 000 francos ad negotiationem aliquam peragendam, promittens illi partem lucri, scil. 1000 francos. En contractus associationis. Petrus enim et Paulus faciunt negotiationem, in qua Petrus pecuniam et Paulus operam praestat. Facto hoc contractu, Paulus, qui timet periculum *sortis*, offert Petro 300 francos, ut velit sortem assecurare. En primus contractus assecurationis. Paulus insuper timens de *lucro* offert Petro adhuc 200 francos, ut velit etiam lucrum assecurare; quod et fit. En secundus contractus assecurationis, quocum perfectus est contractus trinus. Paulus igitur recipit pro 10 000 francos mutuo datis 500 francos seu 5 %. — *Mohatra* est species emptionis ad palliandam usuram. En exemplum: Petrus petit a Paulo 1000 francos. Paulus respondet se non posse hanc pecuniam neque gratis mutuare neque cum usura quippe quae graviter prohibita sit; sed proponit hunc agendi modum: Vendo tibi equum meum pro 1100 francos et tu das mihi syngraphum, in quo promittis, te post annum soluturum esse hanc summam. Statim tu mihi retrovendis equum pro 1000 francos; qualem summam tibi trado. Petrus igitur habet 1000 francos petitos, sed post annum debet solvere 1100 francos seu 10 % pro pecunia mutuata. Innocentius XI d. 2 Martii

289 **Scholion. De montibus pietatis, de arcis parcimoniae et mensis nummulariis** occasione mutui aliquid dicendum est.

Mons pietatis est cumulus pecuniarum aliarumve rerum mutuabilium ad id collectus, ut pauperes, dato pignore et moderato foenere, ex eo accipere mutuo possint, quae sibi sunt necessaria. Hodie vocantur *Pfandhäuser, pawnshop, mont de piété.* Montes pietatis primo Urbeveteri vel Perusiae erectos approbaverunt Concilium Lateranense V[1] et Tridentinum[2]. Tunc temporis fuerunt in sublevamen pauperum, cum non exigeretur nisi valde moderatum foenus; nunc vero, cum isti montes pietatis saepe transierunt ad homines privatos, cumque foenus postulatum non raro sit excessivum, propter varias rationes montes pietatis aliquando potius sunt montes iniquitatis. Valde desiderandum est, ut gubernium sedulo observet huiusmodi instituta.

Arcae parcimoniae *(Sparkasse, caisse d'épargne, savings-bank)* sunt institutae vel a municipiis vel ab hominibus privatis ad recipiendas pecunias (non ita magnae quantitatis) et ad solvendum foenus conveniens pro pecunia recepta. Finis istorum institutorum est fovere parcimoniam, praesertim hominum mediocris fortunae; quod sane est optimum. Licet ponere pecuniam in istis arcis parcimoniae, ut expresse declaravit S. Poenitentiaria d. 25 Febr. 1836.

Mensae nummulariae *(Bank, banque, bank)* ubique terrarum exsistunt et valde inserviunt commerciis diversi generis. Attamen, experientia comprobante, etiam haud parva incommoda et damna producere possunt. Cum non raro accidat, ut sacerdos, praesertim si est parochus, pecunias administrare debeat, aut eius consilium petatur in rebus pecuniariis, valde utile erit, si conetur cognoscere diversas species bancarum. Iuxta modernam praxim omnes (etiam sacerdotes) possunt pecuniam collocare in istis bancis atque tum «actiones» tum «obligationes»[3] emere, dummodo evitentur scandalum et proprie dictae speculationes bursae. Num autem pecunia *pertinens ad ecclesias aliasque causas pias* possit collocari in arcis parcimoniae aut in bancis, pendet tum ex conditione istorum institutorum, tum ex statutis particularibus ecclesiasticis.

ARTICULUS II.

De contractibus onerosis commutatoriis.

Explicatis contractibus (et actibus) gratuitis, accedimus ad contractus onerosos, et quidem primo ad contractus onerosos commutatorios. Sunt autem quamplurimi contractus onerosi, quorum omnium tamen cognitio perfecta non est ita necessaria pro confessario. Principaliores sunt: emptio et venditio, locatio et conductio. De illis specialiter agemus addentes tamen per modum Scholii aliquid de quibusdam aliis contractibus onerosis commutatoriis seu certi eventus.

§ 1.

De emptione et venditione in genere.

290 **Definitio.** Emptio definitur in iure Romano: «pactio pretii pro merce»; venditio vero: «pactio mercis pro pretio»[4]. Sunt ergo emptio

1679 damnavit propositionem (40): «Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri» (*Denz* n. 1190).

[1] Sess. 10. [2] Sess. 22, c. 8 sq de reform.

[3] Cf. S. Offic. d. 15 Apr. 1885. [4] Ex L. 5, § 1, D. 19, 5.

et venditio duo contractus correlativi unum integrum conficientes, qui dicitur «emptio-venditio», et definiri potest: *contractus onerosus mutuo consensu constitutus dandi mercem pro pretio determinato et pretium pro merce.* — Ad contractum igitur emptionis et venditionis tria requiruntur: mutuus consensus ementis et vendentis, res tamquam merx et pretium, quod pecunia mensuratur. Pecunia, quae in regionibus civilizatis hodie auro, argento etc. perficitur, antiquis temporibus constituebatur multis aliis rebus, e. g. pecoribus, pellibus, ebore, conchis etc. Pecunia igitur est medium ex universali conventione statutum ad permutationes dominii peragendas [1]. — Mutuus consensus, qui in isto contractu transfert dominium tum rei tum pretii, ex iuribus civilibus aliquando sub determinata forma exprimi debet. Secus contractus censetur nullus.

Ex *iure naturali* venditio est perfecta statim, ut inter partes conventum est de re tradenda et de pretio solvendo. Ante *realem* vero rei traditionem consensus non producit eosdem effectus in diversis iuribus positivis. In iure Germanico [2] et Austriaco [3] dominium rei per solam *traditionem* transfertur in emptorem, qui ante traditionem habuit solum *ius ad rem* ac proinde actionem personalem in venditorem. Econtra in iure Gallico [4], Hispanico [5], Italico [6], Anglico et Americano Septent. [7] dominium rei emptae eiusque periculum ac commodum iam *per solum consensum* partium transit in emptorem. Dantur tamen exceptiones, quae videri possunt locis citatis.

Claritatis causa nunc separatim agemus 1. de re vendibili seu merce et obligatione venditoris, deinde 2. de pretio ac obligatione emptoris, et ultimo in propria paragrapho de quibusdam venditionibus in specie.

1. De merce et obligatione venditoris.

Obiectum venditionis potest esse quaecumque res pecunia 291
aestimabilis, et propria vendentis, nisi tamen specialis prohibitio iuris positivi adsit. Dicitur 1°: «quaecumque res pecunia aestimabilis», sive illa res sit corporea, sive incorporea (ut ius nobilitatis). Non licet emere aut vendere pretio temporali res spirituales; hoc enim esset simonia. Debet autem res aestimari *pecunia*, quia secus iam non habetur venditio proprie dicta, sed permutatio. Unde si quis dat e. g. decem oves pro equo, est potius permutatio quam venditio. Accurate distinguendi sunt hi tres contractus: permutatio, emptio-venditio, cambium. Etenim si una res traditur pro alia, habetur permutatio; si res traditur pro pecunia tamquam pretio, habetur emptio-venditio; si una species pecuniae traditur pro alia, habetur cambium. — Dicitur 2°:

---

[1] Angelicus Doctor (lect. 9 in lib. 5 Ethic.) optime explicat post Aristotelem, quomodo pecunia et quidem numisma non solum sit medium aptum ad permutationes dominii peragendas, verum etiam quomodo sit *mensura valoris* singularum rerum.

[2] Cod. civ. § 446. [3] Cod. civ. § 1053. [4] Cod. civ. a. 1583.

[5] Cod. civ. a. 1452 1468. [6] Cod. civ. a. 1448.

[7] Cf. *Tanquerey*, Suppl. p. 21 sqq.

«propria vendentis». Itaque venditio rei alienae est irrita; confer tamen leges civiles aliquando aliter statuentes, prout supra n. 213 dictum est de possessore bonae fidei. Istae leges observari possunt etiam in foro conscientiae. Non requiritur autem, ut vendens *actu* possideat rem; sufficit, ut illam habeat in *spe*, e. g. frumenta, quae adhuc sunt in herbis. Fere ab omnibus autem iuribus modernis prohibetur, ne heres vendat *hereditatem futuram*, quia talis contractus censetur turpis, utpote inducens desiderium mortis testatoris [1]. — Dicitur 3°: «nisi tamen specialis prohibitio iuris positivi adsit». Nonnullae enim res non possunt vendi, salvo bono communi, e. g. quaedam arma, venena, aut etiam picturae pretiosae etc.

292 **Obligationes venditoris.** 1. Venditor non debet exigere pretium iniustum, de quo infra dicetur.

2. Venditor ex iure naturali tenetur manifestare emptori defectus *substantiales* rei vendendae. Ratio est, quia secus consensus emptoris erit irritus, ac proinde totus contractus invalidus. Quoad defectus vero *accidentales* distinguendum est: si emptor expresse interrogat de istis defectibus, venditor tenetur respondere secundum veritatem, vel saltem declinare responsionem dicendo, e. g. vendo rem in eo statu, quo nunc est. Tunc enim emptor potest sibi cavere; quod si non facit, damnum portare debebit. Sin autem emptor non quaerit expresse de istis defectibus, tunc venditor eum non potest fraudibus inducere in errorem illique sic causare magnum damnum; tenetur igitur manifestare defectus *prorsus occultos*, qui rem notabiliter minuunt, non autem debet indicare defectus, quos quilibet prudens facile detegere potest. Optime de hac materia docet S. Thomas [2]: «Circa rem, quae venditur, triplex defectus considerari potest: Unus quidem secundum *speciem rei*, et hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione; unde venditio illicita redditur.... Alius autem defectus est secundum *quantitatem*, quae per mensuram cognoscitur, et ideo si quis scienter utatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, et est illicita venditio. Unde dicitur [3]: ‚Non habebis in sacculo diversa pondera, maius et minus; nec erit in domo tua modius maior et minor', et postea subditur: ‚Abominatur enim Dominus eum, qui facit haec et aversatur omnem iniustitiam.' — Tertius defectus est ex parte *qualitatis*, puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum; quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione, unde est illicita venditio. Et in omnibus talibus non solum aliquis peccat iniustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur.» — Ut ex allato exemplo animalis infirmi patet, Angelicus Doctor loquitur de qualitate redundante in substantiam; sin autem agitur de qualitate revera accidentali, gravis obligatio restitutionis non adest.

[1] Cf. Cod. civ. Germ. § 310 312.
[2] S. theol. 2, 2, q. 77, a. 2. [3] Dt 25, 13.

3. Venditor tenetur tradere rem *physice* vel saltem *moraliter* eam, quam emptor intendit acquirere. Dico autem: saltem moraliter eam; nam etsi res data physice non sit prorsus ea, quam emptor putavit acquirere, si tamen moraliter sit eadem, i. e. fere aeque bona et utilis emptori et pretio oblato digna, tunc non adest saltem gravis iniustitia[1]. E. g. quando hospites petunt in caupona vinum Mosellanum et caupo dat illis vinum fere aeque bonum, quod vero non crevit in ripis Mosellae, non videtur graviter laedere iustitiam, dummodo tamen pretium iustum non excedat.

4. Venditor tenetur rem venditam emptori tradere *in eo statu,* in quo erat tempore venditionis. Leges civiles solent statuere, vel contrahentes specialiter determinant, utrum venditor an emptor *fructus rei* percipiat ante traditionem; quisnam debeat ferre expensas custodiae; cuinam res pereat etc. Fideliter omnia haec statuta observanda sunt.

Scholion. De diminutione ponderis aut mensurae. S. Alphonsus[2] 293 quaerit: «An excusetur [ab iniustitia] qui utitur mensura diminuta, ut consequatur iustum pretium, alias non consecuturus ob iniustam taxam vel iniustum monopolium ementium? Valde probabiliter affirmant Lugo, Laymann, Palaus, Sporer cum Soto, Valentia et Toleto, et Salmanticenses cum Rebello, Salas et Dicastillo. Ratio, quia tunc iste vexationem suam iuste redimit.» — Quae quidem sunt intelligenda cum grano salis et nostris temporibus rarissime possunt in praxim reduci; nam dicitur in S. Scriptura: «Statera dolosa abominatio est apud Dominum.»[3] Praesertim non est sufficiens excusatio saepe a mercatoribus prolata, scil. se non posse sustinere «concurrentiam», si non diminuant pondus et mensuram. Nam nulla iniuria illis infertur ab emptoribus. Neque dicant, pondus etiam sic diminutum respondere iusto pretio. Nam licet id verum sit absolute, tamen id falsum est, postquam semel est legitime conventum de tali pretio et de tali pondere[4]. Possunt autem se defendere contra alios «competitores», accusando illos de illicitis machinationibus *(unlauterer Wettbewerb).* — Talis diminutio ponderis aut mensurae licita solummodo est a) si ita fert consuetudo universalis, atque hoc facile cognosci potest ab emptoribus; b) si emptores iniustis mediis (e. g. in sic dictis «Syndicatis»; *Boykott*) cogunt venditores ad pretium vere iniustum; quia tunc venditores possunt se defendere.

Regulae a confessario attendendae. Sunt fere innumerae fraudes, quae in venditione rerum committi solent. Ad discernendum, num ex illis commissis oriatur gravis obligatio restitutionis, confessarius attendat ad tria:

a) Utrum damnificatio sit vere, formaliter et efficaciter iniusta idque in materia gravi?

b) Utrum res vendita sit saltem moraliter eadem quam emptor putavit acquirere?

c) Quaenam sit consuetudo vigens in tali venditione?

---

[1] Cf. S. theol. l. c. ad 1.

[2] Theol. mor. l. 3, n. 822. [3] Prov 11, 1.

[4] Ita etiam *Billuart,* De contract. diss. 3, a. 3.

2. *De pretio et obligatione emptoris.*

294 **Notio et qualitas pretii.** Pretium est valor rei pecunia expressus. Undenam autem valor rei desumendus sit, non est facilis quaestio. Omnes quidem docent, pretium debere esse *iustum,* i. e. aequare saltem moraliter valorem rei. Hinc S. Thomas[1] docet: «Fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus iusto pretio vendatur, omnino peccatum est.... Emptio et venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque, dum scil. unus indiget re alterius et e converso. Quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius, et ideo debet secundum aequalitatem rei inter eos contractus institui. Quantitas autem rei, quae in usum hominis venit, mensuratur secundum pretium datum; ad quod est inventum numisma. Et ideo si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium, tolletur iustitiae aequalitas. Et ideo carius vendere vel vilius emere rem quam valeat, est secundum se iniustum et illicitum.» Angelicus autem Doctor[2] admittit, per accidens aliquando pretium posse augeri, si scil. venditor ex venditione *particulare damnum patiatur.* Econtra «si quis multum iuvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere, quia utilitas, quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum, licet possit ei vendere damnum, quod patitur. Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum iuvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare; quod pertinet ad eius honestatem.» Ita iterum S. Thomas[3], quem sequitur S. Alphonsus[4]; ideoque iuxta hos Doctores pretium iustum desumendum est 1. vel *ex valore intrinseco rei,* vel 2. *ex damno emergente, aut lucro cessante,* quod ex venditione oritur venditori. Haec sententia videtur esse omnino sequenda. Reicienda est igitur sententia paucorum theologorum docentium, pretium illud esse iustum, in quo paciscentes libere convenerunt. Nam si haec sententia esset absolute vera, tunc omnigenis fraudibus portae late aperirentur. E. g. aliquis vendens fundum situm ita, ut alius eo omnino indigeat, posset licite vendere pretio excessivo; vel aliquis posset vendere Indiano ignoranti vitreum coloratum magno pondere auri[5]. Sane licet exigere in istis et similibus circumstantiis pretium *summum.* Unde in praxi non sunt inquietandi, qui carius quidem vendunt res, quae specialem utilitatem aut voluptatem emptori praebent, dummodo neque exigant pretium prorsus excessivum neque abutantur necessitate emptoris.

295 **Distinctiones pretii.** Triplex solet distingui pretium: a) *legale,* b) *vulgare seu naturale* et c) *conventionale.*

a) **De pretio legali.** Pretium legale dicitur illud, quod auctoritate publica vel lege statutum est.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 77, a. 1. [2] Ib.
[3] Ib. [4] Theol. mor. l. 3, n. 806 sq. [5] Cf. infra de pretio iusto.

Solet adhiberi e. g. in schedulis viae ferreae, in signis postalibus, in cibis, qui ministrantur in quibusdam locis publicis, in medicinis, quae venduntur a pharmacopolis, in locatione curruum publicorum, in aliquibus monopoliis gubernii etc.

Principium. *Pretium legale observandum est in conscientia, nisi sit manifeste iniustum* (quod nostris diebus fere numquam accidit).

Ratio est, quia pretium legale statuitur ab auctoritate publica propter bonum commune. Unde qui tale pretium notabiliter laedit, ad restitutionem tenetur. E. g. aliquis auriga currus publici [1], qui exigit ab hominibus imperitis maius salarium, quam sit taxa legali determinatum, tenetur restituere (si agitur de notabili materia). Quando pretium legale statuitur non tantum in favorem ementium, sed etiam in favorem aliorum vendentium (ne scil. inordinata competitio inter illos oriatur), obligatio restitutionis oriri potest, non solum ex *aucto*, sed etiam ex *diminuto* pretio legali, quia ex tali diminutione aliis vendentibus causatur damnum iniustum. Ita sententia communis. Circa pretium legale licet aliquando epikeiam adhibere, sicut circa alias leges positivas.

b) **De pretio vulgari.** Pretium vulgare seu naturale dicitur 296
illud, quod *communi* hominum aestimatione pro locorum et temporum varietate determinatur.

Non consistit in indivisibili, sed quandam latitudinem admittit atque tres illius gradus solent assignari: *summum*, *medium* et *infimum*. Quanta sit distantia inter summum et infimum pretium, non potest regula generali determinari, sed hoc dependet ex multis circumstantiis; praesertim vero ex penuria mercis et ex multitudine ementium. Generatim dici potest pretium summum alicuius rei id, supra quod nullus probus mercator venderet illam; pretium vero infimum illud, infra quod nullus probus emptor emeret. Saltem ille excessus in pretio, qui permittit rescissionem contractus iuxta leges civiles [2], debet etiam in foro conscientiae considerari tamquam excessus supra pretium summum. Sunt tamen codices civiles, e. g. Codex Germanicus, qui numquam permittunt rescissionem venditionis ob hanc solam causam, quod de excessivo pretio conventum fuerit.

Nihilominus non licet concludere: Lex civilis non considerat tale pretium ita excessivum, ut contractum emptionis-venditionis rescindat. Ergo tale pretium est iustum etiam in foro conscientiae. Etenim Angelicus Doctor [3] docet: «Lex humana non potuit prohibere, quidquid est contra virtutem; sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quae destruunt hominum convictum; alia vero habeat quasi licita, non quia ea approbat, sed quia ea non punit. Sic igitur habet quasi licitum, poenam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus: quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum, puta si aliquis sit deceptus ultra dimidiam iusti pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium. Unde secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emptione et venditione non sit aequalitas iustitiae observata.» — S. Alphonsus [4] animadvertit, in rebus vilibus minorem latitudinem esse inter

---

[1] Vulgo *Droschkenkutscher*. Licet in isto casu sit potius excessivum locationis pretium, tamen eadem valent de locatione et venditione.

[2] In Gallia (a. 1674), si deceptio est ultra dimidium iusti pretii, in Hispania (a. 1291) ultra quartam partem Cf. Cod. Austr. § 1060; Cod. Ital. a. 1529.

[3] S. theol. 2, 2, q. 77, a. 1 ad 1. [4] L. c. n. 804.

summum et infimum pretium quam in rebus pretiosis. Hanc normam statuit: Si res valet 5, potest vendi 6 vel 4; si valet 10, potest vendi 8 vel 12; si valet 100, potest vendi 95 aut 105. Tunc autem subdit: «Villa, quae forte vendita est pro 20 mille, post annum emi poterit pro 12 mille.» — Sane haec possunt pro regula directiva haberi propter maximam auctoritatem S. Doctoris, sed neque debent neque possunt stricte et mathematice applicari in praxi.

297 **Principium 1.** *Deficiente pretio legali standum est pretio vulgari, ita ut vendere ultra pretium summum et emere infra infimum sit iniustum.*

Ratio est, quia pretium vulgare determinatur a communi aestimatione et proinde censetur iustum. Iudicium enim privatum est saepe caecum, fallax et cupiditate perversum; iudicium autem commune regulariter est prudentius et minus errori obnoxium. Ergo quando non est certior regula, scil. lex iusta positiva, sequendum est iudicium commune de pretio alicuius rei. Ita etiam expresse statutum fuit in iure Romano antiquo. «Pretia rerum non ex affectione nec utilitate singulorum sed communiter fungi» (i. e. aestimari)[1]. Quod vero istud vulgare pretium notabiliter excedit, est iniustum. Dico autem *communis* et non privata aestimatio, quia privata aestimatio non potest vulgare pretium mutare, saltem non illimitate[2]. Hinc si in aliqua regione communiter magni aestimatur aliqua res, quae in alio loco parvi aestimatur, potest in primo loco magnum pretium exigi. E. g. si communis aestimatio alicuius populi barbari magis facit pannum rubrum quam ebur, potest homo civilizatus emere ebur dando pannum rubrum.

298 **Principium 2.** *Sunt plures tituli extrinseci, ob quos licet vendere supra summum et emere infra infimum pretium vulgare.*

Quantum ad *venditionem* praecipui tituli sunt: 1. lucrum cessans et damnum emergens; 2. specialis affectus venditoris ad rem vendendam; 3. modus vendendi. — Quantum autem ad *emptionem* praecipui tituli sunt: 1. damnum emergens aut lucrum cessans ex praesenti emptione; 2. ultronea oblatio; 3. modus emendi.

De lucro cessante et damno emergente pro venditore iam supra n. 294 dictum est ex S. Thoma. De aliis titulis pauca:

Specialis affectus venditoris ad rem vendendam est ratio sufficiens ad exigendum pretium multo maius ordinario, quod solet vocari *pretium affectionis*. E. g. aliquis valde delectatur in psittaco loquente. Si nunc alius vult emere istam avem, venditor potest exigere pretium multo maius. — Communis sententia docet cum S. Thoma et S. Alphonso[3], non licere maius pretium pro re vendenda exigere ideo, quia res *emptori* et non venditori specialem utilitatem aut voluptatem affert. Ratio est, quia tunc venditor exigeret pretium pro aliquo, quod non est suum. Illa enim specialis utilitas aut voluptas emptoris non est proprietas venditoris. Hinc e. g. non licet vendere supra summum pretium aliquem agrum, qui est valde necessarius vicino ementi[4]. — Sunt vero quidam recentiores theologi (Gousset[5], Schwane[6], Marres[7], Waffelaert[8], Génicot[9], Noldin[10]), qui probabilem habent opinionem

---

[1] L. 33 D. lib. 9, tit. 2. [2] Cf. infra n. 299. [3] Cf. loca citata supra n. 294.
[4] Cf. *Lehmkuhl*, Cas. consc. I, n. 790 sqq. [5] Theol. mor. I 840.
[6] Lehre über die Verträge § 19, n. 6. [7] De iust. l. 4, n. 188.
[8] Tract. de iust. I, n. 615. [9] Theol. mor. I, n. 633.
[10] De praeceptis n. 598.

contrariam dicentes ita etiam homines timoratos agere in praxi. Solent tamen opinionem suam aliqualiter limitare. Quare Noldin[1] dicit: «omnes affirmant, id tunc tantum valere, quando emptor ex re emenda non quaerit nisi commodum vel voluptatem; eum vero iniustitiam committere, qui ideo maius pretium exigit, quia alter hac re indiget: mera enim indigentia et necessitas, quae alium cogit ad rem emendam, non est pretio aestimabilis, neque indigens excessum pretii donare censetur». — Sed etiam cum hac limitatione sententia proposita est parum probabilis. Etenim robur suum retinet ratio supra ex S. Thoma allata. Unde in istis circumstantiis licet quidem summo sed non excessivo pretio vendere rem.

Modus vendendi aliquando permittit exigere multo maius pretium, e. g. si res in parva quantitate minutatim vendi debet *(Detailverkauf)*, vel si venditur sub hasta. Praesertim in ultimo casu permittitur quodcumque pretium sive infimum sive summum, ut infra n. 300 latius explicabitur. Praeterea si solutio pretii differtur, res carius vendi; sin autem ea anticipatur, res vilius emi potest.

Tituli autem cohonestantes *emptionem* infra infimum pretium sunt:

Lucrum cessans aut damnum emergens, quod ex emptione oritur emptori. E. g. emptor non indiget re, emit autem nihilominus eam ex misericordia erga venditorem. Sic vero perdit foenus pecuniae secus habendum. Proinde potest vilius emere ad se compensandum.

Ultronea oblatio rei emendae a S. Alphonso[2] assignatur quoque tamquam titulus emendi eam vilius, iuxta adagium: «Merces ultroneae vilescunt pro tertia parte.» Signum est enim saepe, res exsistere in magna quantitate, cum econtra emptores sint pauci. Quodsi res offerantur ob *paupertatem* vendentis, emptor certo contra caritatem ageret, si vellet pretium deprimere, nisi tamen ex emptione ipsi accideret damnum emergens.

Modus emendi aliquando permittit notabilem diminutionem pretii, e. g. quando magna quantitas mercium emitur, quando res emitur sub hasta vel apud veteramentarios etc.

Quaeres. Num liceat infra pretium vulgare infimum vendere res ad emptores alliciendos, si inde alii venditores damnum patiantur? — Si non adhibeantur fraudes (e. g. adulterando merces vel diminuendo mensuram), hoc licet vel saltem non est contra iustitiam, quia unusquisque liber est vendere rem suam parvo pretio; secus autem non licet, cum tunc adhibeantur media iniusta ad causandum damnum aliorum. Nostris temporibus mercatores magni disponentes de capitali amplo saepe immoderate deprimunt pretium mercis, ut aemulos debiliores propulsent. Qui quidem agendi modus laedit caritatem, licet non adhibeantur media laedentia iustitiam commutativam.

c) **De pretio conventionali.** Pretium conventionale dicitur illud, quod libera conventione emptoris et venditoris determinatur.

Principium. *Quando deest pretium tum legale tum vulgare, res* 299
potest vendi quocumque pretio conventionali, dummodo tamen non adhibeatur fraus vel metus.

Hinc e. g. picturae pretiosae, gemmae extraordinariae, manuscripta antiqua etc. non habent pretium fixum, sed vendi possunt quocumque pretio summo. Quid autem dicendum, si res pretiosa, cuius verum pretium ignora-

---

[1] L. c. [2] Theol. mor. l. 3, n. 802.

batur ab utroque contrahente vel saltem a vendente, empta fuit pretio vili? e. g. aliquis emit vili pretio picturam, quae postea cognoscitur genuinum opus Raphael? Respondetur cum distinctione: Si uterque (vendens et emens) verum pretium rei ignoraverit, tunc iustum erit pretium illud, quod convenitur. Ita S. Alphonsus[1]. Contrarium docet Noldin[2]. Ratio autem principalis nobis videtur esse, quia tunc emens incipit rem possidere *bona fide,* et proinde habet omnia privilegia, quae lex civilis concedit possessori bonae fidei. Porro leges civiles solent in isto casu pretium conventionale ut pretium iustum admittere. — Sin autem *vendens* quidem ignoraverit, *emens* vero cognoverit verum pretium, tunc iterum distinguendum est: si res empta fuit apud *veteramentarios* vel alios mercatores, qui vi officii sui tenentur cognoscere verum pretium rerum oblatarum, tunc quodcumque pretium stipulatum est iustum. Ratio est triplex: a) sic solent permittere iusta statuta codicum civilium; b) sic fert communis sensus populi; c) nulla fit iniuria venditori, cum ille possit et debeat scire verum valorem rerum a se oblatarum. — Sin autem res empta fuit apud hominem privatum, qui ex sua simplicitate non cognovit verum valorem, tunc sententia multo melior et probabilior docet, emptionem sic factam esse iniustam et inducere obligationem restitutionis. Ratio autem est, a) quia tunc emptor abutitur simplicitate vendentis[3]; b) quia inter mercem et pretium nulla est proportio, ut supponitur. — Sin autem verus valor rei est ita occultus, ut iuxta communem cursum rerum nec a peritis in arte aestimari possit, et solum *causa extraordinaria* detectus fuerit ab emptore, tunc pretium conventionale videtur iustum, et emptor non tenetur ad restitutionem. E. g. aliquis detegit, in aliquo agro absconditum esse thesaurum, vel ibi inveniri venas metallicas; aut sub coloribus alicuius imaginis inveniri aliam imaginem valde pretiosam. In his similibusque casibus felix inventor potest esse etiam felix emptor, qui non tenetur dare nisi pretium vulgare. Ratio autem est, quia pretium iustum determinandum est iuxta aestimationem *communem* et non particularem. Porro iuxta aestimationem communem istae res non habent nisi pretium conventionale revera ab emptore datum[4]. — Communiter etiam docent theologi, *in venditione sub hasta* quodcumque pretium oblatum et acceptatum esse iustum, nisi tamen fraus adhibita fuerit, ut statim dicetur.

§ 2.

De quibusdam emptionis-venditionis speciebus.

300 1. **De venditione sub hasta.** Venditio sub hasta, quae etiam dicitur auctio, licitatio[5], est venditio, qua coram pluribus licitatoribus per praeconem res vendenda proclamatur et adiudicatur offerenti maius pretium. Est duplex: altera *voluntaria,* quae sponte fit a domino; altera *iudicialis,* quae iubetur a legitimo iudice, e. g. propter divisionem bonorum faciendam vel ad creditorum debita solvenda.

Iustum pretium in hac venditione sub hasta illud est, quod absque fraude ab ultimo licitatore offertur atque acceptatur a vendente, sive

---

[1] Theol. mor. l. 3, n. 802, nota 4. [2] De praeceptis n. 599.

[3] Cf. *Billuart,* De contract. diss. 3, a. 7; *Berardi,* Praxis Confess. II, n. 646; *Gury,* Cas. consc. I, n. 930. [4] *Noldin* l. c.; *Billuart* l. c.

[5] *Vente aux enchères, Versteigerung, auction-sale.*

sit supra summum, sive sit infra infimum pretium. Unde e. g. si aliqua pictura venditur pretio 100000 francorum, est iustum pretium; sin autem venduntur libri, quorum verum pretium est 100 franci, pro 10 francis, etiam est iustum pretium. Ratio autem est, quia tales venditiones sunt *quasi aleatoriae,* in quibus res vendenda non videtur habere determinatum pretium. Multa enim dependent a casu. Accedit etiam communis consensus populi et legislatoris, qui pretia obtenta numquam vocant iniusta, nisi adhibita fuit fraus. Fraus autem adhiberi potest tum a venditore, tum ab emptore.

Fraus ex parte *venditoris* adest, si constituat fictos licitatores, qui sine animo rem emendi, solum intendunt rei pretium augere. Nihilominus talis fraus non est gravis; nam ficti licitatores subeunt periculum pretium oblatum solvendi, sicuti veri licitatores. Solummodo adesset gravis fraus, si fictus licitator esset impos solvendi pretium oblatum. Praeterea venditor potest committere fraudes, sicut in aliis venditionibus, e. g. occultando defectus substantiales, mutando rem venditam cum alia etc.

Fraus vero ex parte *emptoris* adest, si mediis illicitis impedit alios a licitando, ita ut rem emerit infra pretium infimum. Dico autem: *mediis illicitis,* nam emptor potest adhibere media licita, e. g. hortari aut petere alium, ut a licitatione abstineat; immo potest inire pactum cum uno alterove alio emptore, ut se invicem adiuvent ad emendum pretio infimo. Ita saltem sine laesione iustitiae stricte dictae. Videtur autem laedi *caritas,* si istis mediis adhibitis venditor egenus cogitur ad res suas tradendas pro pretio insufficienti[1]. Attamen mihi videtur iniusta praxis plurium veteramentariorum, qui syndicato seu pacto inter se inito, revera moraliter *cogunt* alios ad desistendum a licitatione, et sic res emunt pretio prorsus improportionato, praesertim in venditionibus, quae instituuntur statutis intervallis a montibus pietatis. Hoc enim modo agunt: Quoties extraneus vult emere rem, licitant semper magis ac magis, ita ut iste aut desistere debeat a licitatione, aut solvere pretium revera excessivum. Eliminatis ita extraneis, offerunt pretia prorsus insufficientia. Cum autem montes pietatis debeant vendere res propositas, demum coguntur acceptare pretia prorsus insufficientia. Venditione vero finita omnes uniti in dicto syndicato inter se dividunt res emptas aut lucra obtenta.

2. **De monopolio.** Monopolium[2] est exclusiva potestas vendendi 301
certas merces uni vel paucis venditoribus tributa. Est vel legale vel privata auctoritate statutum. *Legale* monopolium est potestas vendendi certas res exclusive quibusdam tributa ab ipsa auctoritate publica. Saepissime adest et exercetur vel ab ipso gubernio[3], e. g. quantum ad vias ferreas, ad Postam, ad venditionem tabaci, salis etc., vel ab hominibus privatis ex auctoritate gubernii, e. g. venditio rerum propria arte factarum[4], venditio medicinae a solis pharmacopolis determinatis etc.

---

[1] Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1337. [2] *Alleinverkauf.*
[3] *Staatsmonopol.* [4] *Patentrecht.*

Monopolium *privata auctoritate statuitur* multis ac diversis modis, e. g. pauci homines efficiunt, ut ipsi soli certum genus mercium vendant pretio sibi placito. — Monopolium legale est legitimum, dummodo tamen intra iustos limites contineatur. Patet, quia est bonum medium acquirendi pecuniam necessariam pro gubernanda republica, et praeterea favet bono publico. — Monopolia privata per se non sunt illicita, si scil. eo fine instituuntur, ut legitimis mediis obtineatur bonum sed iustum pretium. Sin autem adhibeantur media iniusta, vel si exigatur pretium exorbitans, tunc monopolia privata sunt iniusta. Hodiernis temporibus exsistunt quam plurima monopolia privata [1], quae sibi invicem bellum indicunt. Cum in regionibus civilizatis leges non permittant nimios excessus in pretio exigendo neque media prorsus iniusta adhibenda, non constat, monopolia exsistentia esse certe iniusta, ac proinde confessarius (ordinarie saltem) non tenetur loqui de illis, nisi in casu particulari iniustitia esset manifesta [2].

302 3. **De venditione per proxenetas** [3]. Proxeneta dicitur ille, qui non nomine proprio, sed nomine alterius emit aut vendit; est igitur mandatarius, cuius proin habet iura obligationesque. Hodie emptio et venditio per proxenetas est frequentissima [4]. Vel a lege vel a libera conventione dependent iura et obligationes proxenetae. Proxenetae haud raro laedunt iustitiam commutativam eo, quod iniustis mediis tum a proprio mandante, tum ab alio, quocum contrahunt, commodum sibi comparant.

Quaeres: Possuntne opifices, e. g. sutores, cementarii etc., sibi retinere reductiones pretii (5 % vel 10 %) a venditoribus in gratiam ipsorum factas, exigentes autem plenum pretium a mandantibus suis? — Consuetudo sat universalis hoc permittit; attamen res est periculis plena, quia venditores tantum specietenus tales reductiones solent facere, revera autem diminuunt aut qualitatem aut quantitatem mercis in detrimentum emptoris.

§ 3.

De locatione et conductione.

303 **Definitio.** Locatio in genere est contractus onerosus, quo alteri pro certo pretio conceditur usus vel ususfructus alicuius rei, aut promittuntur quaedam operae vel aliquid opus. Distinguitur igitur locatio a commodato, quippe quod est contractus gratuitus.

304 **Divisio.** Locatione triplicis generis obiecta haberi possunt: *res*, e. g. domus [5]; *opus*, e. g. domus aedificanda [6], et *labor*, e. g. servitium ancillare [7]. In secundo tamen et tertio casu talis contractus potius vocatur *conductio*. De singulis agendum est separatim.

---

[1] Vulgo *Ring*, *Kartell*, *Trust*, *Syndikat* etc.

[2] Optime agit de monopolio *Billuart*, De contract. diss. 3, a. 11.

[3] *Unterkäufer*, *Makler*, *Sensal*, *courtier*, *commissionnaire*. [4] *Agenturgeschäfte*.

[5] *Mietvertrag*. [6] *Arbeitsvertrag*, *Lohnvertrag* [7] *Werkvertrag*.

1. **De locatione rerum.** Contractus locationis similis est emptioni-venditioni. Locans enim vendit et locatarius emit usum aut usumfructum alicuius rei, e. g. domus, praedii, equi etc. Proinde fere eadem principia valent de locatione, quae supra n. 294 de emptione-venditione indicata sunt. Praeterea leges civiles solent valde accurate determinare tum locatoris tum locatarii iura et obligationes, quibus legibus utpote iustis in conscientia oboediendum est.

2. **De locatione operis faciendi.** Opus hic dicitur, quidquid aliquis faciendum suscipit, e. g. domum aedificare, vestem conficere, et generatim omnia, quae vocantur *Akkordarbeiten, contrat d'entreprise.* Quod fieri potest duplici modo: scil. ut susceptor operis[1] vel operam suam tantum praestet, vel simul operam et materiam. In secundo casu haec locatio est revera aliqua species venditionis. In locatione operis faciendi pretium statuitur pro opere *perfecto;* attamen si agitur de magnis operibus faciendis, e. g. de ponte viae ferreae construendo, tunc pretium partiale haud raro solvitur iam post partialem operis perfectionem. Aliquando opus perficiendum publice denuntiatur cum omnibus conditionibus et circumstantiis; varii susceptores ad concurrendum invitantur eo pacto, ut res conficienda committatur ei, qui pro minore pretio opus perficere spoponderit. Aliquando tamen non est nisi conventio privata. In utroque autem casu susceptor operis tenetur rem eo modo eoque tempore conficere, ac stipulatum est. Praesertim non debet adhibere materiam viliorem neque cum minore diligentia opus perficere; secus ad restitutionem obligatur, si notabile damnum causavit illi, qui opus commisit. Cum iste contractus sit quadamtenus aleatorius, susceptor operis tenetur omnes conditiones initas adimplere etiam casu, quo non obtineat pretium conveniens. Si tamen inopinate accidant casus impraevisi, reddentes opus perficiendum multo difficilius, e. g. terrae motus, fulgura, epidemia etc., tunc non tantum conveniens, sed etiam iustum est, ut novus contractus iniatur. Ceterum observanda sunt statuta legis civilis.

3. **De locatione laboris.** Haec locatio etiam conductio vocatur seu contractus laboris, et est contractus, quo unus se obligat ad certum laborem praestandum, alius autem ad dandam mercedem determinatam pro hoc labore. — Obiectum igitur huius contractus est *labor personalis,* seu potius vis operativa[2], quam unus alteri locat pro determinato tempore. Huc spectat conductio famulorum, opificum, medicorum etc.

De natura et indole huius contractus non concordant iuristae et oeconomistae; alii volunt, esse veram locationem, scil. virtutis operativae; alii opinantur, esse venditionem, qua opifex vendit opera sua pretio determinato; alii docent, contractum laboris nihil aliud esse nisi contractum *societatis,* in quo dominus suum «capitale» et operarius suas operas confert ad commune opus perficiendum ac proinde etiam

---

[1] *Entrepreneur, Unternehmer.* [2] *Arbeitskraft.*

ad lucrum ex opere perceptum dividendum. Quae quidem ultima sententia prima fronte considerata optima videtur; sed revera non est nisi utopia, quae non potest in praxim deduci. Etenim domini non tantum pecuniam conferunt, sed etiam intelligentiam (communiter saltem superiorem) et plures operas. Praeterea coguntur exponere maximis periculis propriam fortunam et saepe per sat longum tempus laborant sine omni emolumento, immo cum damno. Econtra opifices nullum periculum incurrunt, et quotidianum salarium recipere debent. Esset igitur iniquum, si in rebus secundis haberent opifices partem proportionatam lucri; in rebus vero adversis dominus solus deberet portare totum damnum. — Alii demum docent, contractum laboris reduci ad contractum innominatum: facio ut des et do ut facias. — In tanta diversitate opinionum tamquam principium retinenda est doctrina Leonis XIII[1]: «Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata. Deinde ut sit *necessarius*, ob hanc causam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet.» — Ex quibus verbis clare apparet, laborem non posse unice haberi tamquam *mercem*, sine ulla relatione ad personam, sed esse considerandum, ut legitimum (et saepe unicum) medium, quo opifex sibi suisque vitam tueri possit. Quae si prae oculis habentur, quaestio de iusto salario facilius solvi potest.

305 **Obligationes dominorum** oriuntur tum ex iustitia, tum ex caritate.

Ex iustitia domini obligantur:

1. *Aequum salarium* statuto tempore solvere. Unde Leo XIII[2] dicit: «Fraudare quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e coelo ultrices clamore devocat: ‚Ecce merces operariorum, . . . quae fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.'» — Quodnam autem salarium sit iustum, infra n. 308 dicetur.

2. *Vereri operarios* tamquam humana dignitate praeditos atque illos non habere sicuti vilia mancipia, quemadmodum factum fuit a paganis, testante Cicerone ac dicente: «Illiberales et sordidi quaestus mercenariorum omniumque, quorum operae, non artes emuntur.»[3] — Unde dominus ex iustitia tenetur concedere tempus sufficiens, ut operarius tamquam homo vivere queat; scil. vacando officiis religiosis, curam domesticam habendo etc.

3. Item «*non plus imponere operis*, quam vires [operariorum] ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat». Nam «tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio, unaque corpus defatigationi succumbat, non iustitia, non humanitas patitur». Ita Leo XIII[4].

---

[1] Encycl. «Rerum novarum» 15 Maii 1891.
[2] Ib. [3] De offic. 4, 42. [4] L. c.

Praesertim mulieribus et pueris non sunt imponendi nimis graves labores. Feliciter in pluribus civitatibus exsistunt leges saluberrimae limitantes laborem mulierum et puerorum, sicut etiam generatim tempus et modum laboris [1].

Ex caritate domini tenentur:

1. Benigne tractare operarios illisque in necessitatibus subvenire. Quapropter debent eleemosynas dandas imprimis suis operariis tribuere.

2. Favere institutis et decretis, quibus operariorum conditio iuste melioratur, e. g. scholas aperiendo pro eorum maiore instructione, balnea aliaque instituta sanatoria fundando etc. Dominus igitur non debet in parlamentis impugnare leges, quae in favorem operariorum iuste proponuntur.

Obligationes operariorum breviter ac praegnanter complec- 306
tuntur his verbis Leonis XIII [2]:

1. «*Quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere.*» Hinc peccant operarii, qui negligenter laborant, qui tempus inutiliter terunt, qui laedunt aliter pactum laboris libere et iuste initum. Gravitas peccati et obligationis restituendi dependet ex gravitate damni iniuste causati.

2. «*Non rei ullo modo nocere.*» Proinde peccant operarii, qui materiis sibi traditis prodige utuntur, qui machinas pessumdant, qui vitiosas merces producunt etc.

3. «*Non personam violare dominorum*», i. e. nullam iniuriam inferre dominis, sive calumniando, sive laedendo, sive attristando etc.

4. «*In ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem inducere umquam, nec commisceri cum hominibus flagitiosis.*» — Quibus verbis certo prohibetur *operistitium iniustum*. Sed non licet inde deducere, quodcumque operistitium [3] ex condicto factum esse intrinsecus malum.

De morali indole operistitii. Operistitium, prout nunc de illo 307
loquimur, est *communis multorum operariorum secessio ex condicto ad quaedam emolumenta ab heris extorquenda.* Solet distingui operistitium defensivum et meliorativum. Operistitium *defensivum* instituitur ab operariis, qui iniuste opprimuntur ab heris; e. g. quando solvitur salarium vere insufficiens, quando non satis consulitur sanitati aut moralitati operariorum etc. Operistitium *meliorativum* ab operariis fit ad maius salarium vel ad breviorem facilioremque laborem obtinendum, licet salarium hucusque acceptum non sit prorsus insufficiens neque labor excessivus. — Omnes concedunt operistitium defensivum esse licitum, dummodo non praesto sit aliud medium ad se licite defendendum contra iniustitias heri. Ratio est obvia. Licet enim se defendere cum moderamine inculpatae tutelae. — Operistitium autem meliorativum a paucis asseritur esse intrinsecus illicitum, tum quia tale operistitium sit vera *seditio,* quae damnatur a Leone XIII in encyclica «Rerum novarum»; tum

---

[1] *Arbeiterschutzgesetzgebung.* [2] L. c. [3] Vulgo *Streik, strike, grève, sciopero.*

quia homo teneatur laborare, quando potest, iuxta illud: «In laboribus comedes ex ea [terra] cunctis diebus vitae tuae»[1]. — Communissima autem sententia theologorum[2] docet, operistitium etiam meliorativum non esse intrinsecus malum, ita ut numquam possit evadere licitum; sed econtra esse licitum, dummodo 1. adsit causa proportionate gravis; 2. non adhibeantur media iniusta. — Sane operistitium multa graviaque damna tum materialia tum moralia solet importare; e. g. damna materialia eaque enormia oriuntur sive pro operariis sive pro heris; operarii ab opere cessantes tempus saepe terunt in cauponis, ebrietatibus et immoralitatibus se dedunt; rixae, violentiae, inimicitiae aliaque incommoda enascuntur. Quae cum ita sint, *rarissime expedit operistitium, immo illud est omnino illicitum, nisi adsit gravis et proportionata causa.* Imprimis conandum est, ut postulata iusta operariorum (si ista postulata sint iniusta, operistitium est intrinsecus malum) aliis mediis obtineantur, e. g. persuasione, pacifica conventione, intercessione gubernii etc. Quodsi haec conamina fuerint vana, tunc operistitium considerandum est tamquam *bellum oeconomicum.* Sicut autem bellum inter diversas nationes aliquando licitum est, ita etiam istud bellum oeconomicum. Sane non licet bellum alteri nationi indicere nisi ad vindicandam iniuriam acceptam (numquam autem licet bellare ad habendam e. g. novam provinciam); sed operistitium licet facere etiam ad habendum aliquod commodum non ex stricta iustitia debitum. Ratio huius differentiae est, quia in bello internationali committuntur actus per se mali et iniusti, e. g. occidere homines, destruere bona aliena. Econtra in bello oeconomico operistitii nullus actus ex se malus committitur. Haec est enim conditio, sine qua non licet operistitium. Etenim cessare ab operis, ad quas homo non tenetur ex iustitia; socios instanter hortari (non autem cogere), ut et ipsi desistant ab operis, non sunt actus per se mali, sed indifferentes. Quodsi ex hac cessatione operarum herus patiatur magnum damnum materiale, hoc non est nisi voluntarium indirectum, quod profecto licet permitti, si adsit proportionate gravis causa. — Ex quibus omnibus sequitur, ut operistitium etiam meliorativum sit per se licitum, dummodo adsit proportionate gravis causa et non adhibeantur media iniusta. Media iniusta essent e. g. vim inferre hero, aut sociis, eos verberando, persequendo, calumniando etc.

Quod dictum est de operistitio, id valet etiam ex opposito de *dimissione operariorum ex condicto facta*[3]. Etenim sicuti operarii possunt declarare bellum oeconomicum heris, ita isti bellare possunt contra operarios. Requiritur autem ad istam demissionem ex condicto faciendam vere gravis causa, i. e. gravis culpa operariorum; quia secus culpabilis crudelitas committitur, cum operarii sic a diversis heris ex condicto dimissi iam nullibi in tota regione admittantur ad laborandum[4] et

---

[1] Gn 3, 17.

[2] Cf. *I. Biederlack* contra Treitz et Fournelle in Zeitschrift für kath. Theol., Innsbruck 1910, 286 sqq 610 sqq.

[3] *Arbeiteraussperrung, lock-out.* [4] *System der schwarzen Listen.*

cogantur aut ad emigrandum aut ad aliam vocationem amplectendam aut ad mendicandum.

Nota. Rarissime licet operistitium facere, si inde *bonum publicum* graviter laeditur, e. g. operistitium opificum in via ferrea, unde tota communicatio publica perturbatur. Tale operistitium non videtur esse licitum, nisi sit vere *defensivum,* nempe ad iniustitias graves repellendas. Ratio est, quia bonum publicum praevalere debet bono privato operariorum, et non licet laedere bonum publicum, nisi sit intolerabilis iniustitia, quam secus pati debent homines privati.

De iusto salario. Distinguitur merces *individualis,* quae sufficit 308
ad praestandum ipsi soli operario convenientem victum, vestitum et habitationem; et merces *familialis,* quae insuper sufficit ad alendam familiam proximam operarii. — Merces familialis alia est *absoluta,* quae ad sustentandam familiam in ordinariis circumstantiis sufficit, seu qua operarius frugalis et honestus, non neglectis subsidiis, quae parsimonia et cooperatio moderata uxoris et liberorum afferre possunt, sibi suisque decenter valet providere. Talis merces familialis fere non variatur ex numero prolum. Nam si numerosa est proles, sane maiores sunt expensae, sed etiam maiores sunt reditus, cum non solum maritus, sed etiam uxor et proles supponantur laborare et contribuere ad reditus familiae augendos. — Merces familialis *relativa* illa est, quae requiritur ad sustentandam familiam in circumstantiis extraordinariis, e. g. si uxor est infirma et nullo modo conferre potest ad reditus familiae augendos, si proles est valde numerosa aut infirmitatibus oppressa, si extraordinariae expensae sunt necessariae etc.

Principium 1. *Merces individualis debetur operario ex ipso* 309
iure naturali seu ex iustitia commutativa.

Ita docent omnes catholici et patet ex encyclica «Rerum novarum» statuente, «alendo opifici frugi quidem et bene morato haud imparem esse mercedem oportere». Ratio autem est, quia operarius ius strictum habet ad convenientem victum iuxta illud: «Dignus est operarius cibo suo»[1]; neque tenetur mendicare. Atqui salarium est saepe unicum medium ad talem convenientem victum. Ergo ius habet operarius ad istud salarium[2].

---

[1] Mt 10, 10.

[2] Notatu dignissima sunt, quae Cardinalis Zigliara iussu Leonis XIII scripsit et quae Cardinali Goossens Mechliniensi a S. Sede transmissa sunt paulo post editam encyclicam «Rerum novarum»: «Opus operarii consideratur ut quaedam merx; et praemium seu merces ut quoddam pretium. Nec immerito: nam licet opus operarii nobilius quid sit merce, totam tamen retinet rationem mercis, ex qua parte haec dicit ordinem ad pretium. Rectissima est ergo ratiocinatio *S. Thomae* (S. theol. 1, 2, q. 114, a. 1): ‚Id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis et laboris, quasi quoddam pretium eius. Unde sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est actus iustitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus iustitiae.' Actus iustitiae inquam commutativae. Sicut enim emptio et venditio, ita opus et merces pro communi utilitate contrahentium sunt, dum scil. unus indiget re vel opera alterius et e converso. Quod autem est pro communi utilitate, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius, et ideo debet secundum aequalitatem rei, quae est proprietas iustitiae commutativae, inter dominum et operarium contractus iustitiae institui (cf. S. theol. 2, 2, q. 57,

Dantur tamen exceptiones: 1° Si annona carior fuerit et labor parcior. 2. Si operarius est infirmitate aut senio confectus. In istis casibus dominus non tenetur (saltem ex iustitia) dare perfectam mercedem individualem, quia hoc esset nimia aggravatio. Tunc autem *respublica* tenetur subvenire operariis. Huic doctrinae catholicae obstant Liberalistae et Socialistae. Primi docent, iustum haberi stipendium illud, quod offert herus et accipit opifex. Falsa est haec doctrina atque latam aperit portam omni tyrannidi. Etenim non raro inducuntur operarii necessitate coacti ad acceptandum stipendium iniustum ac insufficiens. — Socialistae econtra docent, operariis debere integrum laboris fructum, deductis tantum expensis pro materia adhibita, pro usu instrumentorum et pro intellectuali labore herorum. Falsa est etiam haec doctrina utpote manifeste iniusta contra heros, qui praeter laborem intellectualem etiam capitale dant.

310 **Principium 2.** *Merces familialis absoluta concedenda est ex iustitia (aut saltem ex caritate) in statu normali industriae operario adulto et valido.*

Dicitur 1°: in statu *normali,* nam quando industria mercatoria est in statu angustiarum, tunc et operarii angustias tolerare debent. — Dicitur 2°: operario *adulto et valido,* nam si operarius infirmitate aut senectute impos est ad perfecte laborandum, herus non tenetur (saltem ex iustitia) solvere tantum salarium, quantum indiget operarius pro se et familia. Tunc enim subvenire debet respublica. Quando autem convenienti modo uxor aut filii familias aliquid lucrari possunt, tenentur concurrere ad sustentationem familiae. — Ratio principii est, quia sanctissima *naturae* lex neminem cogit ad coelibatum, sed permittit matrimonium unicuique capaci. Porro paterfamilias tenetur victum procurare uxori filiisque procreatis, ac proinde, si est operarius, tantum salarium acquirere debet, ut huic officio satisfacere possit.

Disputatur inter catholicos, num heri ex iustitia an ex caritate sola teneantur dare mercedem familialem. Unde Cardinalis Goossens (Mechliniensis) tria dubia hac de re proposuit S. Sedi. Cardinalis Zigliara iussu Summi Pontificis in epistola ad Cardinalem Goossens 1891 respondit, herum qui solvit mercedem opificis sustentationi sufficientem, sed imparem ipsius familiae alendae, non peccare quidem contra iustitiam, cuius exigentiis plene satisfit, quando aequalitas mercedis et operis observatur. Sunt tamen plures auctores, qui nihilominus obligationem iustitiae in hoc casu defendunt[1].

---

a. 1). — Quodsi quaeratur criterium, quo statui debeat illa aequalitas rei inter opus manuale operarii et mercedem dandam a domino, respondemus: Criterium illud in encyclica dicitur petendum esse ex operarii fine immediato, qui imponit ei naturale officium seu necessitatem laborandi, ex victu nempe et vestitu ad convenienter vitam sustentandam, et ad quem primo et principaliter labor manualis ordinatur (S. theol. 2, 2, q. 187, a. 3). Quoties igitur opus tale sit, quod operarius per ipsum satisfaciat praedicto suo officio naturali consequendi finem immediatum laboris sui ac merces ad consequendum hunc finem, victum nempe ac vestitum convenientem, impar sit; per se loquendo et considerata rerum natura, habetur obiectiva inaequalitas inter opus et mercedem, et ideo *laesio iustitiae commutativae.*» — Talis iustitiae commutativae laesio, ex qua multa graviaque incommoda moralia oriuntur, certe habetur in systemate, quod vocatur «sweating system» *(Zwischenmeister)* et quod adhibetur haud raro contra operarios (operarias), qui domi conficiunt opera ab aliqua fabrica demandata *(Heimarbeit)*.

[1] Cf. *Tanquerey* (De iust. n. 818), qui optime et late tractat quaestionem de conductione operariorum. Responsa ad dubia Cardinalis Goosens in extenso afferuntur a *Vermeersch*, Quaest. de iust. n. 420 sqq.

ARTICULUS III.

De contractibus aleatoriis.

Notio. Contractus aleatorii, sic dicti ab alea, i. e. incerto eventu, 311
ii sunt, quibus incertum lucrum quaeritur aut damnum incertum avertitur pretio certo dato. Haec incertitudo lucri aut damni non solum adsit ex parte utriusque contrahentis, sed etiam oportet ut sit fere aequalis; secus committitur iniustitia.

Tamquam **principium generale** haberi potest: *Omnes contractus aleatorii liciti sunt, dummodo:*

1. *alea sit moraliter aequalis inter utrumque contrahentem (nisi tamen unus contrahens sciens inaequalitatem nihilominus vult contrahere);*
2. *nullae fraudes committantur;*
3. *nullum adsit scandalum nullaque prohibitio legis positivae.*

Applicationem huius principii dabimus in sequentibus contractibus aleatoriis, qui videntur esse principaliores, scil. 1. assecurationes, 2. ludi, 3. sponsiones et 4. loteria, atque 5. speculationes Bursae.

§ 1.

De assecurationibus [1].

Notio. Assecuratio est contractus, quo quis alienae rei vel per- 312
sonae periculum suscipit pro praemio determinato, vel aliis verbis: «*est contractus, quo unus pro certo pretio se obligat ad compensanda damna, quae alter ex involuntario casu pati potest*» [2]. Obiectum igitur huius contractus est periculum susceptum, quod in diversis rebus accidere potest, e. g. periculum incendii, naufragii, grandinis, mortis etc. Iam a longis temporibus exsistunt quam plurimae assecurationes, quae quidem sunt utilissimae, si sunt iustae. Etenim per illos praecavetur frequens ruina praesertim hominum mediocris fortunae; res ipsae autem melius custodiuntur propter supervisionem societatis assecuratricis. Assecuratio autem est iusta:

1. Si societas assecurans revera solvit ea, quae ex contractu solvere debet, atque si praemium quotannis persolvendum moraliter respondet gravitati periculi, in quo res assecurata versatur.
2. Si assecuratus sincere declarat rei valorem ac pericula, quibus res exponitur, neque ex culpabili negligentia rem in periculum inducit.

Ex praemio nimis magno assecurationis raro accidere potest iniustitia nostris diebus. Tot enim exsistunt societates assecuratrices, ut

---

[1] Sunt qui contractum assecurationis nolint computare inter contractus aleatorios (e. g. *Koch*, Moraltheol. § 149), quia in contractibus aleatoriis periculum damni debet solummodo ex ipso contractu oriri. Econtra iam *ante* contractum assecurationis adest periculum pro illo, qui quaerit assecurationem, e. g periculum incendii. — Haec distinctio videtur esse parvi momenti et nullius utilitatis. Unde communiter auctores enumerant assecurationem inter contractus aleatorios, e. g. Lehmkuhl, Tanquerey, Noldin, Moran etc.

[2] *Tanquerey* l. c. n. 915.

competitio inter illas sit magna, et unaquaeque conetur praemium maiore quo potest modo diminuere. Insuper unicuique liberum est egredi ex una societate et ingredi in aliam.

Ex parte vero *assecurati* non raro fraudes et iniustitiae committuntur. Etenim si res assecuranda non ita declaratur, sicuti revera est; vel si cum gravi negligentia aut ex directo proposito male custoditur, ita ut pereat, vel si in ea fiunt mutationes, quae periculum damni augent etc. In his et similibus casibus iniustitia committitur atque gravis obligatio restitutionis adest, si agitur de gravi damno causato. Quomodo autem restituendum sit in istis casibus, vide supra n. 231.

Inter diversas species assecurationis praecipue notanda est sic dicta *assecuratio vitae*, tum propter eius frequentiam, tum propter difficultates, quas causare potest in conscientia. Assecuratio vitae, quae etiam vocatur vitalitium, multis ac diversis modis fieri potest. Pro confessario tunc tantum difficultates oriri possunt, si assecuratus fraudibus usus est in sic dictis «declarationibus» vel si illicitis mediis statuta assecurationis laeserit, vel si medicus nimis benigne statum valetudinis hominis assecurandi descripserit. Aliquando leges civiles statuerunt, ut elapso determinato tempore societas assecuratrix iam non possit impugnare contractum assecurationis. Quae quidem leges videntur esse iustae ac utiles, cum evitent quam plurima litigia, atque societates assecuratrices reddant attentiores. In praxi, nisi fraus sit evidentissima atque gravis, confessarius non facile debet declarare contractum assecurationis nullum, aut assecuratum obligare ad restitutionem. Rationes autem sunt: 1. quia societates assecuratrices sunt cautissimae, ita ut rarissime in gravem errorem inducantur; 2. quia leges civiles favent validitati contractus, nisi adfuerit fraus revera substantialis et manifesta; 3. quia saepe difficillimum est determinare, ex quonam morbo mors acciderit, atque num causa proxima mortis iam a longe exstiterit. Remanet igitur positivum dubium, num adhibita fraus sit revera causa efficax damni. In dubio autem obligatio restitutionis non est imponenda.

313 **Scholion. De contractu census.** Assecuratio vitae in multis similis est contractui, quem veteres vocabant *censum*. Census est enim ius percipiendi pensionem annuam ex re vel persona. Haec pensio annualis vocabatur canon, reditus. Distinguebatur census *reservativus* (ortus ex traditione rei immobilis); census *consignativus* seu simpliciter dictus (emptus ex traditione alicuius «capitalis»), e. g. trado tibi 10 000 francos ea conditione, ut usque ad mortem recipiam quotannis 800 francos; census *realis*, qui est quasi servitus alicui rei imposita et est fere idem ac *emphyteusis*, e. g. trado tibi istos agros, ut tu tuique heredes ex fructibus illorum mihi solvatis quotannis 100 francos. — Dantur adhuc aliae divisiones, ut census personalis, pecuniarius, fructuarius, redimibilis, irredimibilis etc.[1] Contractus census in eo differt a contractu assecurationis, quod non est aleatorius sed commutatorius. Quidquid est de veteribus legibus, hodie census licitus est, dummodo adsit iusta proportio inter censum et pretium. Etenim census est ad instar foeneris. Porro hodie foenus aut mutuum licitum est, dummodo sit moderatum.

[1] Cf. *Billuart*, De contract. diss. 5, a. 1.

§ 2.

De sponsione.

Notio. Sponsio[1] est «*contractus, quo duo vel plures de veritate* 314
alicuius rei contendentes ponunt praemium pro eo, qui veritatem fuerit assecutus»[2]. Ex hac definitione sequitur, ut sponsio sit contractus onerosus bilateralis. Aliquando tamen unus tantum spondens obligationem in se suscipit; e. g. spondeo me esse perfecturum cursum istum tempore unius horae, secus dabo 10 francos pro pauperibus. Quo in casu sponsio potius est quaedam poena conventionalis, quam quis ex vana gloria (ut plurimum) sibi imponit.

Liceitas sponsionis. Sponsiones, attento iure naturali, sunt 315
licitae, dummodo fiant a) ex *honesto fine*, e. g. recreationis causa, ad excitandas vires, ad veritatem melius investigandam etc.; b) *sint circa obiectum debitum*, scil. rem licitam et utrimque dubiam. Cum autem in praxi graves ac frequentes abusus in sponsionibus occurrant, plures codices civiles moderni illas partialiter aut totaliter prohibent et irritant.

Per se patet sponsionem de re illicita, e. g. de furto faciendo, de bibendo vino in quantitate excessiva, de praemio exorbitante, de bonis, quorum spondens non habet liberam dispositionem etc., esse peccaminosam[3]. Sub excommunicatione (quae tamen hodie iam non exsistit) Gregorius XIV const. «Cogit nos» d. 21 Martii 1591 prohibuit sponsiones, quae fiunt super electione futuri Romani Pontificis vel Cardinalium[4]. *Obiectum* vero *sponsionis* debet utrinque esse dubium, i. e. uterque spondens debet dubium et non certitudinem habere de eventu disputato. Unde probabilius sponsio est invalida, si alter spondens est certus de re controversa, licet de sua certitudine aperte monuerit adversarium[5]. Ratio autem est, quia in hoc contractu sponsionis debet adesse spes lucri. Atqui si unus est certus de eventu, alter nullam spem lucri habet, ac proinde non potest aliquid pro illa expendere[6].

Codices civiles communiter statuunt, ut ex sponsionibus nulla oriatur obligatio, attamen etiam, ut ille, qui ex sponsione aliquod lucrum acceperit, non teneatur illud restituere[7]. Ista statuta, utpote iusta, videntur obligare in conscientia. Hinc e. g. in Germania sponsiones (et idem valet de ludis), quae sunt excessivae et prodigae, nullam pariunt

---

[1] *Wette, pari, betting.* [2] Cf. *Billuart* l. c. diss. 6, a. 5, § 5.

[3] Bene animadvertit *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 3, n. 870): «Si sponsio est de peccato patrando *ab alio tertio*, licita est, nisi spondens optet peccatum, vel opem ferat ad peccatum committendum. . . . Si vero sponsio est de peccato patrando *ab uno ipsorum spondentium*, licita erit, si tu, v. g., sponderes, alterum commissurum fore peccatum; quia tunc sponsio eum avertit a peccato. Secus, si sponderes te commissurum peccatum, aut alterum non commissurum; quia tunc sponsio ad peccandum induceret.»

[4] Cf. *Moran*, Theol. mor. I 1187. [5] Cf. tamen *S. Alph.* l. c. n. 878 sq.

[6] Cf. *Billuart* l. c.

[7] Cf. Cod. civ. Germ. § 762 sqq; Cod. Gall. a. 1964 sqq; Cod. Austr § 1271; Cod. Helv., Obligationenrecht a. 512 sqq; Cod. Ital. a. 1802. Pro iure Hispanico vide *Moran* l. c. 1184 et *Larraga-Saralegui*, Comentarios n. 826.

obligationem in conscientia. — De liceitate sponsionis scribit S. Alphonsus[1]: «In individuo (cum ex mea sententia non detur actio indifferens) regulariter censeo huiusmodi sponsiones non excusari a peccato veniali, quia in eis deest motivum cohonestans licitae recreationis, sicut adest in ludo honesto. Et sic videtur intelligere S. Antoninus[2] vocans tale lucrum turpe, utpote nulli deserviens utilitati, sed vanitati et prodigalitati.» — Quae quidem sententia videtur verissima, si agitur de illis, qui saepe sponsiones easque in gravi materia faciunt; sin autem agitur de sponsionibus raris et minoris pretii, vitandae quidem sunt a clericis et personis religiosis, cum praebeant materiam contentionis, sed in se non sunt malae.

§ 3.

De ludo.

316 **Notio.** Ludus in sensu generali sumptus, est quodcumque factum primario ad oblectationem animi ordinatum, seu est remedium contra fatigationem animi, dans illi quietem, i. e. delectationem[3]. Quamvis aliquis solus possit ludere, tamen ludus plerumque exercetur inter plures, et tunc definiri potest: certamen duorum vel plurium ad animae oblectationem susceptum. Huic autem certamini, ne langueat, solet adici pactum, ut praemium aliquod obveniat victori. Quod quidem pactum vocatur contractus ludi, et definiri potest: *contractus aleatorius, quo conceditur praemium illi, qui in aliquo certamine ob delectationem inito victoriam obtinuerit.* Finis igitur omnis ludi debet esse *honesta recreatio animi.* Sin autem alius finis (e. g. lucrum) principaliter intenditur, ludus aut est illicitus[4], aut iam non est ludus[5].

317 **Moralitas ludi recreativi.** S. Thomas[6] probat, ludum debitis conditionibus vestitum et ob honestam animi recreationem susceptum esse necessarium, esse actum virtutis eutrapeliae, atque proinde esse meritorium. — Est quidem *necessarius,* quia est optimum remedium contra defatigationem animi. Sicut enim defatigatio corporis tollitur bono somno, ita defatigatio animi curatur convenienti ludo. — Est actus virtutis, quia officium virtutis est observare rectum medium in actionibus nostris. Porro facile adest tum excessus tum defectus in ludo. Ergo requiritur specialis virtus, quae utrumque vitat. Virtus recte ordinans ludos vocatur ab Aristotele *eutrapelia;* quod verbum in linguam Latinam vertitur: iucunditas, bona conversatio, urbanitas, comitas. — Ludus demum est actus *meritorius,* quia quilibet actus virtuosus in statu gratiae sanctificantis perfectus producit meritum. Ut autem ludus sit licitus, praecipue requiritur: 1. ut delectatio cum ludo coniuncta non quaeratur in obiecto turpi aut in operationibus illicitis; 2. ut desit omnis excessus; delectatio enim sobrie gustari debet sicut condimentum

[1] Theol. mor. l. 3, n. 869. [2] S. theol. P. 2, tit. 1, c. 23, § 9.
[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 168, a. 2. [4] E. g. *Glücksspiele.*
[5] E. g. loteria. [6] L. c.

in cibis; 3. ut ludus congruat personae, tempori et loco. Omnia haec per se patent atque non egent neque probatione neque exemplis illustrantibus.

Divisio. Ludus dividitur in 1. *industrialem,* in quo eventus ludi potissimum dependet ab aptitudine et artificio ludentis, e. g. ludus pilae[1], ludus latrunculorum[2] etc.; 2. *aleatorium,* qui soli fortunae innititur et vix aut ne vix quidem industriae, e. g. ludus alearum[3] etc.; 3. *mixtum,* qui regitur partim industria, partim fortuna, e. g. plures ludi chartarum.

Principium. *Ludus cum pacto lucri factus est licitus, dummodo* 318
sequentes conditiones observentur:

1. Ut ludentes habeant *liberam dispositionem rei,* quam ludo exponunt. Ratio est, quia in ludo transfertur dominium alicuius rei. Ergo qui non habet perfectum dominium, non potest licite exponere in ludo lucrum, nec victor potest retinere lucrum obtentum ab aliquo non habente liberam dispositionem rei. Unde e. g. ludi cum lucro exposito facti a religiosis, a minorennibus, ab uxoribus sunt illiciti et invalidi, nisi tamen agatur de bonis liberis eorum.

2. Ut ludus fiat cum *plena libertate ac deliberatione.* Omnes enim contractus (et praesertim aleatorii) debent esse liberi et deliberati. Unde qui cogit aliquem ad ludendum, vel qui ludit cum semi-ebrio, et sic notabile lucrum acquirit, peccat atque ad restitutionem tenetur.

3. Ut inter ludentes sit *moralis aequalitas quoad spem lucri et periculum damni.* Si enim ex una parte est moralis certitudo lucri et ex altera parte eadem certitudo damni, iam non est contractus aleatorius, sed iustitia atque aequitas laeduntur. Quapropter iniustum est e. g. lucrum ex ludo obtentum, si quis valde peritus ludit in ludo chartarum cum alio imperito. Si quis vero sciens et volens cum alio peritiore ludat, vel si scit, spem lucri esse minorem, tunc illi iam non fit iniuria. E. g. illis, qui ludunt in urbe Monaco, non fit iniuria, etsi spes lucri pro illis est multo minor quam pro ipsa Banca.

4. Ut in ludo *vitentur fraudes;* alioquin adest obligatio restitutionis, et quidem non solum lucrum fraudulenter obtentum, verum etiam damnum illatum privando alium spe lucri. Quaedam autem astutiae, quae scil. secundum consuetudinem ludentium non censentur turpes, permittuntur, e. g. aspicere in chartas alterius.

5. Ut in ludo *non intendatur principaliter lucrum* aut non nimis avide quaeratur. Ludus enim institutus est ad honestam animi relaxationem. Unde est inordinatio, si quis magis quaerit lucrum quam hanc relaxationem. Quae tamen inordinatio *per se* non est nisi venialis culpa, cum non sit in materia ita gravi; attamen per accidens potest esse grave peccatum, e. g. propter scandalum, propter prodigalitatem, propter magna damna in fortuna, in sanitate corporali ac moribus etc. Haud immerito igitur loca, in quibus huiusmodi ludi ob solam spem lucri

---

[1] *Foot-ball.* [2] *Kegelspiel.* [3] *Würfelspiel.*

peragi solent, vocantur «gehennae ludorum» [1]. Quapropter in plerisque regionibus huiusmodi ludi, in quibus praecipue intenditur lucrum [2], prorsus prohibentur [3]. Generatim autem de omnibus ludis codices civiles nullam concedunt actionem sive victori ad lucrum petendum, sive victo ad repetendum quod iam solvit, nisi fraus vel dolus intercesserit [4].

Ludi, in quibus exponitur lucrum, solent esse periculosissimi; instigant enim passiones humanas et inducunt ad multigenas atque graves deordinationes. Unde confessarius illos prudenter impugnet neque cuiquam imponat strictam obligationem solvendi debita ex ludo contracta.

319 **Scholion. De ludis ex iure ecclesiastico prohibitis.** Ludi mere aleatorii a iure ecclesiastico interdicuntur clericis, si fiant cum lucro. «Ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.» [5] Verumtamen istae prohibitiones in aliquibus regionibus in desuetudinem abierunt. Nihilominus clerici non terant tempus in ludis, attendentes insuper, quam facile in ludis committatur excessus cum damno proprio et scandalo fidelium.

§ 4.

De loteria.

320 *Loteria est contractus aleatorius, quo soluto certo pretio ius acquiritur obtinendi aliquod praemium, si sors faverit.*

Loteria *per se* non est illicita, quia non prohibetur emere spem lucri. Conditiones autem, ut loteria sit licita, praecipue sequentes sunt: 1. ut nulla adhibeatur fraus in schedulis educendis nec in praemio solvendo; 2. ut ordinarie sit aequa proportio inter pretium solutum et spem obtinendi praemii. Dico autem: *ordinarie,* quia plures loteriae instituuntur ad bonum opus promovendum, e. g. ad ecclesiam aedificandam; quo casu loteria nihil aliud est nisi occasio eleemosynam faciendi cum modica spe aliquid lucrandi. Quod cum emptores istarum sortium sciant, nulla fit iniuria.

Loteria cum multis abusibus ansam praebeat, e. g. vanam spem excitando, cito et absque labore ditescendi, nimias expensas faciendi pro sortibus emendis, hinc in pluribus regionibus leges civiles impediunt aut saltem limitant usum loteriarum. Quae quidem leges sunt prudentes; considerantur tamen communiter tamquam leges *mere poenales* non inducentes obligationem (saltem directam) in conscientia, neque obligantes ad restitutionem in casu transgressionis.

---

[1] *Spielhöllen.*

[2] *Hazardspiele, jeux de hasard, game of hazard.*

[3] Cf. Cod. poen. Germ. § 284—286; Cod. poen. Austr. § 522; Const. Helv. a. 35.

[4] Cf. Cod. civ. Germ. § 762; Cod. Gall. a. 1965; Cod. Ital. a. 1802; Cod. civ. Austr. § 1272; Cod. Hisp. a. 1798; Cod. Helv., Obligationenrecht a. 512. Pro iure Anglico vide Encycl. of Laws, s. v. «Gaming».

[5] c. 15, X 3, 1; cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 1 de reform., et sess. 24, c. 12 de reform.

§ 5.

De speculationibus Bursae.

Praenotamen. Nostris diebus Bursae tantam potestatem obtinuerunt, ut salus fere totius populi ab eis dependere possit. Nam fere omnia *magna negotia* mercaturae in Bursa tractantur. Praeterea ex malitia et astutia impiorum hominum sic dictae «*speculationes Bursae*» quam plurimos ad ruinam materialem adduxerunt. Quae cum ita sint, gubernia civilia conata sunt iam a longo tempore, condere leges prudentes de negotiis in Bursa. Experientia autem testante, istae leges nondum sunt sufficientes ad omnes abusus praecavendos. Valde utile est pro confessario, si saltem summaria capita speculationum in Bursa cognoscat, quia secus, casu occurrente, non potest iudicare, utrum poenitens iniustitiam commiserit necne.

Notio. Nomen Bursae sumitur dupliciter: vel pro *aedificio* publica auc- 321
toritate constituto, in quo certa negotia pertractantur, vel pro *conventu* ipso mercatorum ad pertractanda ista negotia. Haec duplex acceptio aliqualiter similis est duplici acceptationi nominis ecclesiae, scil. pro aedificio et pro conventu fidelium. In praesenti loquimur de Bursa prout est conventus certorum mercatorum. Bursa sic sumpta satis magnam similitudinem habet cum nundinis, in quibus multitudo hominum convenit ad emendas et vendendas merces. Proinde Bursa merito vocata est «*nundinae qualificatae*»[1]. — Duo genera obiectorum emuntur et venduntur in Bursa, scil. 1. pecuniae seu valores (actiones, obligationes etc.) et 2. merces, e. g. frumentum, oleum, lana, vinum etc. Hinc duplex distinguitur Bursa: *Bursa pecuniaria*[2] et *Bursa commercialis*[3]. Iamvero contractus in utraque Bursa sunt praecipue duplicis generis, scil. vel *de praesenti* vel *ad terminum*. Contractus de praesenti[4] nihil aliud sunt nisi venditiones-emptiones mercium, obligationum, actionum etc., ac proinde illis applicanda sunt principia supra n. 290 sqq allata de venditione-emptione. — Contractus ad terminum[5] sunt iterum duplicis generis, scil. 1. ad terminum inter contrahentes *libere* determinatum, e. g. aliquis emit 1000 modios tritici non statim sed post tres menses tradendos. De hoc contractu valet idem, quod de contractu de praesenti; et 2. ad terminum *ex legibus Bursae determinatum*, scil. ad ultimum diem mensis vel ad diem medium mensis (vulgo: ultimo vel medio). Isti contractus ad terminum sunt *contractus aleatorii* atque multis modis fieri solent, quorum praecipui sunt sequentes:

a) *Contractus differentialis*[6]. E. g. die 8 Martii Petrus emit a Paulo 100 actiones alicuius fodinae pro pretio 120 000 francorum. Sed inter Petrum et Paulum conventum est, ut die ultimo mensis (i. e. 31 Martii) non actiones dentur, sed *differentia pretii* tantum. Unde si hoc ultimo die istae 100 actiones constant 121 000 francis, Paulus debet Petro reddere 1000 francos; sin autem pretium est tantum 119 000 franci, Petrus debet 1000 francos dare Paulo. — Non raro accidit, ut emptor aut venditor conetur illudere etiam solutionem

---

[1] *Qualifizierter Markt;* cf. Staatslexikon, s. v. «Börse».

[2] *Effekten- oder Fonds-Börse, Stok-Exchange.*

[3] *Produkten- oder Waren-Börse, Produce-Exchange.*

[4] *Au comptant, Tagesgeschäfte, Kassageschäfte, Comptantgeschäfte, Locogeschäfte, Effectivgeschäfte,* aliisque similibus nominibus appellatae.

[5] *Börsentermingeschäft, à terme.* [6] *Differenzgeschäft, opération à crédit.*

istius differentiae. Tunc petit, ut operatio differatur seu reportetur ad quindecim dies[1]. Ista prolongatio communiter licita est: nihil aliud enim est nisi petere mutuum cum solutione debiti foeneris. Unde illam hic non specialiter explicamus.

b) *Contractus praemii*[2] multis modis fieri potest, quos longum esset enumerare[3]. In genere contractus praemii consistit in hoc, quod emptor pridie ante terminum liquidationis seu solutionis possit resilire a contractu inito, dummodo solvat praemium prius stabilitum. E. g. Petrus emit a Paulo 10 000 saccos lanae, quos accipere debet die 31 Martii pro pretio 100 000 francorum. Petrus speravit, pretium fore altius quam 100 000 franci, sed die 30 Martii pretium est minus nec adest spes, ut crastina die sit altius; unde ad evitandum maius damnum Petrus resilit a contractu inito et solvit praemium stipulatum, quod est quasi *poena conventionalis.*

322 **Principium.** *Omnes operationes Bursae (etiam ad terminum) per se licitae sunt; per accidens autem contractus differentiales saepissime sunt illiciti et iniusti.*

Probatur 1ª pars. Omnes operationes Bursae reducuntur ad contractum emptionis-venditionis vel ad contractus aleatorios. Atqui isti contractus per se liciti sunt. Ergo etiam operationes Bursae per se non sunt peccaminosae.

Probatur 2ª pars. Contractus differentiales per accidens saepissime adducunt ruinam materialem contrahentis, sacram auri famem inordinate instigant, omnes passiones humanas excitant. Ergo per accidens sunt illiciti. Praeterea qui hoc modo contrahunt, saepe ad vaferrimas fraudes confugiunt[4], e. g. rumores falsos spargunt, corrumpunt ephemerides ad falsa nuntia danda, commendant vehementer opera, quae ruinae iam sunt proxima, iniusta monopolia construunt[5] etc. Ergo isti contractus differentiales per accidens saepissime sunt iniusti. Unde etiam iura moderna illos impedire student statuendo, ut habeantur tamquam ludi et proinde nullam actionem civilem pariant[6]. Hodiedum tamen iura moderna non valuerunt eliminare omnes abusus contractuum differentialium. — Confessarius prudenter avertat poenitentes suos ab istis contractibus differentialibus, quia rarissime sunt liciti, et semper multigenis periculis pleni. Clericis autem isti contractus aliaeque speculationes in Bursa prorsus interdicuntur[7]. Omnino enim dedecent statum clericalem.

SECTIO II.

De partibus potentialibus virtutis iustitiae.

323 **Ordo dicendorum.** Postquam dictum est de ipsa virtute iustitiae, tractandum est, sequendo vestigia Angelici Doctoris, de partibus potentialibus iustitiae, seu de aliis virtutibus iustitiae annexis. Tales

---

[1] *Se faire reporter à la quinzaine, Report- und Deportgeschäft* vel *Kost geben und Kost nehmen, Prolongation* etc.

[2] *Prämiengeschäfte, marché à prime.*

[3] *Stellgeschäft* seu *Stellage, Nochgeschäft, Wandelgeschäft, Escompte* etc.

[4] Vulgo *Börsenschwindel.* [5] Vulgo *corner,* «*Schwänze*».

[6] Cf. Cod. civ. Germ. § 764; Cod. Helv., Obligationenrecht a. 512.

[7] S. Offic. d. 15 Apr. 1885.

virtutes enumerantur novem vel decem, scil. religio, pietas, observantia, oboedientia, gratitudo, vindicatio, veritas, affabilitas, liberalitas et epikeia [1]. Inter omnes istas virtutes primum locum obtinet virtus religionis, quippe quae magis de propinquo accedat ad Deum [2]. Virtus autem religionis adnectitur iustitiae tamquam pars potentialis, quia cum iustitia convenit in ratione obiecti, scil. in reddendo alteri *debitum;* sed deficit a perfecto modo, quo iustitia attingit suum obiectum, quoniam non reddit debitum secundum *strictam aequalitatem.* Etenim religio reddit quidem debitum cultum Deo, sed non secundum strictam aequalitatem, quia nulla creatura valet Deum venerari sicut oportet. Debitus cultus Deo reddendus praecipitur in tribus prioribus praeceptis Decalogi. Unde tractatus de virtute religionis continet fere ea omnia, quae alia Manualia tractant in istis tribus Decalogi praeceptis. — Virtutes pietatis, observantiae et oboedientiae complectuntur fere ea, quae in quarto praecepto Decalogi mandantur. Hinc haec sectio altera convenienter subdividitur in tres quaestiones:

1. De virtute religionis, seu de tribus prioribus praeceptis Decalogi.
2. De virtutibus pietatis, observantiae et oboedientiae, seu de quarto praecepto Decalogi.
3. De reliquis partibus potentialibus virtutis iustitiae.

QUAESTIO I.

De virtute religionis (seu de tribus prioribus Decalogi praeceptis).

Agemus 1. de natura religionis; 2. de diversis actibus religionis; 3. de vitiis religioni oppositis.

CAPUT I.

De natura religionis.

Nomen. Obscurum est, unde nomen religionis sit sumptum. Quattuor 324
praecipue sunt explicationes etymologicae: 1. Religio derivatur a *relegere.* Ita Cicero [3]. Frequenter enim relegere seu revolvere debemus ea, quae sunt divini cultus. 2. Nomen religionis derivatum est a *reeligere.* Ita S. Augustinus [4]. Etenim homo debet reeligere Deum, quem peccando amisit. 3. Nomen religionis sumptum est a *religare.* Ita Lactantius [5]. Nam homo per religionem Deo maxime alligatur atque adstringitur. 4. Nomen religionis derivatum est a *relinquere.* Ita Massurius Sabinus [6]. Ea enim, quae pertinent ad religionem, debent relinqui aut separari a rebus profanis. De his etymologiis animadvertit S. Thomas [7]: «Sive autem religio dicatur a frequenti lectione, sive ex iterata electione eius, quod negligenter amissum est, sive a religatione, religio

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 80, a. unic. [2] Ib. q. 81, a. 6.
[3] De nat. deorum l. 2, c. 28. [4] De civ. Dei 10, 3.
[5] Instit. 4, 28. Definitio Lactantiana magis placet *Caietano,* Comm. in 2, 2, q. 81, a. 1.
[6] Apud *Aul. Gellium,* Noctes atticae 4, 9. [7] S. theol. 2, 2, q. 81, a. 1.

proprie importat *ordinem ad Deum.* Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem; quem etiam negligenter peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus.»

Diversae acceptiones. Sunt quam plurimae diversae acceptiones verbi religionis praesertim apud acatholicos. Sic e. g. Schleiermacher, Iacobi et multi moderni acatholici reponunt religionem in aliqua sensatione seu affectu subiectionis erga aliquod infinitum Universum[1]. Sic dictae «Societates ethicae culturae» docent, religionem identificari cum morali naturali, ita ut tota religio consistat in bona vita morali abstrahendo a quolibet cultu religioso[2]. Pantheistae, Deistae omnesque, qui negant exsistentiam Dei personalis, necessario quoque negant veram religionem, ita ut Feuerbach non erubuerit vocare religionem aliquem morbum hominis. Praetermissis omnibus istis falsis acceptionibus, de quibus latius tractant Apologetae[3], quattuor praecipue modis adhibent catholici auctores verbum religionis:

1. *In sensu obiectivo* pro determinato modo credendi aut colendi Deitatem. Sic e. g. loquimur de religione Mohametana, de religione Iudaica, de religionibus paganis etc., de historia religionum.

2. *Pro tota vita morali.* Quo sensu dicit S. Iacobus: «Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.»[4] In hoc sensu aliquem virum probum et pium vocamus etiam religiosum.

3. *Pro speciali statu hominum,* qui scil. per publicam professionem votorum paupertatis, castitatis et oboedientiae cultui divino perpetuo deputati sunt. Sic loquimur de religione Dominicanorum, Franciscanorum etc., vel etiam de statu religioso, de professione religiosa.

4. *Pro speciali virtute morali,* qua scil. Deo debitum cultum et famulatum exhibemus[5]. — De hac ultima acceptione solummodo hic agemus, et sic religio definiri potest:

325 **Definitio realis. Religio est virtus moralis inclinans ad debitum cultum exhibendum Deo, ut nostro creatori et gubernatori, seu ut nostro supremo principio.**

Explicatur haec definitio. Dicitur 1°: *virtus moralis.* Etenim religio non est virtus theologica neque intellectualis. Et quidem a) non est virtus theologica, quae habet directe Deum ipsum ut obiectum formale quod et quo. Sic e. g. credo Trinitatem propter revelationem divinam; amo Deum propter summam bonitatem divinam. — Obiectum vero religionis directe non est ipse Deus, sed quid creatum, scil. cultus exhibendus Deo. Etenim virtutis religionis *obiectum materiale* sunt illae actiones sive internae sive externae, quibus Deus colitur, i. e. quibus excellentiam divinam et nostram subiectionem protestamur; e. g. inclinationes, genuflectiones, orationes, sacri-

---

[1] *Subjektives Abhängigkeitsgefühl; Gefühl von der Kräftigkeit des sich auswirkenden göttlichen Lebenstriebes und Willensquells im Menschen.* Cf. *A. Weiß,* Die religiöse Gefahr II (1904) n. 39. [2] Cf. *Weiß* l. c. IV, n. 22.

[3] Imprimis consuli potest *A. Weiß* in opere citato, ubi fere omnes falsae acceptiones religionis enumerantur et refutantur, praesertim IV, n. 58 sqq.

[4] Iac 1, 27.

[5] Lingua Graeca vocatur εὐσέβεια, et lingua Germanica: *die Tugend der Gottesverehrung,* vel brevius: *die Religiosität.*

ficia etc. — *Obiectum formale quod* est «aequalitas saltem imperfecta, quam homo inter se et Deum ponit per cultum seu per actiones, quibus eum colit et reveretur ut primum principium et supremum dominum»[1]. Homo enim agnoscens, se esse creaturam a Deo supremo et excellentissimo factam, tenetur hunc Deum colere, in quantum id sibi possibile est: ille cultus ut debitus et proportionatus viribus humanis est obiectum formale in virtute religionis. — Obiectum demum *formale sub quo,* seu motivum, propter quod religio Deum colit, est naturalis honestas, quae in cultu divino reperitur, et quae consistit in eo, quod creatura divinam excellentiam reveretur et manifestat suam subiectionem erga Deum[2]. — b) Virtutem autem religionis differre a virtutibus intellectualibus (sapientia, intellectus, scientia etc.) fere per se patet. Etenim istae virtutes non sunt nisi virtutes in latiore sensu atque resident in intellectu, cum virtus religionis sit virtus praestantissima moralis atque in voluntate resideat. — Tametsi autem religio non est virtus theologica, valde autem affinis est virtutibus theologicis; nam *mediate* Deum attingit illique debitum cultum exhibet propter maximam excellentiam divinam. Insuper religio est quaedam protestatio nostrae fidei, spei et caritatis; immo aliquando vel ipsos actus virtutum theologicarum imperat ad honorandum Deum. Exinde sequitur, religionem praeeminere inter ceteras virtutes morales, quia scil. propinquius quam ceterae virtutes morales accedit ad Deum[3].

In definitione dicitur 2°: *inclinans hominem ad debitum cultum exhibendum Deo;* quia debitus cultus divinus est obiectum materiale virtutis religionis, ut supra dictum est.

Dicitur 3°: *Deo ut nostro creatori et gubernatori, seu supremo principio.* Hinc Angelicus Doctor dicit: «Ad religionem pertinet exhibere reverentiam uni Deo secundum unam rationem; in quantum scil. est primum principium creationis et gubernationis rerum. . . . Ad haec duo pertinent omnes actus, qui religioni attribuuntur; quia per omnes homo protestatur divinam excellentiam et subiectionem sui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei [e. g. in sacrificiis], vel etiam assumendo aliquid divinum [e. g. invocatio divini nominis in iuramento].»[4]

Subiectum virtutis religionis. Distinguitur duplex subiectum: 326
remotum et *proximum.* Subiectum remotum alicuius virtutis sunt illae personae, in quibus virtus invenitur; subiectum vero proximum est illa animae potentia, in qua virtus residet.

Subiectum remotum virtutis religionis non possunt esse 1. *animalia aliaque entia irrationalia.* Ratio est, quia non cognoscunt divinam excellentiam. Quodsi autem in S. Scriptura aliquando invitantur ad colendum Deum, e. g. in Cantico trium puerorum: «Benedicite omnes volucres coeli Domino», istae locutiones non sunt nisi metaphoricae, significantes fervorem abundantem hominis orantis et laudantis Deum. 2. *Diabolus et damnati;* quia cognoscunt quidem Dei excellentiam, sed illam odio habent neque volunt se Deo submittere. 3. *Omnes peccatores, qui remanent in formali peccato irreligiositatis.* Irreligiositas enim est vitium directe oppositum religioni. Iamvero impossibile est, virtutem et vitium oppositum esse simul in eodem subiecto. Ceteri

---

[1] *Billuart,* De relig. diss. 1, a. 2. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 81, a. 5.
[3] Cf. ib. a. 6. [4] Cf. ib. a. 3, corp. et ad 2.

autem omnes homines et angeli possunt esse subiectum religionis. Etiam Christus ut verus homo habuit et exercuit virtutem religionis per totam vitam suam, maxime autem in sacrificio crucis.

Subiectum proximum virtutis religionis non est neque intellectus, neque pars concupiscibilis, neque pars irascibilis, sed *voluntas*. Ratio est, a) quia obiectum religionis non est verum, neque moderatio passionum, sed bonum spirituale; b) quia duo principaliores actus virtutis religionis, scil. revereri Dei excellentiam et se subicere dominio Dei, sunt actus a voluntate eliciti, qui tamen supponunt duplicem cognitionem, scil. excellentissimae maiestatis divinae et nostrae vilitatis. Religio, etsi residet in voluntate, tamen saepe actus aliarum potentiarum et virtutum imperat, e. g. actus intellectus in oratione, actus potentiarum corporalium in genuflexione aliisque actibus exterioribus venerationis divinae, actus ieiunii (qui est virtutis temperantiae) ad colendum Deum etc.[1]

327 **Necessitas religionis** oritur ex lege tum naturali, tum positive-divina. Et primo quidem *ex lege naturali;* eo ipso enim, quod homo cognoscit Deum personalem, excellentissimum dominum coeli et terrae, propriamque dependentiam ab hoc Deo, illum colere impellitur. Merito igitur S. Thomas docet: «De dictamine rationis naturalis est, quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam.»[2] Hinc ubique terrarum apud omnes populos, etiam apud sic dictae civilizationis expertes, invenitur religio. *Lex positive-divina* tum Veteris tum Novi Testamenti multis in locis praescribit cultum Dei. Per praecepta caeremonialia in Vetere Testamento cultus Dei accuratissime ordinatus fuit; in Novo autem Testamento institutum est tamquam praecipuus modus colendi Deum sacrificium Missae. Pariter ad cultum Dei referuntur sacramenta instituta a Christo.

Extensio religionis. Religio exigit Dei cultum tum internum, tum externum, tum aliquando publicum.

1. *Internus cultus* debetur Deo, quia obsequium animae potissimum est, et sine illo nihil valent cetera omnia. Quapropter Christus dicit: «Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.»[3]

2. *Externus cultus* debetur Deo, quia totus homo, i. e. ex corpore et animo consistens, dependet a Deo creatore et gubernatore; ac proinde etiam totus homo secundum corpus et mentem revereri debet Deum. Praeterea inter corpus et animam est tam arcta connexio, ut affectus interni animae sponte redundent in corporeas actiones, et vicissim externis signis et actionibus excitentur ac foveantur affectus interni[4]. Experientia enim quotidiana comprobat, caeremoniis religiosis digne per-

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 81, a. 4. — Circa responsum ad 2 huius articuli adnotat subtiliter Caietanus: «Actus igitur multi exteriores, ut sacrificia, caeremoniae; et interiores aliarum potentiarum, ut oratio, sunt proprii, immediati et elicitive actus religionis, quamvis sint imperative tantum actus voluntatis, in qua est subiective religio.»

[2] S. theol. l. c. a. 2 ad 3. [3] Io 4, 27. [4] Cf. S. theol. l. c. a. 7.

actis homines christianos vehementer incitari ad interiores affectus religiosos. Quapropter in omnibus religionibus (sive iudaica sive pagana) externi ritus adhibentur, et Innocentius XI merito damnavit deliria Michaelis Molinos et Quietistarum docentium: «Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.» [1]

3. *Publicus cultus* Dei etiam aliquando est necessarius, quia homo est animal sociale et quia Ecclesia fundata est tamquam societas visibilis. Porro societas visibilis non potest persistere, nisi aliquando actus suos exerceat in publico seu in communi. Publicus igitur cultus divinus oritur ex ipsa natura humana et ex institutione Ecclesiae, atque valde fovet fervorem cuiusque christiani.

CAPUT II.

De actibus virtutis religionis.

Actus praecipui religionis sunt: devotio, oratio, adoratio, sacrificium, usus sacramentorum, votum, iuramentum, adiuratio, sanctificatio quorundam dierum. De sacrificio et sacramentis dicetur in speciali tractatu de sacramentis. De reliquis nunc agendum.

ARTICULUS I.

De devotione.

Notio. Nomen devotionis solet sumi in triplici significatione. Signi- 328
ficat enim:

1. *Certa quaedam exercitia pietatis;* quo sensu loquimur de devotione erga eucharistiam, erga quinque vulnera etc.

2. *Attentionem et quandam consolationem spiritualem in oratione aut meditatione.* In hoc sensu dicimus: feci meditationem cum magna devotione, vel sine devotione.

3. *Primum actum virtutis religionis,* quo sensu definiri potest: **«Devotio est voluntas quaedam [i. e. actus voluntatis] prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum.»** Ita S. Thomas [2].

Verbum ipsum devotionis in se spectatum significat potius habitum quam actum, et revera haud raro devotio sumitur ut habitus [3]; tunc autem realiter non differt ab ipsa virtute religionis. Praeeunte Angelico Doctore, sumo devotionem, prout est *actus internus religionis,* et prout elicitur a voluntate firma, constanti et generosa. Devotionem autem merito tamquam actum considerari probat S. Thomas hoc modo [4]: «Actibus (et non habitibus) me-

---

[1] Prop. damn. 30 (*Denz.* n. 1250). Necessitatem cultus externi non solum Quietistae negant, sed etiam fere omnes isti, qui totam religionem reponunt in puro sensu subiectionis. Qui quidem solent vocare cultum externum vanas formalitates *(eitler Formelkram)*.

[2] S. theol. 2, 2, q. 82, a. 1. [3] *Frömmigkeit.*

[4] S. theol. l. c. in arg. Sed contra.

remur, ut supra [1] habitum est. Sed devotio habet specialem rationem merendi. Ergo devotio est actus specialis.» — Non quilibet, qui aliquando proponit tradendi se ad famulatum et cultum Dei, vocatur devotus, sed qui hoc facit ex virtute stabili et constanti. Perfectissime devotionem habuit Christus, qui de semetipso dicere potuit: «In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei» [2]; et: «Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.» [3] — Notandum est, voluntatem prompte se tradendi ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum, posse non solum ex virtute religionis, sed etiam ex virtute caritatis oriri; sed aliter et aliter. Etenim si talis voluntas intendit *unionem amicabilem cum Deo,* est actus caritatis; sin autem intendit *cultum et famulatum Dei,* et quidem ut debitum propter Dei excellentiam et nostram subiectionem, est actus religionis. Ad rem scribit Angelicus Doctor [4]: «Ad caritatem pertinet immediate, quod homo tradat seipsum Deo, adhaerendo ei per quandam spiritus unionem; sed quod homo tradat seipsum Deo ad aliqua opera divini cultus, hoc immediate pertinet ad religionem, mediate autem ad caritatem, quae est religionis principium.» — Sicut caritas imperat omnibus virtutibus, ac proinde etiam virtuti religionis, ita similiter virtus religionis, mediante actu devotionis, imperat aliis actibus ad cultum Dei pertinentibus. Unde devotio habet influxum generalissimum in ceteros omnes actus [5]. Cur enim colimus Deum oratione, sacrificio, caeremoniis? Quia volumus nos ac nostra omnia tradere in divinum famulatum. Exinde apparet, quam necessaria sit devotio in vita spirituali, ita ut, illa deficiente, actus humani cultus divini evadant remissi et imperfecti. Sicut virtus religionis intime connectitur cum virtute caritatis, ita actus virtutis religionis, qui est devotio, arcte coniungitur cum actu caritatis, qui vocari solet bona intentio in omnibus operibus nostris [6].

329 **Causae devotionis** sunt partim extrinsecae partim intrinsecae. Causa *extrinseca principalis* est Deus per suam gratiam. Quae quidem gratia (sanctificans et actualis) prorsus necessaria est pro actu supernaturali et meritorio devotionis. Etenim cum gratia sanctificante infunduntur omnes virtutes theologicae, ut supra n. 472 dictum est. Iamvero virtus *infusa* religionis non elicit actum devotionis supernaturalem nisi excitante et adiuvante gratia actuali. — Virtus autem religionis *acquisita* potest aliquem actum devotionis elicere etiam sine gratia. — Causa *extrinseca secundaria* devotionis saepe est exemplum atque influxus moralis aliorum hominum devotorum, ut patet ex quotidiana experientia.

Causa *intrinseca devotionis* est meditatio et contemplatio tum Dei beneficentiae, excellentiae, humanitatis Christi, tum humanae dependentiae a Deo Creatore, Gubernatore et Motore. Ex contemplatione enim Dei et Christi excitatur caritas, quae est proxima devotionis causa, secundum illud: «Mihi adhaerere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam.» [7] Ex consideratione autem dependentiae et

---

[1] S. theol. 1, 2, q. 21, a. 3 et 4.
[2] Ps 37, 9. [3] Io 4, 34. [4] S. theol. 2, 2, q. 82, a. 2 ad 1.
[5] Ib. a. 1 ad 2. [6] *Gute Meinung, la bonne intention.* [7] Ps 72, 27.

defectuum humanorum oritur desiderium auxilii divini, iuxta illud: «Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.»[1] Ex quibus luculenter apparet, quam necessaria sit bona ac frequens meditatio pro vita religiosa[2].

Effectus devotionis sunt plures: 330

1. *Laetitia spiritualis.*

Nam devotio, ut modo dictum est, causatur principaliter ex meditatione divinae excellentiae et beneficentiae. Porro haec meditatio producit delectationem spiritualem, iuxta illud: «Memor fui Dei, et delectatus sum.»[3] Per accidens vero haec consideratio tristitiam quandam causat in homine viatore[4], secundum illud: «Sitivit anima mea ad Deum, fortem vivum: Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.»[5]

2. *Devotio accidentalis seu affectiva.*

Laetitia enim spiritualis orta ex devotione non remanet in sola mente, sed redundat in omnes facultates humanas, causans dulces consolationes (etiam sensibiles). Solet Deus concedere devotionem istam affectivam incipientibus in vita spirituali, ne deterreantur ex difficultatibus suborientibus. Proficiente autem tempore, ista devotio paulatim cessat; immo non raro locum dat ariditati spirituali, Deo sic disponente in nostram comprobationem. Devotio accidentalis, licet multo minor sit devotione substantiali, tamen non est spernenda ut inutilis aut in se mala. Quare Innocentius XI damnavit propositionem Michaelis Molinos[6]: «Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quaerit Deum, sed seipsum; et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus sollemnibus.» — Ex alia parte devotio affectiva non est nimis aestimanda, neque ex defectu illius homo debet maerere, quoniam devotio substantialis sola est actus religionis et apud Deum meretur.

3. *Facilitas et promptitudo peragendi ceteros actus religionis,* velut orandi, adorandi, sacrificandi etc., immo etiam actus ceterarum virtutum.

Ratio est, quia devota mens est prompta ad placendum Deo per omnes actus virtuosos.

4. *Optimus influxus etiam in corporales gestus ac agendi modum.*

Etenim propter intimam unionem corporis et animae resplendet etiam in corpore mens vere et constanter Deo devota, ita ut vultus, gestus corporales, vox, caeremoniae ecclesiasticae peragendae appareant sub influxu devotionis[7].

Ex quibus omnibus convincimur de magno devotionis pretio et monemur cum Ecclesia orare, «ut piae devotionis erudiamur affectu», et ut «Deus devotionem in nobis augeat ad salutem».

---

[1] Ps 120, 1. [2] S. theol. l. c. a. 3.

[3] Ps 76, 4. Hinc S. Paulus devotissimus dicebat de seipso: «Superabundo gaudio in omni tribulatione» (2 Cor 7, 4).

[4] S. theol. l. c. a. 4. [5] Ps 41, 3 sq.

[6] Prop. 27 (*Dens.* n. 1247).

[7] Cf. *Wirthmüller,* Die moralische Tugend der Religion § 9.

ARTICULUS II.

De oratione.

Singillatim agendum est: 1. de notione et divisione orationis; 2. de eius obiecto; 3. de eius necessitate; 4. de eius efficacia, ubi etiam de eius proprietatibus sermo erit; 5. de orationibus nonnullis particularibus et notanter de horis canonicis.

§ 1.

De notione et divisione orationis.

331 **Nomen.** Orationis nomen aliter a scriptoribus profanis, aliter in Theologia adhibetur. S. Hieronymus de hac re scribit: «Oratio iuxta grammaticos omnis sermo loquentium est, cuius etymologiam sic explicant: Oratio est oris ratio. In scripturis autem sanctis difficile orationem iuxta hunc sensum legimus, sed eam, quae ad preces et obsecrationes pertinet.»[1] Concinne explicat S. Thomas ex hac etymologica derivatione orationis, quasi oratio sit ratio oris[2], quomodo oratio in sensu theologico sumpta sit actus rationis, indeque deducit definitionem realem[3].

332 **Definitio.** In sensu theologico tripliciter sumi solet oratio:

1. *Sensu generali* pro quolibet actu religionis et pro tota vita religiosa. Hinc illud S. Augustini: Oratio optima vita iusta. Ita quoque Glossa ordinaria[4] explicat monitum Christi et Apostoli: «Sine intermissione orate», dicens: «Semper iuste vivite; nam iustus numquam desinit orare, nisi desinat iustus esse; semper ergo orat, qui semper bene agit.» Oratio in hoc sensu generali accepta vocata est *oratio vitalis,* de qua bene tractat S. Catharina Senensis[5].

2. *Sensu lato* pro omni pio interiore motu mentis in Deum. In hoc sensu SS. Patres saepe loquuntur de oratione, e. g. S. Gregorius Nyssenus[6]: «Oratio est conversatio sermocinatioque cum Deo»; S. Ioannes Chrysostomus[7]: «Oratio est locutio ad Deum»; S. Augustinus[8]: «Quid autem est oratio, nisi ascensio animae de terrestribus ad coelestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium?» et: «Oratio est conversio mentis in Deum per pium et humilem affectum.»[9] Notissima autem sunt verba Ioannis Damasceni[10]: «**Oratio est ascensio mentis ad Deum.**» — In hoc sensu lato orationis etiam ille orat, qui elicit actus fidei, spei, caritatis; qui meditatur de mysteriis divinis; qui Deum laudat; qui Deo gratias agit pro beneficiis collatis etc. At non omnis elevatio mentis ad Deum est oratio in hoc sensu; nam ille, qui solummodo

[1] Ep. ad Cypr. 139 (140); ap. *Migne,* Patr. lat. 22, 1168.
[2] *Vernunft des Mundes.* [3] S. theol. 2, 2, q. 83, a 1 et 17 ad 2.
[4] Super 1 Thess 5, 17; cf. Eccli 18, 23 et Lc 18, 1. [5] Dial. c. 66.
[6] Orat. 1 de orat. dominic. (*Migne,* Patr. graec. 44, 1125).
[7] In Gen. hom. 30, n. 5 (*Migne* l. c. 53, 280).
[8] Sermo 73. Iste textus saepe citatur ab auctoribus tum antiquis tum modernis, sed a Migne refertur inter sermones suppositicios S. Augustini
[9] Lib. de spir. et anima (*Migne,* Patr. lat. 39, 1887).
[10] De fide l. 3, c. 24 (*Migne,* Patr. graec. 94, 1090).

discendi aut docendi causa de divinis cogitat, non orat. Ideoque ad orationem semper requiritur *pius motus mentis in Deum,* qui scil. fit venerandi causa.

3. *Sensu stricto* pro oratione deprecatoria. In hoc sensu habetur quasi classica et notissima definitio item a S. Ioanne Damasceno[1] data: «**Oratio est petitio decentium a Deo.**» Quam definitionem S. Thomas[2] quoque adoptat, et quam S. Bruno Carthusiensis concinne explicat dicens: «Oratio est oris ratio, quam proni referimus, vota nostra pandentes.»[3] Ut autem petitio nostra ad Deum directa sit vera oratio, requiritur, ut sit de rebus, quae decent et licita sunt. Etenim oratio est actus religionis seu cultus Dei. Iamvero ille, qui indecentia et illicita peteret a Deo sanctissimo, non coleret, sed derideret Deum.

Oratio est actus religionis. Orationem in secundo et tertio sensu acceptam revera esse actum virtutis religionis, haud difficulter probatur. Etenim orando agnoscimus potentiam et bonitatem divinam atque protestamur nostram indigentiam et dependentiam a Deo. Quae quidem omnia constituunt verum cultum Dei. Ad rem scribit Angelicus Doctor[4]: «Ad religionem proprie pertinet reverentiam et honorem Deo exhibere; et ideo omnia illa, per quae Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scil. ei se subicit, et profitetur orando, se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est, quod oratio est proprie religionis actus.» -- Unde concinne oramus: «Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.»[5] Est enim bona oratio tus suave olens coram maiestate divina. — Ex quibus sequitur, ut *principalis finis* omnis orationis debeat esse cultus divinus. Quando ergo quis orat e. g. pro sanitate recuperanda, prius et principalius debet intendere cultum divinum atque suam subiectionem sub Deo; secundario autem potest desiderare sanitatem suam. Unde saltem implicite debet sibi dicere: Peto a Deo optimo maximo sanitatem, dummodo hoc sit beneplacitum adorandae eius providentiae. Ceterum in praxi quaecumque oratio cum vera fiducia facta eo ipso includit hanc venerationem debitam Dei. Nemo enim cum fiducia oraret, nisi intime convictus esset de omnipotentia et bonitate divina, et nisi sentiret propriam indigentiam.

Quid intendimus orando? Prae oculis habendum est, nos in 333
orationibus nostris deprecatoriis minime intendere Deo nostras necessitates manifestare, quippe quas cognoscat Deus omniscius iam ante manifestationem nostram. Neque etiam volumus precibus nostris mutare providentiae divinae decreta, cum hoc sit impossibile propter Dei immutabilitatem. *Fere primarius finis (praeter cultum divinum) orationi nostrae deprecatoriae est, removere obstacula in nobis ipsis exsistentia, quae impletionem nostri desiderii impediunt*[6]. Per orationem enim debitis conditionibus vestitam apti efficimur ad recipienda divina beneficia.

---

[1] L. c. [2] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 1. [3] Apud *Migne,* Patr. lat. 142, 169.
[4] S. theol. l. c. a. 3. [5] Ps 140, 2.
[6] Pulchre hoc exprimit *S. Augustinus:* «Creatura rationalis preces offert Deo . . . ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur» (De gratia N. Testam. c. 29, apud *Migne,* Patr. lat. 33, 568) Cf. S. theol. l. c. a. 2 et Summa c. gent. III, 96.

Nam exercemus orando fere omnes virtutes: *humilitatem*, profitendo nos esse infirmos a Deo totaliter dependentes; *fidem*, credendo in Dei omnipotentiam et bonitatem; *spem*, sperando eius auxilium; *caritatem*, tendendo in arctam coniunctionem cum Deo. Quare Hugo de S. Victore[1] merito dicit: «Oratio est mentis devotio, i. e. conversio in Deum per humilem et pium affectum, fide, spe, caritate subnixum.» Et Catechismus Romanus[2] docet: «Propterea nos [Deus] hac uti vult exercitatione precationis, ut flagrantes petendi studio, quod optamus, tantum ea assiduitate et cupiditate proficiamus, ut digni simus, in quos illa conferantur beneficia, quae antea ieiunus et angustus animus noster capere non poterat.» — Cum bona et salutaris oratio sit tam excellens medium tum salutis nostrae aeternae tum bonorum aliorum adipiscendorum, indigemus gratia Dei ad bene orandum. Hinc illud: «Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.»[3]

Ad melius adhuc explicandam essentiam orationis, iuvat quaedam notare de subiecto remoto et proximo orationis:

334 **Subiectum remotum orationis** est idem ac subiectum remotum religionis, cum oratio sit actus virtutis religionis. Generatim dici potest: Omnes illi sunt subiectum remotum orationis, seu possunt vere orare, qui possunt et volunt pio affectu se subicere divinae maiestati, agnoscentes propriam indigentiam et dependentiam. Hinc non possunt recte orare:

1. Illi, quibus deest omnis vera *humilitas*. Ideo narratur de gigantibus Veteris Testamenti: «Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt, confidentes suae virtuti.»[4]

2. *Daemones et damnati*. Sin autem satanas petivit a Deo licentiam tentandi Iob, vel si daemones eiecti ex Gerasenis petierunt intrare in porcos, vel si dives homo, qui repudiavit Lazarum, in inferno sepultus petit, ut lingua sua refrigeretur aqua, vel si idem rogat, ut Lazarus mittatur in domum patris ad monendos fratres, omnes istae petitiones non sunt verae orationes Deum colentes, sed tantum desideria manifestata.

Econtra orare possunt:

1. *Omnes peccatores et non praedestinati*. Contraria sententia Ioannis Wicleff et Paschasii Quesnel damnata est[5].

2. *Christus, ut homo*[6], *omnes angeli et sancti*. Omnes enim isti perfectissime agnoscunt propriam dependentiam et Dei dominium. Ferventissime Christus oravit in horto Olivarum; sancti et angeli orant tum pro ipsorum gloria accidentali tum pro nostra salute. Neque quis dicat, coelites non

---

[1] De modo orandi c. 1 (*Migne*, Patr. lat. 176, 979).

[2] Pars 4, c. 2, q. 9. [3] Rom 8, 26. [4] Eccli 16, 8.

[5] Concilium Constantiense damnavit propositionem (26) Wicleff: «Oratio praesciti [i. e. non praedestinati] nulli valet» (*Denz.* n. 606). — Clemens XI proscripsit propositiones Paschasii Quesnel (prop. 50): «Frustra clamamus ad Deum: Pater mi, si spiritus caritatis non est ille, qui clamat»; prop. 59: «Oratio impiorum est novum peccatum; et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium» (*Denz.* n. 1400 1409).

[6] Cf. S. theol. 3, q. 21, a. 1.

posse orare, quia iam ante orationem vident in Dei essentia, utrum res petita eventura sit necne. Nam haec praescientia non est ita certa[1], et etiamsi illa adsit, non impedit orationem. Etenim Christus, qui certissime cognovit omnes futuros eventus, oravit Patrem in horto Olivarum, ut transiret calix passionis. Sicut igitur Christus in horto petivit liberationem a passione ad ostendendum repugnantiam et affectum suae naturae humanae — quae ostensio fuit coniuncta cum perfectissima subiectione et reverentia erga Deum Patrem — ita coelites possunt orare Deum ex affectu simplici caritatis ad viventes in hac terra, subiciendo tamen istum affectum efficaci voluntati divinae[2].

3. Probabilius etiam animae purgatorii possunt orare tum pro se tum pro viventibus in hac terra. De hac re minime quidem consentiunt theologi, neque ad hunc diem Ecclesia aliquid definivit. Veteres theologi communius videntur negare animabus purgatorii potentiam orandi. Sic e. g. S. Thomas[3] scribit: «Illi qui sunt in purgatorio ... non sunt in statu orandi, sed magis, ut oretur pro eis.» Inde a saeculo XVI plures auctores affirmativam sententiam propugnant. Ioannes Medina[4] († 1546) videtur fuisse primus, qui ita docuit. Quem sequuntur Valentia[5], Sylvius[6], Bellarminus[7], Bonacina[8], Elbel[9] et moderni fere omnes, e. g. Lehmkuhl[10], Noldin[11], Pesch[12], Wirthmüller[13] etc. Pro neutra sententia possunt afferri argumenta vere convincentia. S. Thomas videtur loqui de sola oratione deprecatoria. Et revera difficulter intelligitur, quid istae animae possint precari pro se ipsis, vel quo modo cognoscant necessitates hominum in hac terra. Ex alia autem parte cum animae istae non sint desides neque careant perfecta subiectione ad Deum et agnitione divinae excellentiae, non est illis deneganda oratio laudis et gratiarum actionis et deprecationis generalis pro Ecclesia militante[14].

Subiectum proximum orationis non est voluntas, sed *ratio* 335
practica. Ita S. Thomas[15], et manifeste patet ex definitione orationis, quae est ascensio mentis in Deum, vel petitio decentium a Deo. Nam orare est loqui ad Deum, intimare, manifestare suum desiderium. Iam vero isti actus sunt rationis practicae. Cum tamen etiam desiderium voluntatis in oratione operetur, voluntas ad actum orationis excitat. Licet igitur oratio sit actus virtutis religionis residentis in voluntate, tamen ipsa formaliter elicitur a ratione. Neque hoc est contradictio. Etenim, ut actus dicatur elicitus ab aliqua virtute, non est necesse, ut sit in eadem potentia, in qua est ipsa virtus; sed sufficit, quod per hanc virtutem dirigatur in suum proprium finem, nulla alia mediante virtute. Sic e. g. dicimus exteriorem fidei confessionem esse actum elicitum fidei in intellectu, licet haec confessio sit facta ab alia potentia[16].

Divisio orationis. Non eodem modo a diversis auctoribus assignantur divisiones orationis. Principaliores divisiones sunt sequentes:

---

[1] Cf. ib. 1, 2. q. 113, a. 8. [2] Cf. ib. 2, 2, q. 83, a. 11.
[3] Ib. ad 3 et a. 4 ad 3; cf. etiam *Ioan. a S. Thoma* disp. 26.
[4] De orat. q. 5. [5] T. III, disp. 6, q. 2, p. 7.
[6] Comm. in 2, 2, q. 83, a. 11. [7] De purgat. l. 2, c. 15.
[8] De hor. can. disp. 192, p. 1, n. 8. [9] Theol. mor. II, n. 398.
[10] Theol. mor. I, n. 482. [11] De praeceptis n. 141.
[12] Prael. dogm. IX, n. 324. [13] Die moral. Tugend der Religion § 11.
[14] Cf. infra n. 344. [15] L. c. a. 1.
[16] Cf. *Billuart,* De orat. a. 2, et *Caietan.,* Comm. in 2, 2, q. 81, a. 4.

336 1. Oratio *mentalis* seu interna et oratio *vocalis* seu externa.

Oratio mentalis perficitur solis actibus intellectus et voluntatis. In ista oratione recolimus ferventi studio e. g. divina attributa, ut bonitatem, clementiam; beneficia infinita a Deo nobis collata, virtutes christianas, nostram egestatem etc., et hoc modo causantur in nobis affectus amoris, desideria rerum coelestium, proposita peragendi vitam perfecte christianam. Cuius quidem orationis supremus gradus vocatur *contemplatio*[1], qua mens Deum ipsum eiusque immensas perfectiones puro oculo sine discursu et perturbatione speculatur, eique quodam ferventissimi amoris dulci vinculo iungitur. Verum ista contemplatio minime est sterilis et otiosa, sicuti somniabantur Quietistae, sed econtra evadit foecunda parens omnium virtutum christianarum, et quidem saepe in gradu vere heroico exercitarum. — Inferior gradus orationis mentalis est *simplex meditatio,* quae consistit in pia et discursiva consideratione veritatum religiosarum eo fine, ut inde resolutiones bonae pro vita morali hauriantur. Essentialis igitur differentia inter contemplationem et meditationem consistit in hoc, quod contemplatio est *intuitiva,* meditatio vero est *discursiva.* — Meditatio est valde necessaria pro omni homine christiano, qui vult facere profectum in vita spirituali. — *Oratio vocalis* illa est, quae mente et verbis perficitur. De illa loquitur S. Paulus: «Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, i. e. fructum labiorum confitentium nomini eius.»[2] Oratio vocalis debet exprimere verbis id, quod interius conceptum est. Quae quidem expressio non est necessaria ad hoc, ut Deo innotescant desideria nostra, sed ut inde interior nostra devotio magis excitetur et ut totus homo (i. e. constans ex anima et corpore) oret; et demum ut oratio publica magis foveatur. Inde ab initio nedum Christianismi, sed totius generis humani orationes vocales Deo oblatae sunt. Ipse etiam Christus saepe, praesertim autem in sua passione, orationes vocales protulit. Ex dictis sequitur, orationem vocalem non consistere in solis verbis, sed requirere necessario saltem aliquam mentis operationem. Quaenam autem attentio mentis sit necessaria pro omni oratione, dicetur infra n. 354.

337 2. Oratio *publica* et *privata.*

Oratio publica profertur a publico ministro Ecclesiae et nomine Ecclesiae peragitur in salutem populi; e. g. Officium divinum, etiamsi est recitatum modo privato. — *Oratio privata* perficitur mentaliter vel etiam vocaliter nomine et auctoritate propria orantis. — Duo igitur requiruntur ad orationem publicam: 1. ut talis oratio sit ab Ecclesia instituta; 2. ut talis oratio fiat nomine Ecclesiae. Quodsi alterutrum deest, oratio est privata. Hinc sacerdos privatim recitans Officium divinum, ad quod tenetur ex praecepto Ecclesiae, peragit orationem publicam; idem autem sacerdos dicens rosarium ex devotione sua, peragit orationem privatam. Oratio publica, quae etiam aliquando communis vocatur, semper debet esse *vocalis,* ut S. Thomas[3] docet: «Duplex est oratio: communis et singularis. Communis quidem oratio est, quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur; et ideo oportet, quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur; quod non posset fieri, nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut

---

[1] Verbum contemplationis diversis sensibus sumitur ab auctoribus mysticis et asceticis. Immo *Poulain* (Des grâces d'oraison [1909] c. 4) putat, hoc verbum non fuisse adhibitum usque ad saeculum XVII in sensu nunc usitato.

[2] Hebr 13, 15. [3] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 12,

ministri Ecclesiae huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. Oratio vero singularis est, quae offertur a singulari persona cuiuscumque sive pro se sive pro aliis orantis; et de huiusmodi orationis necessitate non est, quod sit oralis.» — Cum omnes orationes Officii divini et liturgiae sint orationes publicae, hinc clerici debent oraliter pronuntiare istas orationes; secus non satisfaciunt praecepto ecclesiastico, ut infra n. 376 specialiter dicetur de horis canonicis.

3. Oratio dividitur in *obsecrationes, orationes, postulationes* et *gratiarum actiones.*

Quae quidem divisio desumpta est ex epistola S. Pauli dicentis: «Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.»[1] Istae autem quattuor partes hoc modo explicantur ab Angelico Doctore[2]: «Ad orationem tria requiruntur; quorum primum est, ut orans accedat ad Deum, quem orat: quod significatur nomine orationis, quia oratio est ascensus intellectus in Deum. Secundo requiritur petitio, quae significatur nomine postulationis; sive petitio proponatur determinate, quod quidam nominant proprie postulationem; sive indeterminate, ut cum quis petit iuvari a Deo, quod nominant supplicationem.... Tertio requiritur ratio impetrandi quod petitur; et hoc vel ex parte Dei vel ex parte petentis. Ratio quidem impetrandi ex parte Dei est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri ... et ad hoc pertinet obsecratio, quae est sacra contestatio, sicut cum dicimus: Per nativitatem tuam libera nos Domine. Ratio vero impetrandi ex parte petentis est gratiarum actio; quia de acceptis beneficiis gratias agentes meremur accipere potiora.... In pluribus etiam Ecclesiae collectis haec quattuor possunt attendi, sicut in collecta Trinitatis, quod dicitur: Omnipotens sempiterne Deus, pertinet ad orationis ascensum ad Deum; quod dicitur: qui dedisti famulis tuis etc., pertinet ad gratiarum actionem; quod dicitur: praesta quaesumus etc., pertinet ad postulationem; quod in fine ponitur: Per Dominum nostrum etc., pertinet ad obsecrationem.» — Ab aliis autem auctoribus afferuntur etiam aliae explicationes verborum S. Pauli.

4. Ratione *finis,* ad quem proxime tendit homo orans, aliquando dividitur oratio in *adorationem, gratiarum actionem* et *petitionem.*

Si orans intendit agnitionem summae excellentiae divinae et propriae subiectionis, fit adoratio seu laus Dei; si intendit orando gratias agere pro beneficiis acceptis, est gratiarum actio; sin autem orando vult novas gratias obtinere, est petitio seu oratio deprecatoria, ad quam referuntur etiam oratio propitiatoria, qua quis petit remissionem peccatorum et poenarum, atque intercessio, qua quis petit bona pro aliis hominibus.

§ 2.

De obiecto orationis.

In hac paragrapho respondemus ad tres sequentes quaestiones: 1. quae in oratione peti possint? 2. pro quibus orandum sit? 3. ad quem orationes nostrae sint dirigendae?

---

[1] 1 Tim 2, 1. [2] L. c a. 17.

1. *Quae in oratione peti possunt?*

338 Tamquam **regula generalis** valet propositio desumpta (non quidem iuxta ipsa verba, sed secundum sensum) ex S. Augustino: *Hoc licet orare, quod licet desiderare*[1]. Ex qua regula generali sequuntur hae **applicationes:**

a) Licet petere in oratione non tantum *bona* in genere, sed etiam *in particulari.* Contraria doctrina proposita a Socrate[2], Wicleff, Illuminatis, Quietistis est falsa, et contradicit S. Scripturae, in qua iubemur petere bona quoque particularia. Exemplum manifestissimum est ipsa Oratio Dominicalis, in qua continentur septem petitiones particulares et determinatae.

b) Licet *determinate et absolute petere bona necessaria ad salutem aeternam,* qualia sunt gratia requisita omniaque alia media necessaria ad salutem. Ratio est, quia nemo potest hisce bonis abuti, et quia Deus revera vult, ut ea petamus, monens nos: «Quaerite primum regnum Dei.»[3] Immo non solum licet, sed etiam praestat, huiusmodi bona petere modo absoluto, quia hoc modo magis attente oramus, et quia eo ferventius solemus orare ac concupiscere bona, quo particularius inspiciuntur[4]. Exinde falsa est doctrina Quietistarum docentium, etiam bona spiritualia necessaria ad salutem esse tantum *conditionate* petenda; sub conditione nempe, quod Deus nos ad salutem aeternam praedestinaverit, atque hominem debere renuntiare etiam vitae aeternae, si ita Deus decreverit. Cuius doctrinae falsitas elucet ex eo, quod Deus sincere vult omnes homines salvos fieri[5], et quod nemo praedestinatur ad gehennam ante praevisa demerita. — *Gratiae gratis datae et charismata,* e. g. donum linguarum, miraculorum etc., non licet absolute, sed tantum conditionate in oratione petere, quia istae gratiae non sunt media directe utilia ad salutem aeternam habentis eas, sed potius prosunt aliis hominibus.

c) Licet in oratione petere etiam *bona temporalia,* non quidem ut in eis finem constituamus, sed sicut quaedam adminicula, quibus adiuvemur in assequenda aeterna beatitudine[6]. Quod quidem etiam confirmat usus Ecclesiae, quae petit in orationibus e. g. pluviam, serenitatem, sanitatem etc. Quando autem a Deo petimus bona temporalia, debemus semper implicitam saltem conditionem apponere, quod non exspectamus exauditionem precum, si bona temporalia sint obstacula nostrae salutis aeternae. Cum autem reapse bona temporalia saepe sint obstacula salutis, caute quaerenda sunt per orationem.

d) Licet etiam in oratione petere *mala physica* tum pro se tum pro alio, dummodo tamen petantur ut media ad habenda bona spiritualia magni valoris. Sic S. Paulus cupiebat dissolvi et esse cum Christo; sic sancti haud raro petebant egestatem, infirmitatem, persecutiones etc. Nihilominus huiusmodi oratio cum magna cautela facienda est, praesertim si agitur de petendo malo physico proximi, quia facillime deceptiones aderunt et quia intentio orantis haud raro non est ita pura[7].

e) Non licet in oratione petere *rem moraliter malam,* e. g. auxilium ad furtum aut fornicationem perpetrandam. Talis enim oratio esset grave pec-

---

[1] Propositio ista habetur quoad sensum Ep. 130 (al. 121), c. 12 ad Probam (*Migne,* Patr. lat. 33, 503).

[2] Apud *S. Thomam,* S. theol. 2, 2, q. 83, a. 5. [3] Mt 6, 33.

[4] Cf. *S. Thom.* 4, dist. 15, q. 4, a. 4, quaestiunc. 3. [5] Cf. 1 Tim 2, 4.

[6] S. theol. l. c. a. 6. [7] Cf. *Billuart,* De orat. a 5.

catum (saltem obiective loquendo), quia gravem irreverentiam erga Deum sanctissimum committeret ille, qui vellet eum habere cooperatorem ad peccatum etiam in se leve [1].

Scholion. De Oratione Dominicali. S. Thomas [2] optime demonstrat, 339
in Oratione Dominicali perfecto ordine omnia omnino contineri, quaecumque a Deo legitime petere possumus orando. Cum Oratio Dominicalis sit inter omnes orationes optima et frequentissima, valde expedit, ut pastores animarum diligenter instruant fideles de pulchritudine et aptitudine huius orationis. Quapropter Catechismus Romanus [3] ad parochos destinatus habet amplum commentarium in Orationem Dominicalem.

2. *Pro quibus orandum est?*

Regula generalis. *Orare licet non solum pro nobismetipsis, sed* 340
etiam pro omnibus et singulis creaturis gloriae aeternae capacibus [4].

Ratio intrinseca et fundamentalis, cur et quomodo alter pro altero efficaciter orare possit, est dogma *de communione sanctorum.* Omnes enim homines (exceptis solis damnatis) intima unione caritatis constringuntur, ac proinde unus alteri prodesse potest. Efficacia orationis fere consistit in eo, quod e medio tollantur obstacula gratiae in nobis exsistentia ideoque melius disponamur ad gratias recipiendas. Sane ex eo, quod nos pro alio, e. g. pro peccatore, oramus, ille nondum obstacula gratiae aufert neque fit aptus ad recipiendas gratias, sed Deus saepe largitur gratias actuales, quin adsit specialis dispositio recipientis. Sic e. g. pie creditur, Deum largitum esse precibus Stephani protomartyris gratiam conversionis Saulo minime specialiter disposito in via ad Damascum. — Insuper cum totum genus humanum Christi sanguine redemptum sit una societas moralis, in qua singuli homines sunt membra, dignitas et operatio unius membri aliqualiter redundat in aliud membrum. Ideoque si unus homo orans magis dispositus evadit ad gratias recipiendas, haec maior dispositio aliqualiter redundat in alios homines secum unitos, ita ut etiam ipsi (licet peccatores) fiant magis capaces ad gratias recipiendas.

Ergo licet orare pro omnibus hominibus viventibus in hac terra, nullo excepto, sive sunt fideles sive infideles, sive amici sive inimici, sive excommunicati sive non. Pariter licet orare pro animabus in purgatorio; immo et pro beatis in coelo, qui quamvis habeant beatitudinem essentialem eamque immutabilem, tamen adhuc crescere possunt in beatitudine accidentali. Non autem licet orare pro damnatis in gehenna, quia isti iam non sunt capaces aeternae gloriae.

1. Wicleff docuit, orationes fundendas quidem esse pro hominibus *in generali,* non autem pro hominibus in singulari. Sed haec doctrina proscripta est damnatione propositionis (19): «Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.» [5] Orationes fieri posse pro aliis hominibus *in particulari,* manifeste apparet ex S. Scriptura, ex usu Ecclesiae, ex ratione theologica. Et

---

[1] Cf. *Noldin,* De praeceptis n. 142. [2] S. theol. l. c. a. 9. [3] Pars IV, c. 9.

[4] Haec regula exprimi potest etiam hoc modo: Possumus et debemus orare pro omnibus, quibus nostra oratio utilis est et quos ex caritate diligere debemus.

[5] *Denz.* n. 599.

primo quidem ex S. Scriptura, nempe ex exemplo Christi, qui oravit pro Petro, ne fides eius deficeret[1]; pro crucifixoribus[2]. S. Paulus fere in qualibet epistula sollicitat fidelium preces pro semetipso[3]. S. Iacobus monet: «Orate pro invicem, ut salvemini.»[4] — Usus Ecclesiae idem ostendit; nam die Parasceves ipsa orat pro omnibus non solum fidelibus, sed etiam infidelibus, haereticis, iudaeis. — Ratio autem theologica huius doctrinae sic explicatur a S. Thoma[5]: «Illud debemus orando petere, quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona non solum nobis, sed etiam aliis; hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere. Et ideo caritas hoc requirit, ut pro aliis oremus. Unde Chrysostomus dicit: Pro se orare necessitas cogit; pro altero autem caritas fraternalis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat. . . . Sicut Cyprianus dicit: Ideo non dicimus Pater meus, sed noster; nec da mihi, sed da nobis, quia unitatis magister noluit privatim precem fieri, ut scil. quis pro se tantum precetur; unum enim orare pro omnibus voluit, quoniam in uno omnes ipse portavit.»

2. Quantum ad orationem *pro inimicis* notanda est doctrina Angelici Doctoris ab omnibus admissa: «*Necessitas* est, ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis specialiter oremus, *perfectionis* est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.»[6] Qui quidem casus specialis est specialis et gravis necessitas, in qua inimicus versatur, vel si sine speciali oratione oriatur scandalum.

341 3. *Pro excommunicatis* certe possumus fundere orationes *privatas;* quia hoc nullibi prohibitum est, et quia etiam excommunicati adhuc capaces sunt aeternae gloriae. Aliquando etiam orationem *publicam* pro excommunicatis esse licitam, patet ex ipso exemplo Ecclesiae, quae die Parasceves publice orat pro haereticis et schismaticis, quos profecto ut excommunicatos habet. Num autem etiam in aliis casibus liceat publice orare, et praesertim, num liceat sacrificium Missae offerre pro excommunicatis, pendet a legislatione Ecclesiae aut legitima consuetudine[7]. Quodsi S. Ioannes videtur excludere ab orationibus nostris magnos peccatores, dicens: «Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.»[8] Sensus istorum verborum est: orationem pro peccatoribus difficulter et non semper exaudiri; vel hanc orationem esse inutilem pro vita aeterna peccatoris, quamdiu iste in peccato remanere vult. Eodem modo intelligenda sunt verba Ieremiae: «Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.»[9] — Sin autem S. Hieronymus[10] asserit: «Stultum est orare pro peccatoribus ad mortem», intelligendus est de suppositione, qua quis certo sciret aliquem esse a Deo prorsus reprobatum. Tunc profecto oratio esset inutilis. Sed haec certitudo nequit haberi sine speciali revelatione divina, quae vix umquam concessa fuisse cognoscitur.

342 4. *Pro animabus in purgatorio* nos posse et debere orare, sequitur ex Concilio Tridentino, quod docet, sacrificium Missae posse offerri pro defunctis

---

[1] Cf. Lc 22, 32. [2] Cf. Lc 23, 34. [3] Cf. Rom 15, 30; 1 Thess 5, 25.
[4] Iac 5, 16. [5] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 7, corp. et ad 1.
[6] Ib. a. 8. Cf. supra I, n. 575 sq.
[7] Cf. infra in tractatu de sacrificio Missae.
[8] 1 Io 5, 16. [9] Ier 7, 16.
[10] Comm. in Ier. (*Migne,* Patr. lat. 24, 802).

in Christo nondum ad plenum purgatis[1], atque animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari[2]. Idem facile probari potest ex omnibus liturgiis Ecclesiae tum Latinae tum Orientalis, in quibus habentur orationes pro defunctis[3]. Obligatio orandi pro defunctis non videtur tamen esse gravis, quia non constat aliquem defunctum revera adhuc egere nostris orationibus. — Non solum pro animabus purgatorii in genere, sed etiam pro determinato defuncto licet et expedit orare; nam etsi non est certum, talem determinatum defunctum habiturum esse levamen ex nostris precibus, tamen pie creditur, misericordiam divinam non relinquere sine fructu orationem ex caritate factam[4].

5. Nos posse orare pro augmento *gloriae accidentalis sanctorum,* communis est sententia auctorum. Nam ista gloria accidentalis potest augeri; unde Ecclesia orat in Missa: «Suscipe Sancta Trinitas, ut illis [sanctis] proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.» Essentialis vero gloria, i. e. visio Dei, non potest augeri in sanctis; ideoque non licet pro illa orare. In hoc sensu etiam intelligenda sunt verba S. Augustini[5]: «Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendari.» Orationes autem pro sanctis non sunt in frequenti usu; nisi ut aliquando orationes perficiantur pro obtinenda beatificatione aut canonizatione alicuius servi Dei.

---

[1] Sess. 22, c. 2 et can. 3 (*Denz.* n. 940 950).

[2] Sess. 25, decr. de purgatorio (*Denz.* n. 983).

[3] In liturgiis occurrunt quaedam orationes, quarum sensus non ita facile intelligitur, e. g. in Missa pro defunctis: «Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; ne absorbeat eas tartarus; libera eas de morte aeterna etc.» — Quidam auctores, ut *Suarez* (De poenit. disp. 48, sect. 5, n. 12), *Bellarminus* (De purgat. l. 2, c. 5), *Pesch* (Prael. dogm., de noviss. n. 617) putant, Ecclesiam orare quadam fictione, velut si istae animae adhuc in puncto exeundi ex hac vita sint. Probabile autem esse, talem orationem, etiamsi revera post mortem fiat, in praescientia Dei potuisse animae proficere etiam ante mortem, ut maius auxilium a Deo reciperet ad vitandum periculum mortis aeternae. — Haec opinio parum placet, quia primo est mera hypothesis sine ullo solido fundamento desumpto ex traditione aut ex ratione theologica; et deinde quia est explicatio nimis contorta. Licet enim Deus ex praevisis meritis futurae orationis et Missae dicendae possit speciales gratias concedere morituro, tamen est valde dubium, num Deus reapse id facturus sit. — Alii auctores, inter quos est *Benedictus XIV* (De sacrif. Missae l. 2, c. 9), merito docent, omnes tales formulas *de purgatorio,* et non de gehenna esse intelligendas. Ratio autem est, quia iuxta plures praestantissimos auctores, e. g. S. Thomam, poenae sensus purgatorii et gehennae non differunt essentialiter inter se. Quare non incongrue verba «inferni, mortis aeternae, tartari» adhibentur etiam pro purgatorio.

[4] Mentio brevis facienda est opinionis Dom. Soto circa durationem purgatorii. Scribit ille: «Clementia Dei non fert multo tempore amicos suos a suo conspectu cohiberi. Et ideo sapientissima eius providentia fuit, illas poenas ad eos expurgandos instituere, quae brevi tempore possent animas illic repurgare. Nam cum illa supplicia sint supernaturalia, quae subiectum corrumpere non possunt, potuit quamcumque temporis longitudinem accumulatis poenis supplere. Quapropter crediderim, numquam aliquem in purgatorio viginti annis exstitisse; immo, ut mea fert opinio, nec decem. . . . Non est credibile, ut quos poenarum accumulatione expedire Deus brevius inde potuit, temporis prolixitate detineat.» — Sane haec omnia sunt mera opinio, sed minime proscripta sunt — ut voluerunt quidam — per propositionem 43 damnatam ab Alexandro VII: «Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos» (*Denz.* n. 1143). Etenim duratio legati durat tamdiu, quamdiu testator determinavit, neque cessat, etsi anima iam liberata est ex purgatorio.

[5] Sermo 159 (*Migne,* Patr. lat. 38, 868).

6. Non licet orare *pro damnatis,* quippe qui sint extra vinculum caritatis. Insuper talis oratio esset prorsus inutilis, cum poenae inferni sint aeternae et diminui nequeant. Unde tamquam fabula habenda est historia de liberatione imperatoris Traiani ex inferno, sicuti narratur a Ioanne Diacono, scil. S. Gregorium Magnum orationibus suis liberavisse imperatorem Traianum et Falconillam e gehenna[1]. Pariter est phantastica fictio poetae Prudentii[2] asserentis, die Paschatis omnes damnatorum poenas cessare seu interrumpi.

3. *Ad quem orationes nostrae sunt dirigendae?*

343 **Propositio.** *Solus Deus est orandus ut is, qui per se praestare potest ea, quae petimus; licitum autem atque utile est invocare sanctos aut angelos, ut intercedant pro nobis ad Deum.*

Haec est doctrina catholica et sic probatur explicaturque a S. Thoma[3]: «Oratio porrigitur alicui dupliciter: uno modo quasi per ipsum *implenda;* alio modo sicut per ipsum *impetranda.* Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quae solus Deus dat secundum illud Psalmi: ‚Gratiam et gloriam dabit Dominus.'[4] — Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis angelis et hominibus; non ut per eos Deus orationes nostras cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostrae sortiantur effectum. Et ideo dicitur, quod ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo[5]. Et hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando; nam a sancta Trinitate petimus, ut nostri misereatur; ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus, ut orent pro nobis.»

344 **De invocatione sanctorum.**

Utilitatem et liceitatem invocationis sanctorum negant plures haeretici, e. g. Eustathius de Sebaste, Vigilantius, Petrus de Bruys, Apostolici, Cathari, Wicleffitae, Lutherani, Calvinistae etc., asserentes, Christum esse *unicum* mediatorem inter nos et Deum; sanctos non cognoscere orationes nostras; Deum esse ita bonum, ut paratus sit nos exaudire etiam sine intercessione sanctorum. — Ad quas obiectiones breviter respondetur: 1. Christus est quidem unicus noster mediator, in quantum simul in se naturam divinam et humanam coniungens nos redemptione sua coniungit iterum cum Deo. Sancti vero sunt nostri mediatores, in quantum adiuvant orationes nostras pro nobis intercedendo. Vel brevius: Unus est mediator *redemptionis,* sed plures sunt mediatores *intercessionis.* 2. Falsum est, sanctos non cognoscere nostras orationes; quia videndo divinam essentiam cognoscunt omnia ea terrestria, quae ipsorum specialiter intersunt. Talia autem sunt orationes ad ipsos directae[6]. — Sane Deus est clementissimus et misericordissimus; sed

---

[1] Vita S. Gregorii Magni l. 2, n. 44 (*Migne,* Patr. lat. 75, 105). *S. Thomas* conatur benigne interpretari hanc historiolam (Suppl. q. 71, a. 5). Cf. *Nat. Alexander,* De liberatione commenticia Traiani imperatoris ab infernis.

[2] Carmen de novo lumine paschalis sabbati v. 125 sqq (*Migne,* Patr. lat. 59, 828).

[3] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 4. [4] Ps 83, 12. [5] Cf. Apc 8, 4.

[6] Cf. S. theol. l. c. ad 2. — De modo, quo sancti cognoscant preces directas ad ipsos, theologi non concordant. Cf. *Billuart,* De orat. a. 4, obi. 2.

minime derogatur eius clementiae et misericordiae, si propter rationes valde congruentes orationes nostrae evadunt efficaciores ex eo, quod sunt adiutae intercessione sanctorum; sicuti etiam bonus paterfamilias facilius concedit gratiam ab uno filio petitam, si simul alii filii pro fratre suo intercedant. — Ex quibus omnibus apparet, quam recte iusserit Concilium Tridentinum [1], ut episcopi diligenter instruant fideles, «sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant, sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.» Rationes autem intrinsecae, cur praecipue invocare possimus sanctos cum utilitate nostra, sunt: 1. *Bonitas divina,* quae etsi facillime potest omnia directe per se ipsam agere, tamen adhibet causas secundas ad multos effectus producendos et ita felicitatem creaturarum augendam. Sic etiam bonitas divina adhibet intercessionem sanctorum ad gratiam exauditionis precibus nostris concedendam, ut ita felicitas accidentalis sanctorum augeatur et nostra fiducia crescat. 2. *Communio sanctorum* exsistens inter Ecclesiam militantem, patientem et triumphantem. Valde enim conveniens est, ut membra eiusdem Ecclesiae non solum se invicem ament, sed etiam efficaciter adiuvent. — Ex quibus omnibus satis superque constat, invocationem sanctorum esse licitam et utilem. Qui plura de hac re cupit, adeat apologetas [2]. — Sancti et iusti non solum in coelo, sed etiam adhuc in terris exsistentes invocari possunt. Unde S. Paulus scribens ad Romanos (qui sunt vocati sancti) dicit: «Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum et per caritatem S. Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.» [3] — Pariter nihil obstat, quominus *privatim* invocentur *infantes baptizati* ante usum rationis ex hac vita egressi. Tales enim certo sunt in coelo. — Deinde licet etiam invocare animas in purgatorio exsistentes, quippe qui sint amici Dei. Utrum autem talis invocatio revera sit efficax, et praesertim, utrum animae purgatorii cognoscant orationes ad se directas, non constat [4]. Sunt qui dicant angelos custodes huiusmodi orationes manifestare animabus in purgatorio, vel Deum speciali modo illis revelationem praebere; sed haec sunt valde incerta neque sufficienter probari possunt. Quapropter nihil quidem obstat, quominus homo privatim orationes suas dirigat ad animas purgatorii, sicut reapse multi fideles

---

[1] Sess. 25 de invoc. sanct. (*Denz.* n. 984).

[2] Cf. *Billuart* l. c. a. 4, ubi etiam multae obiectiones haereticorum solutae inveniuntur. [3] Rom 15, 30. [4] Cf. supra n. 334.

faciunt; sed nihilominus invocatio animarum purgatorii non videtur esse publice ex pulpito praedicanda, quamdiu Ecclesia nihil de hac re statuerit.

345 **Quaeres**: *Estne invocatio sanctorum non solum utilis et licita, sed etiam necessaria, ita ut peccaret ille, qui nollet invocare sanctos et praesertim B. Virginem?*

Non invenitur quidem explicitum praeceptum invocandi sanctos, ideoque non peccaret graviter, qui, secluso contemptu aut scandalo, numquam invocaret sanctos aut B. Virginem; attamen certo se privaret multis gratiis et ageret contra ordinem a Deo volitum. Unde in praxi non excusaretur saltem a peccato veniali ille, qui obstinate nollet invocare sanctos et praesertim B. Virginem [1].

§ 3.

De necessitate orationis.

346 **Propositio.** *Nedum utilis et conveniens est oratio omnibus adultis, sed etiam necessaria est necessitate praecepti; immo communiter etiam necessitate medii.*

Necessitas orationis a quibusdam quidem nimis exaggerata est, scil. ab Euchitis [2] docentibus, non requiri aliquid aliud, sed solam orationem sufficere ad salutem aeternam; a pluribus autem nimis diminuta est, praesertim ab eis, qui negant divinam providentiam, vel qui asserunt, omnia rigido fato regi.

1. Omnibus adultis orationem esse necessariam *necessitate praecepti* constat ex multis S. Scripturae textibus. Sic e. g. Christus monet: «Vigilate et orate.» [3] «Oportet semper orare et non deficere.» [4] «Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.» [5] — Apostoli pariter orationem inculcant: «Sine intermissione orate.» [6] «Orationi instate vigilantes in ea.» [7] «Estote itaque prudentes et vigilate in orationibus.» [8] — Idem tradunt unanimi sententia SS. Patres et theologi. Unde quoque Ecclesia hanc necessitatem manifestat in Missa, ubi Oratio Dominicalis introducitur: «Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster etc.»

2. Omnibus adultis orationem esse necessariam etiam *necessitate medii* (saltem communiter et de lege ordinaria) est sententia longe communior et probabilior. Sensus huius propositionis tamen non est, quod Deus nullas gratias largiatur, quin prius sit a nobis exoratus; manifestum

---

[1] Necessitatem invocandi sanctos primus videtur asseruisse *Franc. Sylvius* (Comm. in 2, 2, q. 83, a. 4, concl 2). Etiam *Placidus Boeckhn* O. S. B. conatus est demonstrare exsistere praeceptum invocandi sanctos. Tunc acres disputationes de hac re exortae sunt. Late et profunde hanc controversiam tractat *Concina*, In Decal. l. 2, diss. 1, c. 8.

[2] De Euchitis et Messalianis cf. *Wetzer* et *Welte*, Kirchenlex. II, 1309, s. v. «Messalianer».

[3] Mt 26, 41. [4] Lc 18, 1. [5] Mt 7, 7 sq.

[6] 1 Thess 5, 17. [7] Col 4, 2. [8] 1 Petr 4, 7.

enim est, Deus multas gratias actuales nobis conferre sine ulla oratione praemissa. Sic e. g. gratia conversionis collata fuit Saulo sane non oranti, sed persequenti Ecclesiam. Asseritur igitur necessitas absoluta orationis in hoc solo sensu, quod Deus, spectato praesentis providentiae ordine et attenta humanae naturae infirmitate egestateque, non confert perseverantiam finalem in gratia, nisi homo adultus aliquando pias preces fuderit. Propositio ita intellecta facile probatur tum a) auctoritate tum b) ratione.

a) *Auctoritatibus.* Auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus[1] scribit: «Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire; nullum nisi orantem auxilium promereri.» Idem docet S. Augustinus[2] asserens, Deum impossibilia non iubere, ac proinde te hominem debere «facere quod possis, et petere quod non possis». Quae verba fecit sua Concilium Tridentinum[3]: «Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis.» Pulchre exprimit hanc orandi necessitatem S. Benedicti Regula commentata[4]: «Sicut nobis semper necessarius est halitus ad vitam carnis, sic omnino necessaria est continua oratio ad sanitatem mentis»; et: «Facilius crederem hominem sine anima quam religiosum perfectum sine oratione consistere.» — S. Thomas[5] autem docet: «Ad orationem quilibet homo [adultus] tenetur ad bona spiritualia procuranda, quae non nisi divinitus dantur; unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur. — Catechismus Romanus[6] quoque eandem doctrinam tuetur: «Cum nihil cuique debeat Deus, reliquum profecto est, ut quae nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tamquam *instrumentum necessarium* nobis dedit ad id, quod optaremus, consequendum: praesertim cum quaedam esse constet, quae nisi eius adiumento non liceat impetrare.» Eandem sententiam docent Ioannes a S. Thoma[7], Sylvius[8], Sporer[9], S. Alphonsus[10] et fere omnes theologi.

b) *Rationibus theologicis.* 1. Fidei et caritatis actus sunt adulto necessarii necessitate medii, ut supra I, n. 496 et 561 probatum est. Atqui cum istis

---

[1] Probabilius iste auctor est Gennadius Massiliensis circa ann. 495 (*Migne*, Patr. lat. 58, 995). Plures alii textus SS. Patrum afferuntur a *Concina* l. c. c. 5, ubi etiam refutantur rationes paucorum auctorum, qui non admittunt orationem, esse necessariam necessitate medii.

[2] De natura et gratia c. 43 (*Migne*, Patr. lat. 44, 271)

[3] Sess. 6, c. 11 (*Denz.* n. 804). [4] Apud *Migne*, Patr. lat. 66, 329.

[5] 4 Sent. 15, q. 4, a. 1. [6] P. 4, c. 1, q. 3 sq.

[7] Comm. in 2, 2, q. 83, disp. 36, a. 3. [8] Comm. in 2, 2, q. 83, a. 2.

[9] De praec. Decal. tr. 2, c. 7.

[10] Gran mezzo della preghiera P. 1, c. 4, ubi S. Doctor iuxta versionem Germanicam dicit: «Ich behaupte und wiederhole es, und ich werde es bis zu meinem letzten Atemzuge immer wiederholen, daß unser Heil ganz auf dem Gebete beruht. Darum sollen alle Schriftsteller in ihren Büchern, alle Kanzelredner in ihren Predigten und alle Beichtväter bei Verwaltung des Bußsakramentes nichts so nachdrücklich den Gläubigen einschärfen, als ohne Unterlaß zu beten. Unablässig sollen sie dieselben ermahnen und ihnen zurufen: ‚Betet, betet, und höret nicht auf zu beten! Denn wenn ihr betet, ist euer Heil gesichert; aber wenn ihr aufhört zu beten, ist euer Verderben ebenso gewiß.‘. . Aus allem, was wir gesagt haben, ist der Schluß zu ziehen, daß derjenige, welcher betet, ganz gewiß selig, und daß derjenige, welcher nicht betet, ganz gewiß verdammt wird.» Cf. etiam *Tillmann*, Das Gebet nach der Lehre der Heiligen 136 sqq.

actibus necessario coniungitur oratio hominis, praesertim versantis in necessitate. Nam qui credit in Deum omnipotentem et misericordem; qui hunc Deum revera super omnia amat; qui demum intime sentit proprias necessitates et miserias, necessario elevat pio affectu mentem suam ad Deum petens auxilium. Talis autem pius affectus est oratio. — 2. Necessarium est colere divinam maiestatem. Iamvero cultus Dei impossibilis est sine pio affectu mentis in Deum; quod quidem est oratio saltem in lato sensu. — 3. Nulla gens umquam exstitit sine religione. Principalior autem actus religionis est oratio. Unde etiam nulla gens exstitit, quae non fuderit orationes ad Deitatem. Hoc autem est signum, actum orationis ex ipsa conditione naturae humanae oriri, ac proinde illum esse absolute necessarium. — Exinde tamen non sequitur, ut Deus nequeat hominem adultum salvare, qui non oraverit. Hoc enim esset falsum. Nam nihil obstat, quominus Deus conferat pagano adulto gratiam sanctificantem et tunc illum statim mori faciat, quin adsit tempus orandi[1]. Id solum asseritur cum S. Alphonso[2], iuxta *ordinarium cursum* rerum neminem adultum de facto salvari, qui non oraverit.

347 **Tempus obligationis.** Statuta necessitate orationis statim oritur quaestio, *quandonam obliget hoc praeceptum orandi?*

Respondetur: Praeceptum orandi obligat, sicut etiam praeceptum de fide, spe et caritate elicienda, per se et per accidens.

Per se obligat hoc praeceptum saepius in vita; sed nequit accurate determinari, quotiens orare debeamus ex lege *divina*. Communiter docent theologi, hoc praeceptum obligare per se: 1. *In initio vitae moralis,* quando scil. homo, pleno rationis usu adepto, se convertere debet ad Deum[3]. Haec enim conversio ad Deum iam est oratio. 2. *In periculo mortis.* Etenim tunc quoque homo debet se pio affectu convertere ad Deum petens eius auxilium ad felicem mortem habendam. 3. *Saepius in vita.* Sunt qui dicant praeceptum orandi per se obligari qualibet hebdomada, alii cum S. Alphonso[4] quolibet mense; alii putant, hoc praeceptum (saltem sub gravi) non obligare nisi quolibet anno. Omnes istae sententiae non possunt stricte probari; unde sufficiat dicere, praeceptum orandi per se obligare saepius in vita. Interim autem fideles instantissime monendi sunt, ut quolibet die saltem aliquas preces pias fundant. Ceterum boni catholici non debent esse anxii de adimpletione huius praecepti divini, quippe quod iam sufficienter observetur auditione Missae diebus dominicis et festivis.

348 Nullibi invenitur lex *communis* praescribens preces matutinales et vespertinas, preces ante et post prandium; unde omissio talium precum non est per se peccatum neque mortale neque veniale, ac proinde neque etiam sufficiens materia absolutionis[5]. In praxi vero, omittere hasce preces sine sufficienti ratione fere semper est peccatum veniale, quia manifestat acediam et privat gratiis ad vitam quotidianam necessariis.

---

[1] Cf. *Billuart,* De gratia diss. 6, a. 3. [2] L. c.

[3] Cf. supra I, n. 502 et 563. [4] Gran mezzo della preghiera P. 1, c. 3, § 3.

[5] Ita Salmanticenses, Curs. Theol. mor. tr. 21, c. 9, n. 17. Bene de hac re disserit *Concina,* In Decal. l. 2, diss. 1, c. 5.

Unde hortandi sunt fideles, ne istas preces (iam a primis saeculis Ecclesiae inter christianos usitatas) omittant. — In publicis diversoriis non orare ante et post prandium peccatum quidem non est per se; tamen multo melius solet esse, si fideles etiam in istis locis breves preces faciunt in signum religionis.

Nota. Cum praeceptum divinum orandi obliget per se saepius in vita, poenitentes, qui iam a longo tempore neque sacramenta susceperunt neque Missam audiverunt, interrogandi sunt in confessione, num in toto isto tempore etiam orationem neglexerint. Ratio est, quia huiusmodi negligentia est speciale peccatum (saltem obiective loquendo).

Per accidens obligat praeceptum orandi: 1. Quoties urget aliud praeceptum, quod sine oratione impleri nequit, e. g. Missa dominicalis audienda. 2. Quando gravis insurgit tentatio ad peccatum, praesertim tentatio contra virtutem castitatis. Constat enim experientia, nonnullas tentationes vinci non posse sine oratione. 3. In calamitatibus gravibus praesertim publicis. Nam caritas exigit, ut tunc confugiamus ad auxilium ita efficax orationis.

§ 4.

De efficacia orationis eiusque proprietatibus.

Efficacia orationis est maxima; producit enim tres *effectus primarios* et plures alios *effectus secundarios*. Tres primarii effectus orationis sunt meritum, satisfactio et impetratio; effectus autem secundarii sunt multi: oratio enim disponit ad gratiam, illuminat intellectum, fidem alit, spem et fiduciam confirmat, caritatem inflammat, auget humilitatem, parit consolationes ineffabiles, fovet exercitium omnium virtutum etc. De singulis pauca dicenda sunt.

a) Effectus primarii.

1. Oratio est *meritoria,* quando scil. ab homine iusto, sicut oportet, 349
funditur[1]. Oratio enim est opus bonum. Porro quodlibet opus bonum hominis iusti procedens ex radice caritatis est meritorium, et quidem *de condigno.* Meretur autem talis oratio augmentum gratiae et gloriae. De hoc merito videtur Christus loqui dicens: «Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.»[2] — Licet autem solus homo gratia sanctificante donatus possit mereri de condigno, tamen etiam hominis peccatoris oratio meretur *de congruo* triplex bonum, quia *α)* disponit ad gratiam; *β)* consequitur bona temporalia; *γ)* assuefacit bonis operibus[3].

2. Oratio est *satisfactoria;* habet enim omnes conditiones requisitas ad satisfactionem, cum sit opus bonum, arduum et ex gratia procedens. Orationem esse opus bonum et procedere ex gratia (saltem si homo est in statu gratiae sanctificantis constitutus), per se patet. Orationem

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 15. [2] Mt 6, 6. [3] Suppl. q. 14, a. 4.

bonam esse opus arduum, quotidiana experientia constat; quoniam non est facile bonam orationem peragere. Hinc Concilium Tridentinum[1] ponit orationem inter opera satisfactoria, et confessarii solent pro peccatis imponere quasdam orationes in salutarem poenitentiam seu satisfactionem.

3. Oratio est *impetratoria,* et quidem dupliciter, scil. in quantum est bonum opus, et formaliter ut est oratio. De primo effectu impetratorio, quem oratio habet communem cum omnibus operibus bonis, non loquimur. De altero effectu hic tantum est sermo.

350 b) **Effectus secundarii.**

1. Oratio illuminat intellectum, iuxta illud: «Accedite ad eum, et illuminamini.»[2] Quapropter S. Thomas semper confugit ad orationem, quandocumque aliquam difficilem veritatem intelligere non valuit.

2. Oratio fidem alit. Etenim fides et oratio se invicem fovent. Firma fides de omnipotentia, bonitate, misericordia divina inducit hominem ad orandum, et oratio fervida fidem auget, tum quia auget gratiam, tum quia ipsa est exercitium fidei.

3. Oratio spem et fiduciam confirmat propter effectus ex oratione saepe collectos.

4. Oratio caritatem inflammat. Nam «ut amantes colloquio et congressu magis ad amorem accenduntur, sic pii homines, quo saepius orantes cum Deo colloquuntur, eo lucidius eius cognoscunt benignitatem, eoque ardentius ad eum amandum et colendum incitantur.»[3]

5. Oratio auget humilitatem. Orans enim quasi mendicus ad Deum accedit.

6. Oratio parit consolationes ineffabiles. Si enim collocutio cum fideli amico est iucunda, quid demum de dulci colloquio cum Deo dicendum est in oratione? Unde Christus monet: «Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.»[4]

7. Oratio exercitium omnium virtutum fovet, iuxta illud: «Orare qui recte novit, vere novit recte vivere.» Ratio autem interna est, quia oratione homo accedit ad Deum. Frequenti vere accessu ad Deum homo fit similis Deo; refugit terrestria periculosa; refrenat passiones inordinatas; tandem aliquando ornatur corona omnium virtutum.

351 **Propositio.** *Oratio debitis conditionibus peracta habet ex Dei promissione infallibilem efficaciam impetrandi ea, quae petuntur.*

Haec propositio videtur esse de fide catholica propter manifesta testimonia S. Scripturae: «Oratio humiliantis se nubes penetrabit; et donec propinquet, non consolabitur; et non discedet donec Altissimus aspiciat.»[5] — Christus identidem promisit exauditionem orationis: «Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; et qui quaerit invenit; et pulsanti aperietur.»[6] «Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.»[7] — Quam saepissime

---

[1] Sess. 14, can. 13. [2] Ps 33, 6.
[3] Cat. Rom. P. 4, c. 2, q. 8. [4] Io 16, 24.
[5] Eccli 35, 21. [6] Mt 7, 7 sq.
[7] Io 16, 23. Similia habentur Mt 21, 22; Mc 11, 24; Lc 11, 9; Io 14, 13; Iac 1, 6.

SS. Patres quoque proclamant efficaciam orationis. Sic S. Hilarius[1] dicit: «Spei nostrae doctrina est, ut Deus oratus et misereatur et salvet.» Tertullianus[2] scribit: «Sola est oratio, quae Deum vincit; ... diluit delicta; tentationes repellit; persecutiones exstinguit; pusillanimes consolatur; magnanimos oblectat; ... alit pauperes; regit divites; lapsos erigit; cadentes suspendit; stantes continet.» Antiquus aliquis auctor efficaciam orationis hac brevi et notissima propositione complectitur: «Orare qui recte novit, vere novit recte vivere.»[3] — Plures SS. Patres integros tractatus de oratione eiusque efficacia scripserunt, quos enumeratos invenis apud Migne, Patr. lat. 220 (Indices) 959—960.

Conditiones requisitae, ut oratio sit infallibiliter efficax. 352 Ut oratio sit infallibiliter efficax, quaedam conditiones requiruntur 1. ex parte obiecti, quod petitur; 2. ex parte illius, pro quo petitur, et 3. ex parte ipsius orantis.

1. **Ex parte obiecti,** quod petitur, ad infallibilem efficaciam orationis requiritur, ut conducat ad salutem aeternam.

Si enim homo aliquid saluti suae aeternae noxium peteret, tunc exauditio talis orationis non esset praemium, sed punitio. Cum bona temporalia et materialia non semper conducant ad salutem aeternam, sed potius abducant, homo petens huiusmodi bona non semper exauditur; immo homo nequit huiusmodi bona in oratione petere nisi sub conditione, quod non sint obstacula salutis aeternae, ut supra n. 338 dictum est.

2. **Ex parte illius, pro quo petitur,** necessarium est, ut sit dispositus ad gratiam petitam recipiendam.

Hinc e. g. aliquis orans pro salute aeterna alterius hominis, non semper exauditur, quando scil. ille homo pertinaciter resistit gratiae. Quapropter Angelicus Doctor tamquam conditionem infallibilis efficaciae orationis ponit, ut quis pro se ipso et non pro alio oret. «Pro se orare ponitur conditio orationis, non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad *indeficientiam* impetrandi. Contingit enim quandoque, quod oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat pie et perseveranter et de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum, quod est ex parte eius, pro quo oratur, secundum illud: ‚Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.'[4] Nihilominus tamen oratio meritoria erit oranti, qui ex caritate orat, secundum illud: ‚Oratio mea in sinu meo convertetur'[5]; id est, etsi eis non prosit, ego tamen non sum frustratus mea mercede.»[6] — Licet igitur iuxta sententiam S. Thomae (cui contradicunt Suarez[7] et nonnulli alii) oratio pro salute aeterna alterius hominis non sit infallibiliter efficax, tamen saepe exauditur; unde monet S. Iacobus: «Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.»[8] Semper autem talis oratio est opus excellentissimum caritatis et valde meritorium pro ipso orante.

3. **Ex parte subiecti orantis** requiruntur tamquam conditiones in- 353
fallibilis exauditionis: a) status gratiae, b) humilitas, c) fiducia, d) perseverantia et e) attentio.

---

[1] Tract. in Ps. 118 (*Migne,* Patr. lat. 9, 544). [2] De orat. c. 29 (ib. 1, 1303).
[3] Sermo 55 inter sermones suppositicios S. Augustini (ib. 39, 1849).
[4] Ier 15, 1. [5] Ps 34, 13. [6] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 7 ad 2.
[7] De relig. tr. 4, l. 1, c. 27. [8] Iac 5, 16.

a) *Status gratiae* primario quidem requiritur. Nam licet Deus quandoque exaudiat preces peccatorum, ut patet exemplis publicani, latronis etc., tamen peccatum est magnum obstaculum, ne orationes exaudiantur, cum faciat hominem Deo inimicum et exosum. Econtra homo iustus est amicus Dei, a quo amatur et multa beneficia recipit. Unde dicitur: «Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum.»[1] «Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.»[2] «Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, et ea quae sunt placita coram eo, facimus.»[3]

b) *Humilitatem* requiri ad orationem efficacem patet ex ipsa natura orationis, quippe quae sit actus religionis, qua agnoscimus nostram infirmitatem et Dei excellentiam subiciendo nos Dei maiestati. — Idem patet ex S. Scriptura: Deus exaudit humilem publicanum, spernit autem superbum pharisaeum. «Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.»[4] Abraham orando suam humilitatem professus est dicens: «Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.»[5]

c) *Fiducia firma,* quae promissis Christi et misericordiae divinae omnino confidit, est item necessaria ad efficaciam orationis. Unde S. Iacobus monet: «Postulet autem in fide [fiducia] nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.»[6] S. Paulus hortatur: «Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae.»[7] Quare Christus saepe miracula fecit videns magnam fidem seu fiduciam petentium, e. g. reguli, mulieris Chananaeae, mulieris patientis fluxum sanguinis etc.

d) *Perseverantia* valde necessaria est in oratione. Nam licet Deus paratus sit statim exaudire orantem, tamen ipse homo non est statim sufficienter paratus (perseveranter autem orans fit magis dispositus) ad gratias recipiendas. Ita enim exspectando vividius sentit propriam indignitatem et egestatem, magis aestimat gratiam demum obtentam, ad amorem et gratiarum actionem post exauditionem magis incitatur. Necessitatem perseverantiae Christus variis parabolis et miraculis docet. Sic amicus importunus petens tres panes tandem aliquando obtinet id, quod desiderat[8]; mulier Chananaea iteratis repulsis non perterrita demum obtinet miraculosam sanationem filiae etc.[9] — Perseverantiae similis est *assiduitas* seu *diuturnitas* in oratione. Etiam haec assiduitas orationis commendatur, licet non sit omnino necessaria. De ipso Christo dicitur: «Erat pernoctans in oratione»[10], i. e. per totam noctem orabat; et: «Factus in agonia prolixius orabat.»[11] — De diuturnitate orationis dicit Angelicus Doctor[12]: «Conveniens est, ut oratio tantum duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita quod sine taedio durare non possit, non est ulterius oratio protendenda.»

354 e) *Attentio* est ultima conditio requisita, et quidem non solum ad efficaciam orationis, sed ad ipsam essentiam eius. Ad essentiam orationis aliquam attentionem sive externam sive internam requiri, docent omnes theologi. Et

---

[1] Ps 33, 16. [2] Io 15, 7. [3] 1 Io 3, 21 sq.
[4] Iac 4, 6. [5] Gn 18, 27. [6] Iac 1, 6 sq. [7] Hebr 4, 16.
[8] Cf. Lc 11, 5 sqq. [9] Cf. Mt 15, 22 sqq. [10] Lc 6, 12.
[11] Lc 22, 43. [12] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 14.

revera id, quod fit sine ulla attentione, nec est actus humanus. Quomodo autem talis actus sine ulla attentione peractus potest adhuc vocari oratio, quae procedit ex ratione tamquam ex subiecto, ut supra n. 335 probatum est? Ad orationem *mentalem* aliquam attentionem etiam *internam* requiri, item omnes theologi debent admittere, cum oratio mentalis sit essentialiter actus mentis. Unde ille, qui voluntarie durante meditatione cogitat de aliis rebus, iam non meditatur amplius. Tota igitur difficultas consistit in quaestione: Qualis attentio requiritur ad *orationem vocalem?* — Distinguitur duplex attentio: altera *externa*, altera *interna*. Cum attentio opponatur distractioni, *attentio externa* illa est, quae excludit distractionem externam, scil. omnes illos actus externos, qui mentem ita occupant, ut iam amplius non valeat attendere ad sensum orationis. Sic e. g. attentio externa deesset, si quis durante oratione vocali legeret librum vel pingeret vel faceret aliud opus indigens acri advertentia; non autem impediretur attentio externa, si quis, durante oratione vocali, faceret deambulationem aut aliud opus leve non exigens multam considerationem. *Attentio* autem *interna* excludit distractionem internam seu divagationem mentis ad res orationi prorsus extraneas. Quae quidem attentio interna potest ad tria obiecta dirigi [1], scil. 1. ad *verba* orationis materialiter sumpta, ita ut ista verba integre et suo ordine pronuncientur. Haec attentio vocatur *materialis* vel superficialis; 2. ad *sensum verborum;* et tunc vocatur *litteralis* seu etiam intellectualis; 3. ad *finem orationis,* scil. ad ipsum Deum colendum, vel ad mysterium, ad quod colendum oratio instituitur etc. Haec attentio vocatur *spiritualis* seu etiam mystica. Tertia haec attentio est perfectior ceteris; secunda est perfectior quam prima. — Notandum est insuper, attentionem internam posse esse actualem, virtualem et habitualem; *actualis* attentio adest, si quis *actu* attendit ad sensum verborum, ad finem orationis etc.; *virtualis* attentio exsistit, quando antea adfuit attentio actualis, quae numquam fuit revocata, quae tamen nunc amplius non adest propter distractiones involuntarias; attentio *habitualis* vocatur abusive attentio, quia reapse non est vera attentio, sed solummodo quaedam propensio ad attendendum. Homo orationibus addictus habet hanc attentionem habitualem etiam in somno suo.

Veteres auctores medii aevi non solent loqui de distinctione attentionis externae et internae. Et revera haec distinctio pro ipsa oratione est satis superflua. Etenim saltem *in genere moris* nulla est differentia, utrum orans voluntarie mentem distrahat legendo, scribendo etc., an ex proposito aliud cogitando. In utroque enim casu orans expresse vult mentem distrahere ab obiecto orationis, quamvis perseveret in proferendo verba orationis. Media autem adhibita ad hunc finem obtinendum sunt ex se indifferentia. — Cum horae canonicae sint praeceptae a lege ecclesiastica et cum Ecclesia nequeat iudicare de actibus pure internis, distinctio attentionis externae et internae est alicuius momenti in recitatione Officii divini. Ecclesia enim potest iudicare et punire laesionem attentionis externae; non autem defectum attentionis internae. — Attentio externa in vero sensu potest vocari attentio. Per illam enim homo attendit, ne oratio perturbetur per occupationes externas. Sicut custos, qui attendit, ne ferae irrumpant in hortum floridum, recte dicitur habere attentionem de horto, ita a pari orans, qui abigit occupationes externas. — S. Alphonsus [2] aliique fatentur se non intelligere, quid sit attentio

---

[1] Ib. a. 13. [2] Gran mezzo della preghiera P. 1, c. 3, § 3.

virtualis. Et tamen res non est ita difficilis. Si quis post intentionem et attentionem actualem in initio orationis habitam deinde involuntarie distrahitur, attentio prius habita non revocatur; perseverat igitur virtualiter *in sensu morali.* Sane in sensu *physico* quaelibet distractio, etiam involuntaria, destruit attentionem, sicut frigus destruit calorem; sed cum distractiones involuntariae non sint actus humani ac proinde nec etiam morales, per illas nullus influxus nullaque mutatio causatur in actu morali prius exsistente et moraliter perseverante. Iamvero in initio orationis fuit attentio. Ergo haec attentio in sensu morali perseverat, non obstantibus distractionibus involuntariis. Sin autem advenerint distractiones *voluntariae,* tunc sane attentio orationis prius habita etiam in sensu morali destruitur, quoniam attentio voluntaria et distractio voluntaria sint directe opposita et contraria.

355 **Controversia de necessitate attentionis internae.**

Cum haec quaestio de attentione requisita ad orationem sit ita practica pro recitatione Officii divini, theologi acriter disputant, utrum attentio externa sufficiat, an etiam requiratur aliqua saltem attentio interna ad hoc, ut clericus recitans Officium divinum sufficiat suae obligationi. Solam attentionem externam non sufficere docent Caietanus[1], Dom. Soto[2], Wigandt[3] et praesertim Concina[4], qui teste S. Alphonso, fuse et perdocte hanc sententiam tuetur; pariter Reiffenstuel[5], Valentia[6], Suarez[7], Petrus Ledesma[8], Barthol. de Medina[9], Billuart[10], qui vocat illam certam, S. Alphonsus[11], qui vocat eam communiorem et probabiliorem. — Econtra solam attentionem externam sufficere ad essentiam orationis et ad recitationem Officii divini primus docuit Durandus[12], quem secuti sunt Lugo[13], Silvester Prierias[14], Tamburinus[15], Gobat[16], Elbel[17], Noldin[18] et multi moderni auctores. Veteres auctores in longum et latum de hac re disputant. Videndi sunt imprimis S. Alphonsus, Lugo, Billuart, Concina. Nonnulli non absque ratione putant, in praxi non esse ita magnam differentiam inter istas duas opiniones rite intellectas. Sequentia videntur esse vera de necessitate attentionis tum in oratione privata, tum in recitatione divini Officii:

1. Sine attentione *externa* nec oratio nec sufficiens recitatio divini Officii potest consistere. Ita omnes. Quamobrem ille, qui durante ora-

---

[1] Comm. in 2, 2, q. 83, a. 13. Sed non ita clare constat de mente Caietani.
[2] De iure et iust. l. 10, q. 5, a. 5, concl. 6.
[3] Tribunal confessar. tr. 10, exam. 5, n. 82 et 83.
[4] In Decal. l. 2, diss. 2, c. 9. [5] Theol. mor. tr. 6, dist. 1, n. 43.
[6] Comm. in 2, 2, disp. 6, q. 2, punct. 10.
[7] De relig. l. 4, c. 26, n. 3.
[8] Summa P. 2, tr. 9, c. 4, concl. 20. [9] Summa l. 1, c. 4, § 14.
[10] De relig. diss. 2, a. 8, § 8. [11] Theol. mor. l. 4, n. 177.
[12] In 4, dist. 15, q. 12. [13] De euchar. disp. 22, n. 25 sqq.
[14] Summa Summ., s. v. «Hora».
[15] Decal. l. 4, c. 2, § 1, n. 19. Iste auctor l. c. c. 6, n. 5 dicit: «Itaque qui Missam ex praecepto audiens vel Officium divinum persolvens, quaestionem philosophicam secum mente voluntarie obvolveret, vel sua negotia cogitaret, modo externam attentionem haberet, . . . ex probabili dicta opinione praeceptum satis impleret.»
[16] Tract. theol. iur. tr. 5, n. 821. Auctor tamen non videtur sibi semper constare.
[17] Theol. mor. P. 5, conf. 12, n. 404.
[18] De praeceptis n. 139.

tione vel divino Officio peragit opera alia gravem considerationem exigentia, non amplius orat, neque satisfacit suae obligationi recitandi Officium divinum. Quaenam autem sint talia opera, non solum dependet ex natura operis, sed etiam ex dispositione orantis. Alter enim facilius altero amittit attentionem necessariam ad orationem.

Communiter autem auctores docent, illos qui, durante Officio chorali, peragunt opera necessaria ad chorum, ut pulsare organa, accendere candelas, quaerere antiphonas etc., satisfacere Officio divino, si meliore quo possunt modo attendunt et recitant alternatim psalmorum versos. Ratio est, quia illi plus quam ceteri laborant pro chorali Officio et esset nimis durum, si nihilominus, Officio chorali peracto, privatim repetere deberent Officium divinum. Unde pro illis valet commune adagium: «Supplet chorus», si non possunt ita bene attendere ad verba Officii, aut si coguntur omittere nonnullos versus psalmorum.

2. Omnes *distractiones voluntariae* durante oratione sunt peccaminosae plus minusve. Laedunt enim reverentiam Deo debitam. Ita pariter omnes, si forte excipias Caramuel[1], qui putat distractiones volunturias in oratione non esse nec peccatum veniale, dummodo attentio externa conservetur.

3. Ut aliquis dicatur non satisfecisse obligationi suae recitandi divinum Officium, propter defectum attentionis internae, non solum requiritur, ut habuerit distractiones voluntarias, sed etiam ut *adverterit,* se voluntarie distrahi *nihilque egerit* ad distractiones eliminandas. Ita fere omnes (etiam auctores primae sententiae) docent. «Quamdiu ergo», sic concludit Caietanus, «eis non constiterit evidenter se mutasse propositum, vel advertendo et sciendo circa alia vagatos fuisse, credere possunt suae obligationi satisfecisse.»[2]

4. Pro neutra sententia nequit ullum certum argumentum adduci ex definitionibus aut decretis Ecclesiae. Vel ipse Concina, qui strenue defendit affirmativam sententiam, concedit, Decretalem «Dolentes» Innocentii III[3], quae saepe citatur pro affirmativa sententia, nihil probare, cum non aliud voluerit nisi excessus externos nonnullorum clericorum compescere.

5. Cum sententia negans necessitatem attentionis internae sit certo 356
extrinsecus probabilis propter magnum numerum auctorum, qui illam tuentur, nemo potest argui, quod non satisfecerit obligationi ecclesiasticae recitandi Officium divinum, aut quod reditus beneficiales debeat

---

[1] In «Theol. fund.» n 442 scribit auctor: «Homo sum temetipso fragilior, praeditus acri et igneo ingenio. Uno momento coelos verso, altero ad subterranea descendo. Nulla in Oratorio movetur musca, quae mihi non sit impedimento, . . . distractiones non evito, interdum etiam voluntarias: et nihilominus nullo crucior scrupulo, . . . quia prudenter suppono, me ad actionem internam non teneri; eam habere bonum esse, et ea carere ne quidem esse levem culpam.» — Voluntarias distractiones ne quidem levem culpam esse, profecto cumulus laxitatis est.

[2] Apud *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 177.

[3] c. 9, X 3, 41. Digna est quae legatur explicatio huius Decretalis data a Concina.

restituere[1], dummodo attentionem externam observaverit et intentionem satisfaciendi habuerit. Minime enim constat, Ecclesiam voluisse imponere in recitatione horarum aliquid aliud ac externam attentionem. Nam recitatio Officii divini cum exclusione distractionis externae et cum inclusione intentionis satisfaciendi praecepto ecclesiastico non solum videtur esse actus religionis, sed etiam vera oratio. Etenim illi, qui obligati sunt ad Officium divinum, non orant nomine proprio, sed *nomine Ecclesiae*. Si igitur vere pronuntiant verba Officii cum debita intentione et saltem attentione externa, Ecclesia videtur supplere attentionem internam secus necessariam ad veram orationem. Talis igitur recitatio Officii divini cum sola attentione externa et cum voluntaria distractione interna habet duplicem moralitatem: alteram bonam, quia recitans vult oboedire praecepto Ecclesiae; alteram malam, quia vult voluntarie distrahi durante oratione.

357 6. Essentia *orationis privatae* mihi videtur non posse consistere cum sola attentione externa et cum voluntaria distractione interna[2]. Nam oratio est actus rationis practicae, ut supra dictum est ex S. Thoma. Porro videtur esse absurda contradictio, quod eadem ratio practica eliciat *simul* actum circa Deum (oratio) et actum prorsus diversum, puta circa diabolum (e. g. voluntaria cogitatio de obscoenis). — Insuper omnis oratio est ascensio mentis in Deum, actualis vel saltem virtualis. Si ergo per voluntariam distractionem mens scienter a Deo avocatur, quomodo tunc adhuc oratio persistere potest? Potestne mens humana esse simul elevata ad Deum et simul scienter non elevata?

358 **Obiectiones.** Rationes, quae solent afferri pro sententia opposita, non sunt convincentes. Dicunt: 1. Oratio est petitio decentium a Deo. Non repugnat autem posse a nobis Deo repraesentari nostras petitiones etiam cum actuali mentis evagatione. Sicut si quis recitaret coram rege orationem compositam ad aliquam gratiam impetrandam, certe quidem oraret illam coram rege recitando, etiamsi esset tunc ad alia mente distractus; sic etiam recitans orationem, non obstante interna et voluntaria distractione, adhuc potest Deum orare. — Hoc argumentum ab omnibus modernis auctoribus repetitur post Lugonem, sed revera est valde debile. Etenim rex audiens orationem talis hominis voluntarie distracti nihil percipit nisi externa verba, quae profecto speciem precationis prae se ferunt, ac proinde forte exaudiuntur a rege; econtra Deus audiens verba alicuius oratoris voluntarie distracti, non decipitur

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 669.

[2] Docet Angelicus Doctor (4, dist. 15, q. 4, a. 2, quaestiunc. 4): «Attentio in oratione *manere debet semper secundum virtutem*.... Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis prima intentionis, et ideo oportet, quod frequenter homo cor suum revocet ad se ipsum.» Similia habet Angelicus Doctor in S. theol. 2, 2, q. 83, a. 13 ad 3: «Si quis ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, *et impedit orationis fructum*.» — Si igitur haec revocatio est necessaria, distractio voluntaria destruit etiam attentionem virtualem ac proinde ipsam orationem. De mente S. Antonini vide *S. Alph.* l. c. l. 4, n. 177 et *Concina*, In Decal. l. 2, diss. 2, c. 9.

externis verbis, sed inspicit cor vanum eius, ideoque non solum non exaudiet talem orationem voluntarie distractam, sed potius puniet. Ergo comparatio inter regem et Deum prorsus claudicat, et nihil probat. — Potest tamen aliquid concedi huic argumento. Si orator non suam propriam, sed alienam petitionem regi legit voluntarie distractus, rex sciens hanc distractionem voluntariam offenditur quidem ex irreverentia oratoris, sed nihilominus forte exaudiet petitionem *propter alium,* in cuius nomine prolata fuit. Sic a pari clericus recitans Officium divinum cum voluntaria distractione, peccat quidem et punietur propter irreverentiam commissam, sed cum non nomine proprio, sed nomine Ecclesiae oret, Deus potest acceptare, immo et exaudire hanc orationem ita distractam. Exinde talis clericus satisfacit suae obligationi recitandi Officium divinum, dummodo tamen habeat intentionem satisfaciendi, ut supra dictum est. — Dicunt: 2. Attentio interna non potest esse de essentia orationis vocalis; quia secus sacerdos voluntarie distractus in administratione extremae unctionis, cuius forma essentialis est deprecatoria, seu vera oratio, invalide administraret hoc sacramentum; quod tamen auctores communissime non admittunt. Respondetur ad hoc argumentum, sacramentum extremae unctionis non invalidari per voluntarias distractiones sacerdotis administrantis, sed hoc inde provenit, quod sacerdos non nomine proprio, sed nomine Ecclesiae orat, et forma sacramentorum exterius serio prolata cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, semper producit effectum ex opere operato. Seu brevius: forma sacramenti extremae unctionis pronuntiata a sacerdote voluntarie distracto est vera oratio *physica,* ac proinde producit effectum sacramenti, non autem est oratio moralis (ipsius ministri) seu actus virtutis religionis. — Qui plura cupit de hac controversia, adeat Concinam l. c.

S. Thomae doctrina de necessitate attentionis. 359

Circa influxum attentionis *in efficaciam orationis* haec notat Angelicus Doctor[1]: «Circa [attentionem] sciendum est, quod necessarium dicitur aliquid dupliciter: uno modo per quod melius pervenitur ad finem; et sic attentio absolute necessaria est orationi. Alio modo aliquid dicitur necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis: primus quidem communis omnibus actibus caritate informatis, quod est *mereri;* et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur, quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primae intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est *impetrare;* et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est nec impetratoria; illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat, non intendit. Tertius autem effectus orationis est, quem praesentialiter efficit, scil. quaedam *spiritualis refectio mentis;* et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio.» — Experientia enim constat, refectionem seu devotionem affectivam in oratione non concedi nisi illis, qui cum attentione actuali orant.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 83, a. 13.

§ 5.

De horis canonicis aliisque nonnullis orationibus.

360 **Praenotamen.** Agentes nunc de horis canonicis omittimus ea, quae ad historiam, liturgiam et ascesim huius orationis spectant. De historia Breviarii scripserunt inter modernos Batiffol [1], Suitbert Bäumer [2]. De liturgia Breviarii tractant De Heerdt [3], Schüch [4] et multi alii. De ascesi autem egit Bacuez [5].

Horae canonicae multis diversisque nominibus sunt appellatae [6], e. g. κανών, σύναξις, collecta, agenda, divina psalmodia, cursus, officium divinum, officium ecclesiasticum, preces horariae, preces canonicae, opus Dei, pensum servitutis, missa, missa vespertina, breviarium. Quod quidem ultimum nomen (nostris diebus ita frequenter usitatum) significavit antiquis temporibus compendium seu epitome sive orationum a clericis dicendarum, sive Rubricarum in Officio observandarum. Cum enim Officium divinum, quod in choro persolvebatur, scriptum fuerit in voluminibus maximae molis, paulatim libri manuales minoris quantitatis continentes Officium abbreviatum conscribebantur, qui vocabantur breviarium, breviarius, portiforium, portifex etc.

Placet nunc unico conspectu prius recensere propositiones ab Alexandro VII et Innocentio XI damnatas circa horas canonicas, ut facilius memoriae commendentur neve postea sint in diversis locis repetendae.

1. Ab Alexandro VII damnatae sunt sequentes propositiones [7]: «In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto» (prop. 34). «Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino» (prop. 35). «Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena» (prop. 20). «Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas *antea* beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit» (prop. 33). «Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet» (prop. 21).

2. Ab Innocentio XI proscripta fuit propositio (54): «Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.» [8]

361 **Partes divini Officii.** Iuxta praesentem disciplinam ritus Romani pertinent ad Officium divinum, quod ex praecepto ecclesiastico persolvendum est, sequentes partes:

1. Septem Horae canonicae, scil. Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, Completorium. Quam quidem divisionem esse introductam ob versum Ps. 118: «Septies in die laudem dixi tibi», vel ob septem momenta in Passione Domini nostri Iesu Christi [9]

---

[1] Histoire de Bréviaire, 3. ed. 1911.

[2] Die Geschichte d. Breviers, Freiburg i. Br. 1895. [3] Liturgia. [4] Pastoraltheologie.

[5] Le Bréviaire (deutsche Übers. 1891: Das Brevier vom Standpunkt der Frömmigkeit betrachtet). [6] Cf. *Bäumer* l. c. § 1.

[7] *Denz.* n. 1134 sq 1120 1133 1121. [8] *Denz.* n. 1204.

[9] Haec sunt septenis propter quae psallimus Horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat;
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis;
Sexta cruci nectit; latus eius Nona bipartit;
Vespera deponit; tumulo Completa reponit.

nonnulli auctores autumant. — «Pretiosa» non est quidem Hora distincta, pertinet tamen ad Officium divinum. — Cum antiquis temporibus exsisteret consuetudo dicendi media nocte, vel alio tempore noctis, Matutinum et Laudes, istae duae Horae vocantur Officium nocturnum; ceterae vero Horae appellantur Horae diurnae. In latiore sensu totum Officium quotidie recitandum vocatur Officium diurnum, quia nempe quolibet die persolvendum est.

2. Officium defunctorum die commemorationis omnium fidelium defunctorum et Litaniae recitandae diebus S. Marci et triduo Rogationum. Officium defunctorum die ista esse sub gravi recitandum, non est dubium. Nonnulli quidem auctores, ut Ballerini-Palmieri[1], Noldin[2] etc., putant, non adesse gravem obligationem recitandi Litanias; communior autem et probabilior sententia[3] docet, etiam has Litanias esse sub gravi recitandas ab eis, qui obligantur ad Officium divinum iuxta ritum Romanum. Duo enim sunt S. Congr. Rituum decreta, quae iniungunt sub praecepto Litaniarum recitationem in festo S. Marci et in Rogationibus; et quae habentur in Collectione authentica decretorum S. Congr. Rituum n. 2740 ad 8 et n. 3428.

Hodie iam nulla exsistit obligatio recitandi a) Officium B. M. V., b) Officium defunctorum (extra diem supra memoratum), c) psalmos poenitentiales, d) psalmos graduales, nisi alicubi vigeat consuetudo pro Officio chorali. Ad integritatem Officii non pertinent orationes «Aperi» in initio et «Sacrosanctae» in fine; sed valde pie et utiliter adduntur.

Nota. Quantum ad illos, qui legitime utuntur ritu speciali, videnda sunt statuta particularia circa partes pertinentes ad Officium divinum.

Obligatio. Ad Officium divinum quotidie recitandum graviter 362
obligantur:

1. Omnes clerici in maioribus ordinibus constituti[4].

2. Omnes beneficiati, etiamsi non sunt in maioribus ordinibus constituti.

3. Omnes religiosi utriusque sexus ad chorum addicti, sed post professionem sollemnem tantum.

Obligationem recitandi Officium divinum esse ex genere suo gravem, docent omnes auctores. Qui ergo integrum Officium vel notabilem eius partem sine causa excusante omittit, graviter peccat. Notabilis pars censetur esse una Hora parva, vel pars aequivalens. Unde e. g. si quis sine sufficienti ratione omittat Tertiam vel Completorium, vel ex pluribus Horis tot partes, quae simul sumptae aequivalent Tertiae aut Completorio, peccat mortaliter. Ratio talis severitatis videtur esse haec, quia praecipue in hac materia valet illud: «Qui in parvo negli-

---

[1] Opus Theol. mor. IV, n. 332. [2] De praeceptis n. 761.

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 161; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 785; *Hartmann*, Repert. rituum § 66.

[4] Clerici ecclesiarum orientalium hac in re debent observare statuta propriae suae ecclesiae; cf. *Papp-Szilagyi*, Enchir. iur. eccl. orient. cath. sect. 2, § 56.

gens est, paulatim decidet.» Clericus enim, qui ex levitate omittit aliquotiens vel parvam Horam Officii divini, facile negliget etiam maiora, et paulatim in gravia alia peccata cadet. Disputant theologi, num etiam sit peccatum mortale, omittere Sabbato sancto Vesperas, quae tunc brevissimae sunt. Nihil certi in hac disputatione dici potest. Proinde post factam omissionem exsistentia peccati mortalis non est asserenda, eo vel magis quoniam sententia longe communior tenet, hanc omissionem non esse nisi leve peccatum [1]. — Qui integrum Officium unius diei culpabiliter omittit, non committit nisi unum peccatum grave, quia non violat nisi unum praeceptum idque uno actu voluntatis. Sin autem plures adessent actus voluntatis non ad invicem coniuncti, essent etiam plura peccata, ut patet ex supra I, n. 377 dictis de numerica distinctione peccatorum [2].

Nunc aliquid amplius dicendum est de singulis categoriis personarum, quae ad Officium obligantur:

363 **Obligatio clericorum maioristarum.**

Non exsistit quidem clara lex scripta, quae clericos maiorum ordinum (non beneficiatos aut religiosos) sub gravi obligat ad privatam recitationem Officii divini; sed haec obligatio videtur esse introducta ex universali consuetudine vim legis habente. Quae quidem consuetudo iam a saeculis exsistit. Ideoque Concilium Basileense sess. 21 illam iam exsistentem agnoscit, dicens: «Quoscumque beneficiatos seu in sacris constitutos, cum ad Horas teneantur, admonet S. Synodus . . .» Multo antea Concilium Agathense [3] in Gallia (a. 506) statuerat: «Presbyter matutinali Officio expleto, pensum servitutis suae, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persolvat, ita tamen ut horis competentibus iuxta possibilitatem aut a se aut a scholaribus publice compleantur.» Innocentius III [4] stricte praecepit, ut clerici et praelati divinum Officium, nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote. — Nihilominus ex istis textibus nequit erui clara lex de privata recitatione Officii, sicuti hodie exsistit, cum ibi potius sermo sit de recitatione chorali. Unde hodierna lex dicenda est introducta ex immemoriali consuetudine, quae iuxta omnes theologos et canonistas graviter obligat. — Omnes clerici in sacris constituti, quamvis excommunicati, suspensi, degradati tenentur ad Officium divinum. Si enim clerici, qui puniti sunt propter crimina, liberarentur ab onere Officii, tunc ex iniquitate commodum aliquod deportarent; quod profecto incongruum esset. Quando clericus maiorista obtinuit dispensationem matrimonii ineundi vel redeundi ad communionem laicalem, per se quidem non cessat obligatio divini Officii recitandi, sed iuxta vigentem praxim Curiae Romanae in istis dispensationibus solet simul concedi commutatio Officii divini in alias preces persolvendas. — Pro clericis obligatio gravis recitandi Officium incipit ea hora, qua recipitur ordo subdiaconatus. Qui ergo ordinatur mane ante horam nonam, non tenetur neque ad Matutinum et Laudes, neque ad

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 147.

[2] *S. Antoninus* (S. theol. P. 3, tit. 13, c. 4, § 5) dicit: «Si quis dimittat omnes Horas unius diei, . . . non propterea committit septem peccata mortalia, sed unum, et tanto gravius, quando plus de ipso dimittit, quia totum Officium unius diei cadit sub uno praecepto.»

[3] Habetur c. 1, X 3, 1.

[4] Ib. c. 9.

Primam, sed debet incipere a Tertia; qui ordinatur post horam nonam matutinam, debet incipere a Sexta. Melius tamen est in utroque casu, si clericus incipiat a Prima. Qui autem ante ordinationem recitavit Horas, ad quas nondum tenebatur, probabilius eas iterum recitare debet post ordinationem, quia nemo potest satisfacere praecepto eo tempore, quo illud nondum exsistit; sicuti nec etiam possum hodie recitare Officium, ad quod solummodo crastina die obligor. Contraria tamen sententia tenetur a nonnullis auctoribus, e. g. a Lugone[1], Noldin[2] etc., et haec sententia a S. Alphonso[3] vocatur probabilis.

Obligatio clericorum beneficiatorum. 364

Concilium Lateranense V (a. 1517) statuit sess. 9: «Ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis Officii, sed eos tamquam iniuste perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, beneficio privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem Officium omittere *quoad hoc, ut beneficio privari possit,* qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit: Deo tamen ultra praemissa, de dicta omissione redditurus rationem.» — S. Pius V[4] hanc restitutionem accuratius determinavit: «Statuimus, ut qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii vel beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum dimidiam; qui ceteras omnes Horas alteram dimidiam; qui harum singulas sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.» — Ex his duobus decretis (adhuc nostris diebus vigentibus) sequentes applicationes deducuntur:

1. *Omnibus* beneficiatis etiam non constitutis in ordinibus maioribus incumbit *gravis* obligatio recitandi divinum Officium. Etenim S. Pius V in citata Constitutione hoc expresse declaravit: «Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse.» In nostris regionibus admodum pauci sunt beneficiati nondum ordinibus sacris initiati. Alii autem beneficiati praecipue sunt parochi, canonici, episcopi, quidam capellani etc.

2. Beneficiatus, qui *infra primos sex menses* post assecutum beneficium culpabiliter omittit Officium divinum, peccat quidem graviter, sed non tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum[5].

3. Beneficiatus, qui beneficio suo iam longius quam per sex menses gaudens, ex gravi culpa omittit Officium divinum, non solum peccat, sed etiam ad restitutionem redituum benefialium sub gravi tenetur, et quidem eo ipso, i. e. ante sententiam declaratoriam iudicis, ut patet ex propositione (20) damnata ab Alexandro VII. Fructus beneficiales non quidem sunt pretium pro Officio divino recitato — hoc enim esset simonia — sed tamen conceduntur ea conditione expressa, ut beneficiatus Officium recitet. Sicut nemo recipit subdiaconatum, nisi promittat castitatem servandam, ita nemo recipit beneficium, nisi promittat recitationem quotidianam Officii. — Beneficiatus autem,

---

[1] De euchar. disp. 16, sect. 2, n. 39. [2] De praeceptis n. 756.
[3] Theol. mor. l. 4, n. 140. [4] Const. «Ex proximo» a. 1571.
[5] Cf. *S. Alph.* l. c. l. 3, n. 666.

qui, legitima causa excusante, e. g. infirmitate, labore nimio etc., Officium non dicit, fructus beneficiales licite percipere potest.

365 4. *Quantitas restitutionis* ob neglectum Officium mensuranda est ex statutis a S. Pio V latis. Difficultas autem est, utrum restitutio aequalis facienda sit a beneficiato simplici (e. g. a canonico) ac a *beneficiato curato* (e. g. a parocho)? Partem affirmativam tenent plures theologi et canonistae, e. g. Petrus Navarrus[1], Castropalaus[2], Suarez[3], Azor[4], Schmalzgrueber[5]; atque haec sententia magnum pondus accipit ex ipsa Constitutione S. Pii V, qui indiscriminatim loquitur de omnibus beneficiis nec ullam distinctionem facit inter beneficia simplicia et curata. Altera autem sententia longe communior, immo hodie fere universalis docet, beneficiatum *curatum* non teneri nisi ad partialem restitutionem fructuum beneficii, si Officium quidem neglexerit, sed cetera opera sui beneficii adimpleverit. D'Annibale[6] recte dicit de hac re: «Quota [pars sit restituenda], utrum dimidia, uti rigidiores; an quinta, uti benigniores, non convenit; ideo melius est id inter haec relinquere arbitrio boni viri, qui rem varie ex officiis metiri debebit.» Et revera si haec officia praeter Horas canonicas incumbentia sunt gravia, iustum est, ut beneficiatus aliquam recompensationem habeat, licet neglexerit Horas canonicas. Saltem dimidiam et forte etiam duas tertias partes redituum beneficialium possit sibi retinere pro tali recompensatione. — Unde e. g. si quis parochus uno die culpabiliter totum Officium neglexerit et habeat quotannis 1500 marcas reditus stricte beneficiales, i. e. circiter 4 marcas quolibet die, sufficit suae obligationi restituendi, si circiter 2 marcas erogat in pauperes vel in utilitatem ecclesiae. Sin autem non totum Officium, sed tantum illius partem omiserit, restitutio proportionaliter est diminuenda.

Sunt plures auctores, e. g. Suarez[7], Bonacina[8], S. Alphonsus[9], Noldin[10], Göpfert[11], qui docent, beneficiatum *pauperem* obligatum ad restitutionem posse sibi ipsi eleemosynam dandam applicare; immo Ballerini[12] putat, beneficiatum curatum, cui fructus beneficiales sunt necessarii ad convenientem sustentationem, ad nihil teneri ex sola omissione Officii divini, dummodo alias beneficii obligationes adimpleverit. Num istae opiniones respondeant menti Ecclesiae tam graviter obligantis beneficiatos ad recitationem Officii, non audeo dicere. Valde desiderandum est, ut ipsa Ecclesia velit auctoritative statuere, quaenam adsit obligatio in istis et similibus casibus. — Si pars Officii omissa non constituat materiam gravem, i. e. partem non aequivalentem parvae Horae, non adest gravis obligatio restitutionis. Ita sententia communior et probabilior[13]. — Recolendum est, eleemosynas *ante* omissionem factas non posse computari pro restitutione facienda, ut patet ex propositione 33 damnata ab Alexandro VII. Eleemosynae autem *post* culpabilem omissionem factae possunt computari pro restitutione facienda.

366 **De canonicorum obligatione recitandi Officium in Choro** pauca hic dicenda sunt, cum haec materia potius ad ius canonicum

---

[1] De restit. l. 2, c. 2, n. 283.
[2] Opus mor. tr. 7, disp. 2, punct. 7, n. 8. [3] De relig. l. 4, c. 30, n. 6.
[4] Instit. mor. P. 1, l. 10, c. 14, q. 5. [5] Ius can. l. 1, n. 98.
[6] Summula Theol. mor. III, n. 64. [7] L. c. n. 21.
[8] De Offic. div. disp. 1, q. 5, punct. 4, n. 8. [9] Theol. mor. l. 3, n. 672.
[10] De praeceptis n. 758 d. [11] Moraltheol. I 331.
[12] Comp. Theol. mor. IV, n. 259. [13] *S. Alph.* l. c. n. 668.

pertineat et saepe sit accuratius determinata per statuta particularia aut per legitimas consuetudines. — Omnia capitula canonicorum (in ecclesiis sive cathedralibus sive collegiatis) tenentur sub gravi dicere choraliter totum Officium divinum, nisi adsit specialis licentia Sanctae Sedis [1]. Episcopus nullo modo potest propria auctoritate dispensare ab hac gravi obligatione. Canonici, qui ex propria culpa et sine legitima licentia absunt ab Officio chorali, peccant graviter vel leviter iuxta quantitatem materiae. Iuxta probabiliorem sententiam absentia culpabilis continua quinque dierum est materia gravis [2]. Quaenam autem sint causae excusantes ab assistentia chorali vide apud canonistas [3]. Canonici tenentur non tantum materialiter assistere choro, sed etiam devote psallere et cantare; secus amittunt non solum fructus beneficiales, sed insuper sic dictas «distributiones quotidianas» [4].

Obligatio religiosorum sollemniter professorum. 367

Religiosis incumbit recitandi Officii gravis obligatio, quae oritur non ex votis simplicibus, sed ex sola professione sollemni religiosa. Distinguenda est autem obligatio choralis ab obligatione privatim recitandi Officium divinum. In nonnullis ordinibus religiosis simpliciter professi eodem modo obligantur quidem ad Officium chorale, sicut sollemniter professi [5], sed simpliciter professi (in sacris ordinibus non constituti) numquam obligantur ad privatam recitationem [6]. Religiosorum obligatio choralis iam supponitur in Clementinis [7], ubi dicitur: «In cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur, . . . si Dei et Apostolicae Sedis indignationem evitare voluerint.» — Obligatio vero privatim recitandi Officium divinum religiosis sollemniter professis utriusque sexus orta est ex immemoriali consuetudine vim legis habente. Nullibi enim invenitur lex universalis hanc recitationem privatam praescribens, licet Pontificiae Constitutiones hanc obligationem haud raro supponant. Ad Officium divinum recitandum non obligantur *fratres conversi aut sorores laicae* post sollemnem professionem [8], cum isti et istae non ad chorum, sed ad alia officia deputentur. Num autem sub peccato teneantur ad alias preces, quae illis praescribuntur ab ipsorum Regula, dependet ex certis et legitimis statutis particularibus. Quodsi dubium adsit de qualitate obligationis istius, pro benigniore parte standum est. Ut plurimum fratres conversi et sorores conversae non obligantur sub culpa ad persolvendas preces ex Regula impositas. — Obligatio multarum Congregationum religiosarum recitandi quotidie Officium Marianum non est gravis; immo per se nec culpam levem inducit eius omissio. Attendendae tamen sunt Constitutiones singularum Congregationum [9]. — De modo recitandi Officium in choro, de loco chori, de personis necessariis ad Officium chorale agunt canonistae.

Forma Officii divini vocatur hic obiectiva dispositio precum 368
pro quolibet die determinata. Ecclesia enim determinavit non tantum

---

[1] Conc. Trid. sess. 24 de reform. c. 12.
[2] Cf. *Billuart*, De orat. diss. 2, a. 8, § 4. [3] Cf. nostrum Man. iur. eccl. I, q. 101.
[4] Conc. Trid. l. c. et Bened. XIV, Const. «Cum semper oblatas» d. 19 Aug. 1744.
[5] Cf. S. C. de Rel. d. 6 Aug. 1868. [6] S. C. de Reg. d. 28 Iulii 1902.
[7] Lib. 3, tit. 14, c. 1. [8] Cf. nostrum Man. iur. eccl. II, q. 139.
[9] Cf. ib. q. 131 sqq.

in genere obligationem recitandi Officium, sed etiam eius ritum ac sic dictas Rubricas sancivit. Tamquam principium generale habendum est: Ritus et Rubricae ab Ecclesia vere praescriptae obligant in conscientia; datur tamen in transgressione illarum materiae parvitas, immo accedente sufficienti causa, transgressio illarum evadit licita.

Gravis violatio formae Officii divini adest in sequentibus casibus, nisi exsistat legitima causa excusans:

1. *Si quis mutat ritum, utendo alio ac praescripto breviario.*
2. *Si quis recitat Officium in alia ac in Latina lingua.*
3. *Si quis recitat Officium quoad qualitatem et quantitatem notabiliter diversum.*

Quantum ad 1. S. Pius V[1] praescripsit, ut omnes, qui obligantur ad Officium divinum, graviter teneantur illud recitare iuxta formam et ritum breviarii Romani, exceptis iis ecclesiis et ordinibus religiosis, qui ante ducentos annos (i. e. ante annum 1368) alio breviario legitime approbato iam utebantur. Sed etiam istis privilegiatis tunc concessum fuit, ut de consensu episcopi et universi capituli, sive praelati et communitatis uti possint in choro breviario Romano. Vi istius privilegii Piani adhuc nostris temporibus plures ecclesiae, e. g. Mediolanensis, Trevirensis etc., et plures ordines religiosi, e. g. Benedictini, Carthusiani, Dominicani etc., adhibent proprium breviarium. — Absque omni dubio *recitatio choralis* Officii debet sub gravi celebrari iuxta ritum vel Romanum vel alium legitimum praecriptum; nec iam ulla licet mutatio sine speciali licentia S. Sedis.

Si agitur de mutatione ritus *in recitatione privata,* certum quidem est, clericum religiosum utentem proprio breviario, si elevatus est ad dignitatem episcopalem, debere relinquere proprium ritum et in omnibus sequi ritum Romanum. Pariter eius capellanus, qui cum illo Officium recitat. Ita pluries S. Congregatio statuit[2]. Satis communiter autem auctores docebant, omnes qui assistunt chorali recitationi Officii semper posse se conformare huic Officio chorali, etsi per se tenentur sequi alium ritum. Hinc e. g. sacerdos saecularis assistens et psallens in Officio chorali Benedictinorum aut Dominicanorum satisfacit suae obligationi, nec tenetur recitare Officium iuxta ritum Romanum. Ratio est, quia s. Mater Ecclesia multum favet recitationi chorali Officii, quoniam in choro Officium solet cum maiore sollemnitate et devotione celebrari quam in privato[3]. Praeciso autem speciali privilegio (quale habent Benedictini), haec doctrina hodie iam non est satis tuta. Etenim ad quaestionem: «An satisfaciat obligationi suae clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adiungit clero Officium ab Officio ipsius clerici diversum canenti vel recitanti?» respondit S. R. C. d. 27 Ian. 1899: «Generaliter negative.»[4]

Num autem satisfacere possit religiosus habens proprium breviarium recitando Officium breviarii Romani, et vice versa, num clericus obligatus ad ritum Romanum satisfaciat suae obligationi adhibendo breviarium alicuius ordinis privilegiati, auctores non concordant, nec umquam lex generalis de hac re lata est. S. Alphonsus[5] scribit: «Si careres breviario Romano et

[1] Const. «Quod a nobis» a. 1568.
[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 161, q. 3, n. 4.
[3] Cf. nostrum Man. iur. eccl. II, q. 120. [4] Decr. auth. n. 4011 ad 3.
[5] L. c. n. 158.

haberes aliud, puta Benedictinum, aut simile, teneris ex illo recitare. Ratio, quia duplex est praeceptum Officii: unum universale de Horis persolvendis; aliud de servanda formula cuiuscumque diei, unde si non potes servare unum, teneris ad aliud. Huic vero contradicunt Salmanticenses dicentes non teneri, quia, ut aiunt, praeceptum Officii est indivisibile; id est: illud recitandi et recitandi sub una formula. Idque inferunt ex verbis Bullae Pii V, ubi dicitur: ‚nisi in hac sola forma satisfacere posse'. Hoc tamen non obstante, prima opinio ut magis pia et rationabilis mihi sequenda videtur.» — Extra casum autem necessitatis recitans Officium nequit licite uti breviario alterius ritus[1].

Quantum ad 2. Si quis recitat Officium divinum in alia ac in lingua Latina, e. g. psalmos in lingua Hebraica aut vernacula, non satisfacit obligationi suae. Ita saltem si recitans pertinet ad ritum Latinum.

Quantum ad 3. Qualitas Officii quotidie recitandi solet de- 369
terminari in **Calendario seu Directorio.** Regula generalis est: *Quilibet tenetur uti calendario proprio.* De applicatione istius regulae sequentia notanda sunt:

1. *Beneficiati* semper tenentur ad Officium propriae ecclesiae. Ita S. Congr. Rituum d. 12 Nov. 1831[2]. Idem valet de clericis alicui ecclesiae adscriptis[3]. Adscripti autem alicui ecclesiae censentur illi tantum, qui in ea *ex officio* constanti (non autem solummodo transitorio) curam animarum exercent, e. g. parochi, vice-parochi. — Magistri et alumni seminarii censentur adscripti ecclesiae seminarii[4]; tenentur igitur recitare Officia propria ecclesiae seminarii. Officia propria alicuius ecclesiae sunt: Officium titularis ecclesiae, dedicationis ecclesiae, insignis reliquiae etc.

2. *Clerici non beneficiati* neque alicui ecclesiae specialiter adscripti tenentur sequi calendarium dioecesanum. Quodsi morantur extra dioecesim per breve tempus, possunt sed non tenentur sequi calendarium dioecesis, ubi hic et nunc sunt. Sin autem in loco extra-dioecesano *quasi-domicilium* acquisiverint per habitationem longiorem quam sex mensium, tenentur sequi calendarium huius loci[5]. Ratio est, quia clerici quasi-domicilium habentes alicubi subduntur episcopo huius loci.

Unde e. g. clericus maiorista, qui studii causa in aliqua Universitate degit per maiorem partem anni, tenetur Officium recitare iuxta calendarium dioecesis, in qua sita est Universitas; et quidem statim a die, quo pervenit ad Universitatem, quoniam etiam statim hoc die acquirit quasi-domicilium, cum habeat animum permanendi in hoc loco per maiorem partem anni. Si talis clericus est sacerdos, adhuc alia ratio urget. Etenim in Missa dicenda tenetur

---

[1] *Noldin* (De praeceptis n. 760) dicit: «Sacerdotes et religiosi, qui in choro uti debent proprio, non Romano breviario, privatim officium recitare possunt iuxta breviarium Romanum.» — Quantum scio, neque aliquod decretum Curiae Romanae neque doctrina canonistarum hoc ita universaliter permittit; ideoque peccaret talis religiosus, qui sine gravi causa recitaret Officium iuxta ritum Romanum, relicto proprio ritu.

[2] Decr. auth. n. 2682 ad 46.

[3] S. C. R. d. 7 Dec. 1844 (Decr. auth. n. 2872).

[4] S. C. R. d. 7 Sept. 1850 (l. c. n. 2980); cf. etiam *Noldin* l. c. n. 762.

[5] S. C. R. d. 14 Maii 1672 (l. c. n. 1445).

se conformare calendario ecclesiae, ubi celebrat (paucis casibus exceptis). Iamvero mens Ecclesiae est, ut Missa respondeat Officio divino recitato.

3. *Regulares* tenentur uti calendario proprio, i. e. conventus seu monasterii, in quo habitant. Regulares autem itinerantes adhuc debent sequi calendarium proprii conventus, nisi a) pervenerint ad alium conventum eiusdem ordinis, cuius calendarium in *chorali recitatione* Officii observare debent; b) remanserint per longius tempus, e. g. per mensem extra omnem conventum sui ordinis, e. g. praedicationis vel sanitatis causa. Tunc enim «debent se conformare ad provinciae calendarium sine ulla diversitate pro omnibus quolibet anno extensum»[1].

Nota. Cum calendarium soleat redigi a viris in Rubricis et Liturgia doctis, Officium semper potest et debet recitari, prout in calendario determinatur, nisi tamen error calendarii sit manifestus[2].

370 **Quoad commutationes unius Officii cum alio,** imprimis distinguendum est, utrum tales commutationes sint *voluntariae* an *involuntariae*.

1. Mortaliter peccat, qui sine gravi ratione voluntarie commutat recitandum Officium in aliud notabiliter diversum ratione *qualitatis* et *quantitatis*. — Ita sententia communis, quae confirmatur ex propositione 34 damnata ab Alexandro VII, in qua asserebatur die Palmarum licitum esse recitare Officium paschale. — Leviter vel nullo modo peccat ille, qui ex rationabili causa mutat Officium cum alio fere eiusdem qualitatis et quantitatis, e. g. quia Officium recitandum non continetur in breviario possesso. Sufficiens autem causa mutandi Officium non est intentio recitandi Horas cum socio[3], ut iam supra dictum est.

2. Si quis *involuntarie* erravit in Officio, tres sequentes regulae attendendae sunt:

a) Valet Officium pro Officio.

b) Error corrigitur, ubi deprehenditur.

c) Error non corrigitur per errorem.

Ob primam regulam nemo tenetur recitare Officium hoc die statutum, si falso Officio persoluto, detegit suum errorem. At si Officium erroneo modo recitatum sit longe brevius quam Officium reapse praescriptum, tunc aliqua compensatio facienda est. Sic e. g. si quis Officium de sancto recitaverat pro Officio Dominicali, quod constabat iuxta vetus breviarium Romanum duodecim psalmis primi Nocturni, debuit novem supplere psalmos. Ita communis sententia[4].

Ob secundam regulam ille, qui parte Officii iam persoluta advertit, se falsum Officium dicere, reliqua de vero Officio persolvat. Sunt tamen auc-

---

[1] S. C. R. d. 31 Aug. 1839; cf. etiam nostrum Man. iur. eccl. II, q. 136. S. C. R. d. 27 Iunii 1896 statuit, ut religiosi per aliquot dies absentes a suo conventu debeant in privata recitatione Officii sequi calendarium coenobii, a quo discesserunt.

[2] S. C. R. d. 13 Iunii 1899 (Decr. auth. n. 4031).

[3] S. C. R. d. 27 Ian. 1899. Unde sententia opposita *S. Alphonsi* (Theol. mor. l. 4, n. 161, q. 3, n. 4) aliorumque auctorum relinquenda esse videtur propter decisionem S. C. R. contrariam.

[4] Cf. *S. Alph.* l. c. q. 3.

tores, ut Lessius, Salmanticenses[1], Noldin[2] etc., docentes, in hoc casu licere incoeptum Officium absolvere, ne partes difformes in unum Officium coniungantur. Prima sententia est melior et communior; unde S. Alphonsus[3] dicit: «Puto cum Croix et Tamburino, melius esse recitare de proprio, ne errorem prosequaris.» — Quando autem quis ex errore e. g. bis recitaverit Horam sextam, inde non potest omittere Horam nonam aut aliam partem similem Officii. Nam valet quidem Officium pro Officio, non autem Hora pro Hora. Omissa enim una Hora iam *forma* Officii est notabiliter mutata, et integrum Officium talis diei non est revera recitatum. Hoc autem est peccatum[4].

Ob tertiam regulam ille, qui ex errore recitavit Officium nondum occurrens, debet hoc Officium iterum recitare eo die, quo revera praescribitur. Sunt tamen auctores, e. g. S. Alphonsus[5], Noldin[6], Lehmkuhl[7] etc., qui docent in hoc casu esse recitandum Officium omissum. Ratio, quia, sicut rite transfertur Officium de sancto ob impedimentum diei ad alium diem non impeditum, ita videtur rationabiliter posse Officium transferri ob impedimentum morale, quale censetur error vel ignorantia, ne Sanctus in illo anno suo honore privetur. Nihilominus prima sententia est verior et communior; nam privatio honoris, quam sanctus patitur ex eo, quod unus clericus non recitat illius Officium, est ita parva, ut debeat cedere ordini statuto in calendario[8].

Modus recitandi Officium.

Ad plene satisfaciendum praecepto ecclesiastico Officium divinum recitari debet: 1. debito ordine, loco, tempore et situ; 2. integre; 3. continue; 4. vocaliter; 5. cum attentione et intentione.

1. **Debitus ordo** servandus est non tantum inter diversa Officia, prout 371
calendarium id determinat, sed etiam in eodem Officio, sicut Rubricae praescribunt. Inversio tamen primi ordinis magis prohibetur quam secundi. Ordo Horarum secundum Rubricas est sequens: Prius recitandum est Matutinum cum Laudibus, et deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, Completorium. Inversio huius ordinis numquam evadit peccatum mortale; cum non laedat substantiam Officii. Immo nec est peccatum veniale hunc ordinem pervertere, exsistente causa vel leviter inductiva. Sic e. g. licet prius dicere parvas Horas et deinde Matutinum et Laudes, si quis ad manum non habet breviarium, sed solum diurnale; si quis non potest bene legere lectiones, potest autem facilius dicere psalmos et antiphonas, licet nunc omittere lectiones illasque postea separatim dicere; si quis advenit in choro Hora iam incoepta, laudabiliter pergit cum aliis in choro psallendo et postea complendo privatim ea, quae nondum dicta sunt. Nonnulli dicunt, commemorationes non recitare ordine a Rubricis designato omnino licere, cum hae Rubricae non sint praeceptivae, sed directivae[9]. — Invertere ordinem Horarum *in recitatione chorali* est peccatum saltem veniale, cum Rubricae pro hac recitatione multo gravius soleant obligare quam pro recitatione privata[10].

---

[1] Apud *S. Alph.* l. c. q. 5. [2] De praeceptis n. 764. [3] L. c.
[4] Ita etiam *Noldin* l. c. [5] L. c. q. 5. [6] L. c. [7] Theol. mor. II, n. 790.
[8] Cf. *Cavalieri,* Commentaria II, c. 41, n. 21—28; cf. etiam Decr. auth. n. 1474.
[9] Cf. *Noldin* l. c. n. 771.
[10] Nonnulli auctores, ut Salmanticenses, Suarez, Dom. Soto, Concina etc., putant notabilem inversionem sine legitima causa factam esse grave peccatum; sed opposita sententia est probabilior. Cf. *S. Alph.* l. c. n. 171.

372 **Locus et situs** valde accurate quidem praescripti sunt pro recitatione chorali Officii divini, sed in recitatione privata conceditur magna libertas. Unde in quolibet loco et situ Officium privatim recitari potest, dummodo tamen attentio necessaria sit possibilis. Ideoque Officium potest privatim recitari stando, sedendo, genuflectendo; immo et cubando in lecto (si adsit causa rationabilis). Rubricae autem omnes, quae certas genuflexiones, inclinationes, signa crucis etc. praescribunt, referuntur ad recitationem choralem, *ac non obligant in recitatione privata;* valde autem laudabiliter etiam in privata recitatione observantur, si id commode fieri potest. In quibusdam ordinibus religiosis etiam pro privata recitatione praescribuntur quaedam genuflexiones, inclinationes. — Oratio «Sacrosanctae» post Officium recitanda dici debet flexis genibus, si quis gratias illi adnexas lucrari vult. Soli aegroti ad hanc genuflexionem non tenentur[1].

373 **Tempus** olim assignatum ad Horas recitandas hoc erat: Matutinum circa mediam noctem; Laudes ad auroram; Prima post solis ortum; Tertia ad horam nonam; Sexta ad meridiem; Nona ad horam tertiam postmeridianam; Vesperae ad solis occasum; Completorium ad noctis crepusculum. Attamen non in omnibus ecclesiis eaedem consuetudines in hac re vigebant. — Iuxta praesentem disciplinam servanda sunt in recitatione chorali statuta particularia legitima. Quantum vero ad recitationem privatam, unica exsistit obligatio gravis, nempe: perficiendi totum Officium intra spatium 24 horarum[2] unius diei naturalis, i. e. a media nocte unius diei usque ad mediam noctem sequentem. Istud autem tempus 24 horarum determinatum est, uti dicunt, *ad finiendam,* non autem ad urgendam obligationem. Itaque, qui hac media nocte nondum perfecit Officium divinum hodiernum, iam non tenetur illud complere hora prima sequente, etsi potest. Ratio est, quia Officium consideratur ut onus diei. S. Congr. Concilii d. 23 Iulii 1893 permisit, ut quantum ad recitationem Horarum et ieiunium eucharisticum unicuique liberum sit observare vel tempus naturale solis, vel tempus sic dictum legale[3]. Cum igitur hoc tempus legale in nonnullis regionibus sit per dimidiam horam tardius quam tempus solare, licet ibi e. g. iam hora una et dimidia postmeridiana anticipare Matutinum et Laudes. — Sub veniali — nisi tamen adsit legitima causa excusans — praecipitur, ut Matutinum, Laudes, Prima, Tertia recitentur ante meridiem; Vesperae autem et Completorium post meridiem. Liberum est recitare Sextam et Nonam aut ante aut post meridiem. Tempore Quadragesimae (exceptis tribus primis diebus et Dominicis) Vesperae dicantur ante meridiem vel hora undecima vel qualibet alia hora matutina. Verumtamen facile adest causa sufficiens dicendi totum Officium qualibet hora diei, e. g. studium faciendum, praedicatio praeparanda, confessiones audiendae, maior devotio etc.

Rubrica Missalis[4] praescribit, ut Matutinum et Laudes a sacerdote recitentur ante Missam celebrandam. Licet quidam[5] putaverint, hanc Rubricam obligare sub gravi, tamen communior et probabilior sententia non admittit

---

[1] S. C. Indulg. d. 12 Iunii 1855 et d. 7 Ian. 1856.

[2] Cum hodie liceat anticipare recitationem Matutini et Laudum inde ab hora secunda postmeridiana, concessae sunt 34 horae, intra quas totum Officium est persolvendum.

[3] Eadem statuit S. C. R. d. 12 Maii 1905 ad 3 (Decr. auth. n. 4158).

[4] Rit. serv. in Miss. I, n. 1; De defect. X, n. 1.

[5] *S. Antoninus* (S. theol. P. 3, tit. 13, c. 4, § 4 et c. 6, § 6), Ledesma, Antoine etc.; cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 347.

nisi obligationem levem[1]. Ratio est, quia non tam arcta connexio est inter Missam et Officium, cum hodie Missa haud raro non respondeat Officio dicto (e. g. quando Missa dicitur in aliena ecclesia aut Missa de Requiem). Insuper recitatio Matutini non videtur esse necessaria praeparatio ad celebrandum, cum sacerdos aliter orando se possit sufficienter disponere ad Missam celebrandam. Adest autem vera obligatio moralis recitandi Matutinum et Laudes ante Missam celebrandam, tum quia omnes Rubricae Missalis sint probabilius praeceptivae, tum quia haec recitatio non peracta inter defectus Missae enumeratur. Ad licite postponendam recitationem Matutini post Missam celebratam requiritur rationabilis causa, e. g. tempus deficiens, incommoda secus orientia etc. — Gravis autem esset deordinatio, si *Missa conventualis* sine urgenti causa celebraretur antequam Matutinum et Laudes sint recitatae in choro. Ita sententia verior et communior[2].

De anticipatione Matutini et Laudum. Matutinum et Laudes anticipari, i. e. die praecedenti recitari possunt inde ab illa hora, qua sol medium tenet cursum inter meridiem et occasum, iuxta tabellam in initio breviarii insertam. Ex speciali privilegio haec anticipatio aliquando conceditur inde ab hora una postmeridiana; immo sacerdotibus ex ordine S. Ioannis de Deo d. 12 Iunii 1899 concessum est privilegium anticipandi immediate post meridiem. Iuxta vigentem disciplinam etiam praeciso speciali privilegio anticipatio semper potest fieri in *recitatione privata* inde ab *hora secunda postmeridiana,* ut manifeste declaravit S. Congr. Rituum d. 12 Maii 1905[3].

2. **Integre** Officium esse quotidie recitandum, est certum. Unde letalis 374
peccati reus est ille, qui notabilem eius partem culpabiliter omittit; sive ista notabilis pars sit continua, sive ex multis separatis particulis composita. Pars notabilis censetur una parva Hora vel alia pars aequivalens, ut iam supra n. 362 dictum est. Si quis singula verba Officii cum notabili truncatione proferat, vel quam plurimas syllabas verborum quasi absorbeat, peccat contra integritatem Officii. Merito autem Billuart[4] cum aliis auctoribus animadvertit, in his casibus raro adesse peccatum mortale, nisi truncatio sit vere enormis. Ratio est, quia sic debemus loqui in moralibus, ut non detur ingressus scrupulis infinitis; quod autem accideret, si propter leves quasdam mutilationes, quae tam facile irrepunt, constitueretur tandem in fine Officii materia gravis peccati.

Integritas Officii minime laeditur, si quis in choro alternatim psallit; immo si quis necessariis officiis chori occupatus, e. g. pulsando organa, ali-

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. et *Concina*, In Decal. l. 2, diss. 2, c. 9, § 8, n. 11.

[2] Illam tenent Benedictus XIV, S. Alphonsus, Soto et multi alii citati a *S. Alphonso* l. c. n. 348. Si plures Missae conventuales aliquo die sunt dicendae, sufficit ut Matutinum et Laudes sint recitatae ante Missam principaliorem.

[3] Sequentes responsiones S. C. R. hac de re prodierunt: 1. «Utrum in privata recitatione Matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda postmeridiana, aut standum sit tabellae directorii dioecesani omni tempore? — Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.» 2. «Utrum etiam in publica seu chorali recitatione Officium incipi possit hora secunda pomeridiana? — Negative.» 3. «Utrum hora recitandi Matutinum annumerari queat indiscriminatim ex meridiano circulo locali, aut ex meridiano circulo officiali, dicto Greenwich, qui quidem anticipat horam circuli localis (Placentiae) per tertiam horae partem plus minusve? Ad libitum» (Decr. auth. n. 4158). — In nonnullis periodicis et auctoribus legitur pro responsione ad primum: «Consulantur probati auctores», sed standum est textui, prout habetur in Decretis authenticis.

[4] De orat. diss. 2, a. 8, § 7.

quos versus aut etiam totum psalmum non recitat alternatim. Tunc enim, uti dicunt, chorus supplet. Qui organum pulsat, dum in choro Officium cantatur, non satisfacit suae obligationi, nisi alternos versus cum una parte chori intelligibiliter pronuntiet et cum choro respondeat ad ea, quae ab uno solent dici [1]. Etiam in recitatione privata licet cum socio Officium recitare alternatim, sicut in choro celebratur. Socius accitus potest esse laicus, immo et mulier [2]. Requiritur autem, ut ille, qui est obligatus ad Officium, sic alternatim psallens suum socium psallentem *audiat* [3]; unde surdus nequit hoc modo officium dicere. Nihil autem obstat, quominus socius ascitus sit surdus nihilque audiat de recitatione Officii, dummodo tamen ipse alternos versus intelligibiliter pronuntiet atque audiatur ab illo, qui est obligatus ad Officium. Alterna recitatio privata solet non parum conducere ad devotionem, ac proinde consulenda est, si commode fieri potest.

375 3. **Continue** i. e. sine interruptione singulae Horae sunt dicendae. Attamen, consentientibus omnibus theologis, quaelibet interruptio etiam sine rationabili causa facta, numquam constituit peccatum mortale. Unica enim obligatio gravis est recitatio totius Officii intra spatium unius diei. Interruptio tamen notabilis, quae sine causa inter partes eiusdem Horae fit, videtur esse peccatum veniale, cum inde irreverentia in oratione oriatur. Sic e. g. si quis mane diceret unum psalmum Primae et sero duos alios psalmos huius Horae recitaret, idque ageret sine causa rationabili, peccaret venialiter. Si interruptio Horae est solummodo brevis, facile adest sufficiens causa excusans ab omni culpa. Sic e. g. confessarius sedens in confessionali et exspectans poenitentes potest recitare Officium, etsi praevidet plures interruptiones ex adventu nonnullorum confitentium. Licet etiam breviter interrumpere recitationem Breviarii ad salutandum amicum occurrentem, vel ad dandam brevem responsionem. — Quamvis Matutinum et Laudes unam Horam constituant, tamen licet, etiam sine ratione, Matutinum a Laudibus separare in privata recitatione. Tunc vero ex praescripto generali Rubricae post Matutinum dicatur: Dominus vobiscum, Oratio diei, Benedicamus, Fidelium. Necesse autem non est, ut postea ante Laudes sic a Matutino separatas dicatur Pater noster [4]. — In Matutinis quilibet Nocturnus separari potest ab aliis per spatium trium horarum; quia etiam antiquitus singuli Nocturni per tale spatium ab invicem separabantur. — *Causa iusta* interrumpendi Officium, iuxta S. Alphonsum [5], est quaelibet utilitas propria vel aliena, quae incommode differtur. Item urbanitas aut devotio, ut exsequi mandata superioris; si velis aliquid agere aut notare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, ne obliviscaris modo. Licite etiam potest intermitti aliqua brevis oratio iaculatoria ad devotionem augendam. Valet enim adagium: Una oratio non interrumpitur per aliam.

376 4. **Ore vel vocaliter** Officium recitari debet, cum sit ex natura sua oratio *publica*, quae debet semper esse vocalis. Quapropter verba singula debent formari ore, labiis et lingua. Insuper debent ita pronuntiari, ut orans con-

---

[1] Ita sententia communis; cf. *Concina*, In Decal. l. 2, diss. 2, c. 5, q. 13.

[2] Cf. *Billuart*, De orat. diss. 2, a. 8, § 7.

[3] Satis communiter conveniunt auctores, clericum surdum non posse cum socio privato alternatim recitare Officium. Quidam autem sunt benigniores, si surdus assistat choro.

[4] S. C. R. d. 1 Febr. 1886 (Decr. auth. n. 3653).

[5] Theol. mor. l. 4, n. 168.

scius sit se revera proferre verba, etsi ea de facto non audiat[1]. Non autem requiritur, ut verba prolata possint audiri a circumstantibus. Immo est consuetudo haud laudabilis ita proferendi aut potius sibilandi verba Officii in recitatione privata, ut circumstantes inde molestiam patiantur. Clericus *mentaliter* tantum Officium legens aut solis oculis percurrens non sufficit suae obligationi; saltem si non habet speciale privilegium. Leo X dicitur concessisse Fratribus Minoribus (et per communicationem privilegiorum omnibus regularibus) privilegium, ut tam in Horis canonicis quam in Missa non teneantur proferre vocaliter verba, sed satisfaciant obligationi mentaliter dicendo ea, quae in Ordinario iubentur dici secreto. S. Alphonsus[2] citans plures auctores pro sua sententia scribit de hac re: «Recte arguunt Salmanticenses: recitatio privata, ubi nihil dicitur, ut ab aliis intelligatur, potest ex hoc privilegio tota mentaliter fieri.» Eandem doctrinam ut tutam in praxi defendunt nostris temporibus Victorius ab Appeltern[3] O. Cap. et «Il Monitore Ecclesiastico»[4]. — Propter auctoritatem S. Alphonsi, cuius sententias quilibet confessarius in praxi sequi potest, nisi Curia Romana expresse aliud statuerit, non auderem peccati mortalis reum declarare clericum regularem, qui totum Officium mentaliter tantum dixerit. Haud pauci vero auctores moderni docent, privilegium istud a Leone X concessum hodie iam non exsistere[5].

5. **Cum intentione et attentione** debita Officium recitari debet. Intentio 377
requisita est intentio orandi seu Deum honorandi atque colendi. Non requiritur, ut haec intentio sit explicita et expressa, sed sufficit, ut clericus dicat Officium obligationis suae satisfaciendae causa. Optime exprimitur haec bona intentio verbis pulchrae oratiunculae Horis praemittendae: «Domine, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.»

De attentione requisita iam supra n. 354 satis dictum est. Iuxta omnes theologos certo requiritur attentio externa; num praeterea ad satisfaciendum obligationi requiratur aliqua saltem attentio interna, controvertitur inter auctores. Vide supra n. 355 sqq.

Remedia ad repellendas distractiones plura consuluntur: 1. sub initio Officii formare strenuam et explicitam intentionem laudandi Deum; 2. renovare hanc intentionem ad «Gloria Patri» vel in principio cuiusque psalmi; 3. mysterium aliquod passionis sibi repraesentare durante recitatione Officii; 4. sensus sedulo custodire; 5. externis gestibus corporis se composite habere et reverentiose; hinc praestat dicere Officium genibus flexis, vel coram SS. Eucharistia, non autem sedendo aut cubando, nisi adsit rationabilis causa; 7. studere rectae intelligentiae psalmorum aliorumque, quae in Officio occurrunt. Haud raro enim distractiones inde proveniunt, quia clericus non percipit nec umquam intellexit verum sensum sententiarum, quas recitat.

De causis a recitatione Officii excusantibus. Tres solent 378
enumerari causae a recitatione Horarum excusantes: 1. *impotentia physica;* 2. *impotentia moralis;* 3. *dispensatio legitima.* Duae priores causae excusant, quia ad impossibile nemo tenetur et quia lex positiva

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 163. [2] Ib. n. 63. [3] Comp. iur. regul. q. 227.
[4] Vol. 14, p. 80 sqq.
[5] E. g. *Noldin,* De praeceptis n. 765; *Ferraris,* Prompta Bibl., s. v. «Divinum Officium», n. 100.

non obligat cum magno incommodo; tertia causa excusat, quia Officiu recitandum non ex lege naturali aut divina, sed ex sola lege ecclesi stica praescribitur. Obligatio autem legis ecclesiasticae cessat p legitimam dispensationem. — De singulis causis excusantibus pau explicanda sunt.

1. **Impotentia physica** est obstaculum physicum impediens recitatione Officii. Huiusmodi obstacula sunt: carentia breviarii (si quis nescit mem riter recitare Officium), caecitas, gravis aegritudo etc. Tum pro physica tu pro morali impotentia valet regula generalis: Qui non potest recitare totu Officium, potest autem partem notabilem, qualis censetur parva Hora, tenet sub gravi hanc partem recitare. Haec regula confirmatur, cum contrariu sit damnatum ab Innocentio XI (prop. 54)[1]. Qui autem nec parvam Hora recitare valet, iam ad nihil tenetur, quoniam pars ita parva non conduc notabiliter ad finem intentum a lege praecipiente recitationem Officii[2]. - Qui non potest solus recitare Officium, tenetur adhibere socium *gratuitu* si id est possibile sine magno incommodo. Ratio est, quia quodcumqu praeceptum impleri debet, quod mediis ordinariis impleri potest. Iamve adhiberi socium gratuitum ad recitandum Officium, censetur a S. Alphons et pluribus aliis auctoribus medium ordinarium. Non concordant auctore utrum beneficiatus non valens solus recitare Officium teneatur ex fructib beneficii conducere socium pro recitatione Officii. Quidam responde affirmative, quidam autem negative. S. Alphonsus[4] utramque sententia vocat probabilem. In praxi tunc melius petitur dispensatio vel interpretat a competenti auctoritate.

Qui a recitatione Officii legitime est excusatus ob impotentiam physica (aut moralem), non tenetur loco Officii alias preces dicere; quia talis con mutatio nullibi praescribitur. Nihilominus laudabiliter recitantur aliae prec a clerico impedito, quominus Officium dicat. Ita enim ostendit bonam sua voluntatem satisfaciendi praecepto orandi ab Ecclesia ipsi specialiter imposit

379 2. **Impotentia moralis** est grave incommodum, quod ex recitatio Officii oriretur. Tale incommodum praecipue oriri potest ex aegritudine a ex gravibus laboribus necessariis. «Ratione infirmitatis excusantur ab Offic non solum qui gravi laborant morbo, sed etiam qui non possunt recita nisi cum gravi incommodo aut probabili talis incommodi periculo. Un satis excusantur, qui prudenter credunt vel timent, ob Officii recitatione eis fore proventuram notabilem gravedinem capitis, vel cruditatem stomac aut virium lassitudinem; vel si credant febrim tardius esse remittendam Ita S. Alphonsus[5], cum pluribus aliis auctoribus. Merito autem idem S. Doct asserit id etiam valere, etiamsi infirmus aliquem legeret librum ad animu solandum. Etenim huiusmodi lectio — quod adhuc magis valet de lectio ephemeridum et periodicorum imaginibus refertorum — non defatigat, s potius sublevat; cum econtra recitatio Officii soleat sat magnam defatigation causare. Qui dubitat, num infirmitas aliqua sufficienter excuset a recitatio Officii, stare potest iudicio superioris, vel confessarii, vel medici, vel alter prudentis viri.

Occupationem gravem ex officio aut caritate susceptam aliquando c stituere impotentiam moralem recitandi Officium, certum est et ab omnib

---

[1] Cf. supra n. 360. [2] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 4, n. 158.
[3] Ib. [4] Ib. [5] Ib. n. 154.

admittitur. Tamquam regula generalis haberi potest: *Tunc occupatio excusat a recitatione Officii, quando praecipitur a maiore praecepto, quam illud est, quod iniungit recitationem Officii; neque in aliud tempus differri potest.* Haec regula fundatur in principio ab omnibus admisso: In conflictu duarum legum praevalet lex potior. Hinc sequuntur nonnullae applicationes practicae:

Resolves. a) Qui Officium recitaturus subito vocatur ad sacramenta moribundo administranda, debet prius sacramenta administrare, etiamsi hoc modo non possit Officium recitare. In hoc casu praeceptum caritatis praevalet praecepto ecclesiastico recitandi Officium.

b) Qui ita occupatur in audiendis confessionibus, quae in alium diem non possunt differri sine notabili incommodo (e. g. tempore Missionis), ita ut nequeat Officium recitare, nisi intempesta nocte aut cum enormi defatigatione, legitime excusatur ab Officio. Ratio est, quia in hoc casu tria praecepta, scil. praeceptum caritatis erga proximum (salus animarum), praeceptum muneris confessarii implendi, praeceptum sanitatis non pessumdandae praevalent praecepto ecclesiastico recitandi Horas canonicas. — Inutiliter autem Casuistae disputant de accurata duratione temporis, quo confessiones sint audiendae, ut confessarius sit excusatus a recitatione Officii; alii excusantes confessarium audientem confessiones in die per septem horas, alii exigentes spatium decem horarum. Solutio practica dependet a conditione corporali confessarii. Qui si post septem horas in confessionali peractas est ita fatigatus, ut iam non valeat sine magna defatigatione recitare Horas canonicas, legitime est excusatus; sin autem aliquis confessarius est ita robustus, ut etiam post decem horas peractas in confessionali adhuc facile valeat recitare Officium divinum, non est excusatus. In praxi melius est, ut in istis similibusve casibus a legitimo superiore aut concedatur dispensatio aut statuatur, quid factu opus sit.

c) Qui toto tempore indiget ad parandam concionem, quam sine magno incommodo omittere aut differre nequit; qui per totum diem debet peragere iter necessarium, in quo nequit recitare breviarium, excusatur legitime. Ratio est, quia etiam in istis casibus lex Officii recitandi debet cedere legi potiori.

3. **Dispensatio legitima** potest obligationem Officii recitandi suspendere 380
aut etiam omnino tollere. Tota enim haec obligatio oritur ex sola lege ecclesiastica dispensabili. Cum autem haec lex ecclesiastica sit universalis et ita graviter obligans, nemo nisi Summus Pontifex potest in illa dispensare ex propria auctoritate. Casu tamen urgente episcopi et praelati Regulares valent subditos suos ex iusta causa dispensare *ad tempus.* Hodiernis temporibus episcopi vi facultatum quinquennalium non raro possunt suis clericis subditis concedere, ut loco Officii divini valeant recitare Rosarium vel alias preces. Clemens VII [1] concessit superioribus Regularibus, ut a recitatione divini Officii valeant dispensare suos subditos occupatos praedicatione verbi Dei, audientia confessionum, lectione S. Theologiae aut SS. Canonum, aut studio insistentes aut saluti animarum. Loco Officii superiores isti debent tunc praecipere septem aut sex psalmos, septies Pater noster et bis Symbolum apostolicum. Talis facultas dispensandi adhuc nostris diebus videtur exsistere [2].

Scholion. De nonnullis aliis orationibus. Praeter Horas canonicas 381
Ecclesia adhibet plures alias orationes in exercitiis cultus; quae quidem

---

[1] Const. «Dudum» § 2. [2] Cf. nostrum Man. iur. eccl. II, q. 137.

orationes inveniuntur in diversis libris liturgicis. Praesertim frequentis usus sunt Litaniae. Iuxta praesentem disciplinam non permittuntur in officiis proprie liturgicis nisi sequentes quinque litaniae: 1. *Litaniae omnium sanctorum,* quae iam a saeculis in multis caeremoniis ecclesiasticis usu veniunt, e. g. triduo Rogationum, die S. Marci, in collatione ordinum maiorum etc.; 2. *Litaniae Lauretanae,* quae iam inde a saeculo XII recitabantur, sed sunt approbatae a Sixto V d. 11 Iulii 1587 et postea nonnullis additamentis auctae[1]; 3. *Litaniae SS. Nominis Iesu* approbatae a Pio IX d. 21 Oct. 1862; 4. *Litaniae SS. Cordis* approbatae d. 2 Apr. 1899; 5. *Litaniae in honorem S. Ioseph* approbatae d. 18 Mart. 1909. — Praeter istas Litanias exsistunt quamplurimae aliae, quae tamen non sunt approbatae a Sede apostolica, ac non possunt licite adhiberi in officiis proprie liturgicis, qualia sunt Missa, Vesperae, omnesque devotiones coram Sanctissimo sollemniter exposito. Nihil autem obstat, quominus istae Litaniae non approbatae adhibeantur in devotionibus non liturgicis; sin aliter nihil reprehensione dignum continent.

ARTICULUS III.

De adoratione.

382 **Notio etymologica.** Nomen adorationis sicut et Graecum verbum προσκύνησις desumptum esse videtur ab «ad os», i. e. ad os ducere, seu osculari. Adoratio enim fieri solebat hoc modo, ut adorans deoscularetur pedes aut fimbriam vestimentorum personae adorandae[2]. Alii derivant nomen adorationis ab ador *(Spelt)*, quod est species frumenti in sacrificiis adhiberi soliti. Alii demum autumant hoc verbum esse desumptum a praepositione «ad» et verbo «oro», quia oratio ut plurimum vel comitatur vel praecedit vel sequitur adorationem[3].

383 **Notio realis.** In sensu generali *adoratio est honos exhibitus alteri propter superiorem eius excellentiam in protestationem nostrae erga eum submissionis.* Ergo adoratio minus late extenditur quam honor; honorari enim potest aequalis aut etiam inferior, sed non adoratur nisi superior. — Cum autem triplex distingui possit excellentia, scil. divina, creata supernaturalis et creata naturalis, hinc etiam distinguitur triplex adoratio: prima, quae est excellentiae divinae et quae vocatur *latria;* secunda, quae est excellentiae creatae supernaturalis exsistentis in angelis et sanctis, et quae vocatur *dulia;* tertia, quae est excellentiae creatae naturalis, et quae vocatur *cultus civilis*[4]. In Sacra Scriptura haud raro nomen adorationis sumitur in secundo et tertio sensu; e. g. Abraham adoravit angelos et filios Heth[5]; Bethsabee adoravit regem David[6]; «cum introisset Petrus, obviam venit ei Cornelius et procidens ad pedes eius adoravit.»[7] — De sola adoratione, quae est latria, potissimum hic loquimur. Adoratio haec duplicem actum comprehendit: alterum *internum,* scil. intellectus agnoscentis divinam excellentiam nostramque

[1] Cf. *Sauren*, Die Lauretanische Litanei nach Ursprung, Geschichte und Inhalt, Kempten 1895, vel *De Santi,* Le Litanie Lauretane, Roma 1897.

[2] Cf. *Wirthmüller*, Die moral. Tugend der Religion § 49.

[3] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 3, a. 1.

[4] Cf. ib. [5] Gn 23, 7. [6] 3 Reg 1, 16. [7] Act 10, 25.

subiectionem et voluntatis intendentis hanc agnitionem et subiectionem, alterum *externum*, quo revera haec agnitio excellentiae divinae nostraeque subiectionis manifestatur. Actus principalis, quo externe Deus adoratur, est *sacrificium*. Qui quidem actus reservatur soli adorationi divinae; alii autem actus externi, qui solent adhiberi in adoratione, e. g. genuflexio, inclinatio, prostratio, osculum, detectio capitis etc. possunt non solum adhiberi in adoratione divina, sed etiam in dulia et cultu civili.

Divisiones. Cum adoratio sit species cultus, iuvat afferre quasdam 384
saepe occurrentes distinctiones cultus. Distinguitur ergo:

1. Cultus *absolutus* et *relativus*. Primus est ille, quo aliqua persona colitur ob perfectionem atque excellentiam sibi intrinsecam et propriam. Hoc modo colitur Deus cultu latriae, et sancti cultu duliae. Alter cultus est ille, quo quis colitur propter excellentiam alterius personae, quam repraesentat, aut propter relationem eius ad aliquam personam excellentem. Cultus absolutus non potest offerri nisi personis; cultus autem relativus potest exhiberi rebus inanimatis, e. g. cruci, imaginibus, reliquiis etc. — Per se quidem nihil obstaret, quominus cultus relativus etiam *personis* exhiberetur, cum etiam personae possint habere arctam relationem ad Deum, e. g. mater Dei; tamen ad ambiguitates et occasiones errandi vitandas, cultus relativus non est exhibendus personis. Posset enim quis falso putare, talem cultum sistere in ipsa persona. Sic e. g. crux potest venerari cultu relativo latriae, propter eius intimam coniunctionem cum Christo crucifixo Deo. Beatissima Virgo autem licet tamquam mater Christi multo arctiorem relationem ad Deum habeat quam crux, non est veneranda cultu latriae relativo; neque dicendum est, B. Virginem posse relative adorari, sicuti crux de facto relative adoratur in caeremoniis diei Parasceves.

2. Cultus *publicus* et *privatus*. Primus est institutus ab Ecclesia, et peragitur nomine Ecclesiae, e. g. omnes devotiones stricte liturgicae. Alter est, qui aut non est ab Ecclesia institutus, aut non peragitur nomine Ecclesiae, e. g. cultus privatus alicui servo Dei nondum canonizato tributus.

3. Cultus *latriae, hyperduliae, duliae* et *cultus civilis*. Iam supra haec distinctio insinuata fuit. Cultus latriae est adoratio in stricto sensu, quae soli Deo ob eius infinitum dominium exhibetur. — Hyperdulia est cultus, qui soli Beatissimae Virgini debetur ob eius singularem excellentiam, qua omnes angelos et sanctos longe superat. Haec autem prorsus singularis excellentia B. Virginis consistit principaliter in eo, *quod est mater Dei* [1], secundario autem, tum quod claret splendidissimis virtutibus, tum quod nobis est specialissimo modo mediatrix ac erogatrix beneficiorum. Qui quidem hyperduliae cultus B. Virgini exhibitus non quidem est latria neque absoluta neque relativa (sicuti nobis calumniose Protestantes obiciunt), sed est valde utilis. Unde merito

[1] Cf. S. theol. 3, q. 25, a. 5.

damnata est ab Alexandro VIII propositio (26): «Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.»[1] — Cultus duliae exhibetur sanctis et angelis propter eorum excellentiam supernaturaliter per gratiam Dei acquisitam. — Cultus civilis exhibetur hominibus propter eorum excellentiam naturalem, e. g. regi, principibus, superioribus etc.

385 **Obligatio adorationis. Principium 1.** *Deo debetur cultus internus et externus latriae a nobis exhibendus.*

Ius naturale stricte exigit, ut agnoscamus infinitam Dei excellentiam atque plenissime Deo subiciamur. Hoc autem est actus latriae seu adorationis stricte dictae, ut ex supra explicatis abunde patet. — Etiam ius positivum divinum hanc adorationem seu latriam praecipit: «Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.»[2]

Adoratio Deo praestanda secundum se non exigit actum corporalem ideoque angeli sola mente Deum adorant. Nos homines autem compositi ex anima et corpore debemus Deum adorare actibus tum mentis tum corporis. Adoratio interna mentis est principalior, et sine illa externa adoratio est pura hypocrisis, ideoque Christus dixit: «Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.»[3] Nihilominus etiam adoratio externis signis facta est valde utilis et necessaria: per haec namque signa externa excitatur noster affectus ad se Deo subiciendum. Insuper interna adoratio vivide exercita necessario manifestatur externis signis, sicuti omnes interni affectus vividi producunt aliquos motus corporales; demum quoniam adoratio est principalis actus divini cultus, et Deum debemus colere etiam cultu externo et publico, sequitur, ut homo teneatur signis externis manifestare suam internam adorationem[4].

Praeceptum adorandi Deum obligat eodem modo, ac praeceptum colendi et orandi Deum, unde recole ea, quae supra n. 346 dicta sunt. Ab Ecclesia statutum est, ut Deus diebus dominicis et festivis adoretur per auditionem sacrificii Missae, quod est excellentissimus actus adorationis.

386 **Principium 2.** *Cultus latriae absolutae soli Deo uni trinoque atque Christo Domino debetur; cultus autem latriae relativae debetur cruci ceterisque instrumentis passionis atque etiam imaginibus Dei et Christi.*

Prima pars huius thesis nullam difficultatem patitur, cum sit gravissimum peccatum idololatriae, si quis adoret latria absoluta quamcumque creaturam. Christus ut homo potest absolute adorari, quia in Christo non est nisi una persona, scil. divina[5]. Hostia consecrata adoratur latria absoluta, quia substantia panis mutata est in corpus Christi, Dei.

Utrum **crux Christi,** instrumenta passionis et imagines Dei sint adoranda propria et vera latria, licet relativa, an tantum sint venerandae aliquo cultu minore, disputatum est a temporibus Bellarmini, qui primus assuerit: «Non est dicendum, imagines ullas adorari debere latria, sed contrario non debere sic adorari.»[6] S. Thomas autem omnesque antiqui theologi post Concilium Nicaenum II recte docent cum Concilio Tridentino[7]: «Honos, qui eis [imaginibus] exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per

---

[1] *Denz.* n. 1316. [2] Mt 4, 10. [3] Io 4, 23.
[4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 84, a. 2. [5] Cf. ib. 3, q. 25, a. 2.
[6] De imag. sanct. II, c. 24. [7] Sess. 25 de invoc. sanct. (*Denz.* n. 986).

imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus.» Unde nihil obstat, quominus crucem et imagines Christi veneremur cultu vere latreutico relativo[1]. Quare etiam in liturgia diei Parasceves habetur «Adoratio crucis», et S. Thomas pinxit Crucem in pariete conventus Anagniensis et subscripsit:

Crux mihi certa salus, Crux est quam semper adoro,
Crux Domini mecum, Crux mihi refugium.

Quantum ad cultum exhibendum *verae Cruci Dominicae,* sequentia ex iure positivo statuta sunt:

1. Particulae S. Crucis debent separatim conservari et non in illis reliquiariis, ubi simul aliae reliquiae asservantur[2].

2. Particulae S. Crucis venerationi fidelium possunt exponi sicut SS. Eucharistia. In tali expositione genuflectendum est, quoties quis transit ante illam particulam expositam. Incensatio tamen (triplici ductu) fieri debet stando et non genuflectendo[3]. Benedictio eodem modo datur ac benedictio cum SS. Eucharistia[4].

3. Particulae S. Crucis numquam debent exponi super tabernaculum, in quo inclusa asservatur SS. Eucharistia[5].

4. Particulae S. Crucis decenter et non patenter asservandae sunt in loco separato; transeuntes autem ante istum locum debent caput inclinare, sed non genuflectere[6].

Principium 3. *Cultus duliae debetur sanctis, angelis eorumque* 387
imaginibus. Qui quidem cultus, si ipsis sanctis aut angelis exhibetur, est absolutus; sin autem praestatur eorum imaginibus aut reliquiis, est relativus.

Ita doctrina catholica vehementer impugnata a Protestantibus. Iam supra n. 344 sufficienter dictum est de invocatione sanctorum. Ex tali autem invocatione eo ipso iam oritur sanctorum veneratio; agnoscitur enim sanctorum excellentia eorumque potentia intercessoria apud Deum. — Dulia quidem in stricto sensu et absolute sumpta est *servitus* debite exhibita creaturae dominanti, et in hoc sensu dulia non pertinet ad virtutem religionis, quia non directe includit cultum Dei[7]. Sin autem in praerogativis sanctorum veneratio exhibetur donis a Deo acceptis, indirecte honoratur Deus; ideoque veneratio sanctorum solet considerari ut actus virtutis religionis. Nihilominus talis cultus sanctorum est absolutus, quia sancti et angeli habent dignitatem *personae,* cui propria veneratio debetur et cuius cultus non est totaliter referendus ad aliquod prototypon. (Cf. quae de cultu sanctorum definivit Concilium Tridentinum[8] tamquam doctrinam catholicam.)

Cultus exhibendus *imaginibus et reliquiis* sanctorum est relativus; refertur enim totus ad prototypon. Tamquam regula generalis de cultu absoluto et

---

[1] Cf. S. theol. 3, q. 25, a. 4, et *Prümmer* in «Commersches Jahrbuch» XXII 282—305.

[2] S. C. R. d. 27 Maii 1826 et d. 18 Febr. 1843 (Decr. auth. n. 2854, ubi omnia decreta de veneratione S. Crucis lata ad id tempus collecta inveniuntur).

[3] S. C. R. d. 7 Maii 1846 et d. 2 Sept. 1837 (l. c. n. 2324).

[4] S. C. R. d. 23 Maii 1835 (l. c. n. 2722).

[5] S. C. R. d. 12 Martii 1836 (l. c. n. 2740).

[6] S. C. R. d. 7 Maii 1746 ad 7 (l. c. n. 2390).

[7] Cf. S. theol. 2, 2, q. 103, a. 3. [8] Sess. 22, c. 3 et sess. 25.

relativo haberi potest: *Si prototypon adoratur latria absoluta, imago eius* (*randa est latria respectiva; sin autem prototypon colitur hyperdulia vel d absoluta, imago aut reliquiae eiusdem coluntur hyperdulia vel dulia respectiv*

De veneratione imaginum et reliquiarum sapientissimas leges condidit clesia, nempe:

1. Nulla reliquia debet publico cultui exponi, nisi sit prius legitime cognita ab episcopo [1].

2. Reliquiae *beatorum* non possunt circumferri in publicis processionib Attamen inde nondum videtur esse prohibitum, ne in aliqua processi circumferatur aliquod reliquiarium, in quo praeter reliquias beatorum et reliquiae sanctorum continentur.

3. Imagines sanctorum et beatorum non debent imprimi et divulgari approbatione episcopi [2].

4. Imagines beatorum possunt quidem ubique terrarum exponi, sed tar nequeunt publicae venerationi exhiberi aut super altari poni nisi in ecclesiis, ubi etiam Missa in eorum honorem permissa est [4].

5. Numquam licet quascumque reliquias aut imagines (etiam imagir Crucifixi) ponere ita, ut Tabernaculum, in quo asservatur SS. Eucharistia, pro directa basi [5].

6. Homines, qui sanctitatis fama celebres e vita migraverunt, poss quidem modo privato coli et invocari, non autem publico cultu honorar ecclesiis aut oratoriis, antequam sint redacti in album beatorum aut sanctor Pariter non licet eorum imagines aureolis ornare, vel ad eorum sepulc lampades accendere; «possunt tamen eorum imagines vel gesta et facta parietibus ecclesiae seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines i neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium prae se ferant, neque quidq profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni» [6].

7. In aliquibus locis exsistunt imagines miraculosae, ad quas fideles c magna fiducia supplices accedunt. Non quidem specialis vis illis inhae sed Deus providentia sua ineffabili ordinavit, ut ipse, mediantibus hi imaginibus, producat maiora et frequentiora miracula aut beneficia. Speci devotio fidelium erga has imagines miraculosas prorsus licita est et rat conformis. Ideoque Pius VI reiecit doctrinam contrariam Synodi Pistorien «Item, doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cult quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam po quam ad aliam confugere: temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam freq tato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicui prout vult.» [7]

ARTICULUS IV.

De voto.

Dividimus hunc articulum in octo paragraphos: 1. de natura divisione voti; 2. de subiecto voti; 3. de obiecto voti; 4. de obli

---

[1] Cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 3 et sess. 25.

[2] S. C. R. d. 27 Sept. 1659 (Decr. auth. n. 1130).

[3] Const. «Officiorum et munerum» d. 26 Ian. 1896.

[4] S. C. R. d. 27 Sept. 1659.

[5] S. C. R. d. 12 Martii 1836 (Decr. auth. n. 2740 ad 1).

[6] S. C. R. d. 14 Aug. 1894 (l. c. n. 3835). [7] Prop. 70 (*Denz.* n. 1570)

tione voti; 5. de cessatione voti ab intrinseco; 6. de cessatione voti eiusve obligationis per irritationem; 7. de cessatione voti eiusve obligationis per dispensationem; 8. de cessatione voti eiusve obligationis per commutationem.

§ 1.

De natura et divisione voti.

Definitio. Votum (graece εὐχή) **est promissio Deo facta de bono meliori.** Ita communissime definitur votum [1]. Ad essentiam igitur voti tria requiruntur, nempe 1. quod sit vera promissio; 2. quod sit promissio Deo facta; 3. quod sit promissio de bono meliori. De hac ultima conditione tractabimus in paragrapho 3, ubi sermo erit de obiecto voti. 388

1. Votum debet esse *vera promissio;* ideoque non sufficit merum propositum. Etenim votum solet per promissionem explicari in Sacra Scriptura: «Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.» [2] «Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.» [3] — In praxi saepe haud facile est distinguere, utrum adfuerit vera promissio an solum propositum. Et tamen omnino oportet distinguere inter propositum et promissionem. Promissio definitur: actus, quo quis intendit aliquid facere *sub obligatione* alteri manifestata; propositum autem est mera voluntas aliquid faciendi aut omittendi, quin homo inde velit sibi imponere strictam obligationem. Unde si confessarius dubitet, utrum adfuerit merum propositum an vera promissio ac proinde verum votum, quaerat a poenitente: Voluistine tibi imponere veram obligationem eamque *sub peccato,* quando proposuisti istud opus, an talem obligationem tibi noluisti statuere? Si poenitens respondet ad primam partem quaestionis negative, non adest votum neque gravis obligatio exsequendi propositum, quoniam propositum ex se nullam parit obligationem moralem. Per accidens tamen, scil. propter negligentiam aut desidiam adiunctam, etiam propositi violatio potest esse peccaminosa.

2. Votum debet esse promissio *ipsi Deo facta,* quia votum est actus religionis seu latriae, quo quis se obligat Deo ad aliquid faciendum aut omittendum in eius cultum et obsequium. Licet autem vota saepe soleant emitti in honorem B. Virginis et sanctorum (e. g. aliquis vovet, se quotidie dicturum esse Rosarium in honorem B. Virginis), tamen talia vota non fiunt proprie sanctis et B. Virgini, sed soli Deo. Significatio autem huiusmodi votorum potest esse triplex: a) homo vovet Deo, se impleturum esse illud, quod sanctis promisit, vel aliis verbis: illud, quod sanctis promittitur, non est ipsum votum, sed voti materia [4]; b) votum fit Deo, sed coram sanctis, qui sint quasi testes nostrae promissionis; c) votum fit principaliter Deo, secundario autem

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 88, a. 2. [2] Eccle 5, 3. [3] Ib. v. 5.
[4] Cf. S. theol. l. c. a. 5 ad 3.

in honorem et memoriam sanctorum, eo ferme modo, quo ecclesia principaliter in cultum Dei, secundario autem in honorem sanctorur eriguntur, et quo Missa dicitur in honorem sanctorum. Si quis auter votum faceret B. Virgini aut alicui sancto sine ulla relatione ad Deur et absque intentione se Deo obligandi, sed soli B. Virgini aut sancto non esset votum proprie dictum, sed quaedam promissio sacra et actu hyperduliae aut duliae. Hinc e. g. si quae puella dicat: Sanctissim Virgo, promitto tibi perpetuam castitatem, quia amo te; sin autem nih cogitet de obligatione ineunda erga Deum, talis promissio est votur aut nullum aut dubium, ac proinde non requiritur dispensatio Sumn Pontificis ad eam liberandam a tali promissione, sicut necessarium es ad auferendum votum perfectae castitatis.

372 **Valor moralis et utilitas votorum.** Cum votum sit actus virtutis rel gionis et quidem latriae, ut ex dictis apparet, sequitur, illud esse actum bonur et utilem. Protestantes autem, praeeuntibus Luthero et Calvino, docent vot (praesertim vota religiosorum) esse nociva, peccaminosa atque immoralia, cur laedant humanam libertatem [1]. Moderni tamen Protestantes non sunt cor cordes de honestate votorum [2]. Satis communiter autem reiciunt vota ordinur religiosorum. Iam temporibus S. Thomae Guilelmus de S. Amore indirect impugnavit vota religiosa, condemnando statum religiosum ordinum Mend cantium. B. Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura victorios dimicaverunt contra «impugnantes Dei cultum et religionem» [3]. — Etiar Quietistae errores de votis sparserunt. Unde Innocentius XI damnavit pr positiones sequentes [4]: «Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva «Praepositis oboediendum est in exteriore, et latitudo voti oboedientiae rel giosorum tantummodo ad exterius pertingit; in interiore vero aliter se re habet, quo solus Deus et director intrant.» Contra hos omnes sit:

Thesis. *Vota prudenter emissa ex motivo Deum colendi sur honesta et valde utilia.*

Prob. 1. *Ex S. Scriptura.* In Vetere Testamento Patriarchae et san tissimi viri vota emiserunt ac propterea a Deo benedicuntur [5]. In lege Mosaic votorum impletio praescribitur: «Cum votum voveris Domino Deo tuo, no tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueri reputabitur tibi in peccatum.» [6] — In Novo Testamento Christus et Aposto saepe invitaverunt ad consilia evangelica amplectenda, quae sine votis no solent in praxim deduci [7]. De S. Paulo autem dicitur: «Habebat enim votum.»

Prob. 2. *Ex tota traditione christiana.* Iam inde a primis saeculis chr stianis homines pii utriusque sexus vota emiserunt [9] atque vel in desertur

[1] Cf. Lutheri opusculum de votis monasticis.

[2] Cf. Realenzyklopädie für prot. Theol., s. v. «Gelübde».

[3] Cf. *S. Thom.*, Opusc. I contra impugnantes Dei cultum et religionem, et opusc. I contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.

[4] *Denz.* n. 1223 1285.

[5] Cf. Gn 28, 20 et *Wetzer et Welte,* Kirchenlex., s. v. «Gelübde».

[6] Dt 23, 21. [7] Cf. Mt c. 16 et 19; 1 Cor 7, 25. [8] Act 18, 18.

[9] Cf. *S. Ignat.* Ep. ad Polyc. c. 5 (*Migne,* Patr. graec. 5, 724); *S. Tertull.*, D virg. velandis c. 11 (*Migne,* Patr. lat. 2, 954); *S. Cypr.*, De habitu virg. c. 4 (*Migne* Patr. lat. 4, 456).

profecti sunt sequentes exempla Pachomii et Antonii, vel in propriis suis domibus sancte vixerunt. Praesertim votum castitatis saepe emissum fuit. Audiatur unus S. Augustinus alloquens quosdam coniuges, qui post emissum votum castitatis illud frangere intendebant: «Nunc vero, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam invito (si exhortor, ne recedas a voto), sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non peior. Modo autem tanto, quod absit, miserior, si idem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse poeniteat, immo gaude, iam tibi non licere, quod tuo detrimento licuisset. . . . Felix est necessitas, quae in meliora compellit.» [1]

Prob. 3. *Ex definitionibus Ecclesiae.* Concilium Tridentinum [2] definivit: «S. q. d. ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso iam factae, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi baptismo, A. S.» — Idem apparet ex propositionibus Quietistarum ab Innocentio XI damnatis et iam supra memoratis.

Prob. 4. *Ex rationibus.* Sufficiat adducere verba Angelici Doctoris [3]: «Triplici ratione facere idem opus cum voto est melius et magis meritorium quam facere sine voto: Primo quidem, quia vovere . . . est *actus latriae,* quae est praecipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius et magis meritorium. Unde actus virtutis inferioris virtutis est melior et magis meritorius ex hoc, quod imperatur a superiori virtute, cuius actus fit per imperium; sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur a caritate. Et ideo opera aliarum virtutum moralium (puta ieiunare, quod est actus abstinentiae, et continere, quod est actus castitatis) sunt meliora et magis meritoria, si fiant ex voto; quia sic iam pertinent ad divinum cultum, quasi quaedam Dei sacrificia. Unde Augustinus [4] dicit quod ‚neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quam fovet et conservat continentia pietatis'. — Secundo, quia ille, qui vovet aliquid et facit, *plus se Deo subicit* quam ille, qui solum facit; subicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem; quia de cetero non potest aliud facere; sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum. . . . Tertio, quia *per votum immobiliter firmatur voluntas in bonum.* Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis. . . . Sicut etiam peccare mente obstinata aggravat peccatum, et dicitur peccatum in Spiritum Sanctum.»

Obiciunt quidem Protestantes, votis perimi libertatem; sed haec obiectio valde debilis est. Etenim etiam matrimonio libertas resiliendi a contractu tollitur; immo in quolibet contractu humano obligatur homo ad aliquid faciendum vel omittendum. Ergo etiam matrimonium et omnes contractus onerosi essent repudiandi. Praeterea etiam sancti in coelo iam amplius non habent libertatem peccandi aut se separandi a Deo, et tamen sunt summe liberi. Felix ergo necessitas, quae ad meliora compellit, ut dicit S. Augustinus in textu supra citato [5]. Numquam homo magis liber est, quam quando liberatus a iugo passionum perfecte adimplet officia vitae christianae.

---

[1] Ep. 127 (*Migne,* Patr. lat. 33, 487).
[2] Sess. 7, can. 9 de bapt. (*Denz.* n. 865).
[3] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 6. [4] De virg. c 8.
[5] Cf. S. theol. 2, 2, q. 88, a. 4.

390 **Divisiones.** Vota multipliciter dividuntur. Sequentes divisior videntur esse principaliores:

1. Ratione **obiecti** votum dividitur in *personale* et *reale*. Voti personale principaliter obligat ad aliquam actionem personalem a ponendam aut omittendam, e. g. votum ieiunandi, orandi etc. — Voti reale principalius obligat ad aliquam rem, e. g. eleemosynam danda Nonnulli auctores praeter votum personale et reale distinguunt voti mixtum, in quo aeque principaliter intenditur et promittitur actio res, e. g. votum faciendi peregrinationem ad aliquam imaginem mi culosam ibique cereum offerendi. Rectius forte quis dixerit, hui modi votum mixtum nihil aliud esse nisi duo vota simul iuncta: alter personale, alterum reale.

2. Ratione **durationis** votum distinguitur in *temporale*, qu obligat ad determinatum tempus, e. g. ad annum; et in *perpetu* quod servandum promittitur ad totam vitam.

3. Ratione **modi** votum dividitur in *absolutum*, quod fit sine u adiecta conditione, e. g. voveo perpetuam castitatem; et in *conditionatu* quod non obligat nisi aliqua conditione verificata, e. g. voveo pe grinationem, si sanitatem recuperaverim; voveo ingressum in religione si parentes consensum dederint. — Si quis sub conditione determinat culpae *poenam sibi infligendam* vovet, vocatur tale votum *poena*, e. g. si iterum inebriatus fuero, voveo me daturum esse eleemosyn 100 francorum.

4. Ratione **formae** distinguitur votum *explicitum*, quod concep verbis emittitur; et *implicitum*, quod consistit in libera aliqua actioı cui votum adnexum est. Sic e. g. si quis in Ecclesia Latina libere su diaconatum suscipit, implicite vovet castitatem [1]. Antiquis temporib exsistebat etiam implicita professio religiosa trium votorum oboedienti castitatis et paupertatis [2]. Maxima pars votorum hodie emissorum su vota explicita.

5. Ratione **acceptionis Ecclesiae** distinguitur votum *privati* et *publicum*. Votum privatum illud est, quod a solo vovente emittit sine interventu Ecclesiae; e. g. aliquis vovet dicere quotidie Rosariu Votum publicum est illud, quod auctoritate et interventu Ecclesi emittitur [3]. Vota publica sunt omnia vota essentialia ordinum et cc gregationum religiosarum, dummodo hae sint ab Ecclesia rite approbat

391 Vota publica distinguuntur in *simplicia* et *sollemnia*. Vota simpli publica sunt illa, quae emittuntur in omnibus congregationibus religio approbatis et in antiquis ordinibus post novitiatum primo trienn (Societas Iesu tamen speciales leges habet de hac re.) Vota sollem sunt illa, quae ex auctoritate Ecclesiae emittuntur a) in antiquis ordinib

---

[1] Sunt tamen nonnulli auctores docentes, subdiaconum obligari ad castitatem s vandam non vi voti, sed vi legis ecclesiasticae; de qua controversia alibi sermo redil

[2] Cf. de hac re canonistas. [3] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 210.

post triennium votorum simplicium [1]; b) in Societate Iesu a nonnullis membris iuxta speciales leges huius Societatis; c) votum castitatis in susceptione subdiaconatus emissum [2].

Multum disputatur usque ad nostros dies, in quo praecise sit sita essentialis differentia inter vota sollemnia et vota simplicia publica. Quae quidem controversia, cum potius ad ius canonicum videatur pertinere quam ad Theologiam moralem, non potest nisi per transennam hic tangi. Imprimis duplex distinguenda est sollemnitas: altera *essentialis*, altera *accidentalis*. Accidentalis sollemnitas voti sunt Rubricae, circumstantiae et conditiones ex statuto Ecclesiae necessario observandae, e. g. statutum Ecclesiae, quod vota sollemnia non possunt valide emitti ante annum 19 aetatis completum; vel quod non possunt emitti, nisi praecesserit novitiatus et saltem triennium votorum simplicium. Ista sollemnitas accidentalis procul dubio unice dependet ab institutione Ecclesiae, quae libere eam mutare potest et de facto pluries mutavit. Ecclesiae enim est sapienter determinare, sub quibusnam conditionibus aliquis sit habilis ad professionem sollemnem faciendam; sicuti etiam Ecclesiae est statuere aliqua, quae ad matrimonium christianum valide ineundum essentialiter requirantur. Et sicut Ecclesia, labente tempore, quaedam impedimenta dirimentia matrimonii instituit, ita similiter quasdam conditiones apposuit, sine quibus professio sollemnis non habetur valida. De hac sollemnitate accidentali professionis videntur loqui Summi Pontifices Bonifatius VIII [3] et Gregorius XIII [4], si asserunt: «Nos attendentes, quod voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa....» — Sollemnitas essentialis votorum est id, quo illa vota intrinsece distinguuntur ab omnibus aliis votis. Plures auctores, e. g. Suarez [5], Schmalzgrueber [6], Wernz [7], putant vota sollemnia essentialiter differre a votis simplicibus *propter effectus iuridicos* illis ab Ecclesia annexos. Alii, scil. S. Thomas [8], Thomistae [9] et plures alii, e. g. Lehmkuhl [10], docent essentiam votorum sollemnium consistere *in quadam traditione et consecratione spirituali interna voventis*, quam Ecclesia nomine Dei acceptat; vota vero simplicia non continere nisi spiritualem traditionem. Quae quidem sententia nobis videtur melior, praesertim propter Concilium Tridentinum definiens: «S. q. d. matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S.» [11] Matrimonium enim ratum est verum matrimonium ac de ipso iure divino indissolubile. Si nihilominus professio sollemnis dirimat tale matrimonium, hoc non potest venire ex sola lege ecclesiastica, sed ex iure divino; secus etiam aliquis Summus Pontifex posset abolere canonem Tridentinum modo citatum; quod quidem nobis videtur impossibile. — Licet autem vota sollemnia essentialiter consistant in spirituali consecratione voventis, nihilominus Summus Pontifex valet ex gravi causa dispensare in eorum obligationibus; sicuti etiam permittere potest, ut calix consecratus adhibeatur ad profanos usus [12].

---

[1] Ex decreto S. C de Rel. d. 1 Ian. 1911 speciales leges statutae sunt de professione sollemni fratrum laicorum et eorum, qui debent servitium militare peragere.

[2] Istud votum accuratius vocatur: sollemnizatum.

[3] c. unic. 3, 15 in VI°. [4] Const. «Ascendente Domino».

[5] De relig. tr. 7, l. 2, c. 10 sqq. [6] Ius can. l. 3, tit. 34, n. 8.

[7] Ius Decret. III, n. 654, et IV, n. 377. [8] 4, dist. 38, q. 1, a. 2.

[9] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 4, a. 5. [10] Theol. mor. I, n. 647 sqq.

[11] Sess. 24, can. 6 (*Denz.* n. 976).

[12] Latius de hac re tractavi in Man. iur. eccl. II, q. 5 et 6.

§ 2.

De subiecto voti.

392 Cum votum sit actus virtutis religionis, imprimis valent de subiecto voti ea, quae supra n. 326 dicta sunt de subiecto religionis. Quia tamen votum solet emitti ad voluntatem firmandam in bono proposito, illae personae, quarum voluntas est perfecte firmata in bono, iam non indigent voto.

Hinc angeli boni et Christus non emiserunt vota. S. Thomas[1] scribit: «Christo secundum se non competebat vovere, tum quia Deus erat, tum etiam quia in quantum homo habebat firmatam voluntatem in bono quasi comprehensor exsistens.» Damnatos non esse subiectum voti, per se patet, quoniam non sunt capaces alicuius actus religionis.

Quibus igitur exceptis subiectum voti seu capaces vovendi sunt omnes homines, dummodo a) sint usu perfecto rationis praediti; b) habeant intentionem vovendi; c) habeant sufficientem deliberationem et libertatem; d) non sint prohibiti a lege positiva, ne vota emittant.

1. Omnes homines possunt vota emittere.

Ratio est, quia omnes homines possunt Deum colere. Ergo non solum catholici, sed etiam protestantes, immo et infideles possunt valida vota emittere. Quapropter S. Poenitentiaria declaravit d. 29 Nov. 1842, protestantem, qui emisit tria vota paupertatis, castitatis et oboedientiae coram ministro anglicano, teneri ad observantiam horum votorum, si veram habuerit intentionem vovendi[2].

393 2. **Perfectus usus rationis** requiritur ex parte voventis ad valorem voti.

Votum enim est quaedam lex particularis. Porro sicut nemo valet condere legem obligantem, qui non habeat perfectum usum rationis, ita nemo potest sibi ipsi imponere legem voti obligatoriam, nisi habeat perfectum usum rationis. Hinc infantes septennio minores (nisi tamen iam adepti sunt perfectum usum rationis) nequeunt vota emittere. Pro infantibus valet regula: *Si possunt se diabolo devovere per peccatum mortale, possunt etiam se Deo obligare per verum votum.* Pariter invalida sunt vota hominis perfecte ebrii, amentis, hypnotizati. Cum vota religiosorum institutorum sint ita graviter obligatoria, Ecclesia statuit, ut nemo possit ista vota emittere ante annum aetatis decimum sextum completum[3].

394 3. **Intentio seu voluntas vovendi** requiritur ad valorem voti.

Unde *votum fictum*, i. e. factum solummodo exterius sine interna intentione vovendi, est nullum. Subtiliter distinguitur triplex qualitas istius intentionis deficientis:

a) Aliquis solis verbis promittit et vovet, interius autem prorsus nullam intentionem vovendi habet. In isto casu certo non adest verum votum coram Deo. Ideo S. Thomas breviter dicit: «Promissio quandoque fit ore et non corde, et talis quoad Deum non est votum.»[4] Huiusmodi fictum votum ac-

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 4 ad 3. [2] Collect. de Prop. Fide n. 959.
[3] Cf. decretum S. C. sup. statu Reg. d. 18 Martii 1857.
[4] 4, dist. 30, q. 8, a. 1, quaestiunc. 7.

cidere potest, e. g. si quis ab aliis hominibus cogitur ad vovendum in aliquo instituto religioso. Sin autem aliquis absque externa coactione emitteret votum fictum religiosum, graviter peccaret; deluderet enim institutum religiosum; aliquando etiam causaret damnum materiale, et teneretur reparare omnes iniurias commissas.

b) Aliquis interius quidem intendit vovere et se obligare; simul tamen statuit promissionem factam non exsequi. In isto casu docent communiter theologi, votum revera exsistere, quia de essentia voti non est eius adimpletio, sed solus deliberatus animus se obligandi. Attamen, ut per se patet, talis vovens peccat mortaliter, quia est gravis irreverentia Deo illata, simul promittere aliquid in honorem Dei et simul huic promissioni velle derogare.

c) Aliquis vult quidem in voto promittere et etiam exsequi promissionem, sed minime vult interius se obligare. In hoc casu non ita constat, num revera adsit votum. Negativa sententia videtur esse verior, quia de essentia voti est propositum internum se obligandi[1]. Ceterum, in isto casu, sive adsit votum sive non, remanet obligatio adimplendi promissionem. — Si huiusmodi defectus intentionis accidant in professione religiosa, quam quis propter motiva mere terrestria emisit, aut in susceptione subdiaconatus, tunc a confessario insistendum est, ut poenitens verum votum quantocius emittat, aut rem deferat ad auctoritatem ecclesiasticam competentem. Cum autem nonnulli auctores doceant, subdiaconum obligari ad castitatem perpetuam non vi voti proprie dicti, sed vi legis ecclesiasticae, talis subdiaconus potest absolutionem sacramentalem suscipere, dummodo promiserit, se servaturum esse perfectam castitatem.

Quoad *qualitatem intentionis* necessariae ad votum non requiritur intentio actualis aut explicita, sed sufficit virtualis aut implicita. Etenim non requiritur necessario intentio actualis, quia in nullo actu humano ad eius validitatem requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis aut implicita. Ideo e. g. qui habet voluntatem suscipiendi subdiaconatum, cognoscens cum hoc ordine coniunctum esse votum castitatis, habet sufficientem intentionem virtualem aut implicitam emittendi votum castitatis.

4. **Deliberatio sufficiens et libertas** requiritur ad validi- 395
tatem voti.

Ratio est, quia nemo censetur sibi imponere gravem obligationem, qualis est obligatio voti, sine sufficienti deliberatione. Sed statim oritur quaestio, quaenam deliberatio sit revera sufficiens ad voti validitatem? — Distingui solet deliberatio plena seu perfecta a deliberatione imperfecta seu semiplena. Communissima sententia est, ad voti validitatem requiri plenam perfectamque deliberationem, quae quidem in eo sita est, quod vovens sit a) plene sui compos; b) advertat et vere cognoscat id, quod sibi implendum imponit per votum. Unde communiter docent theologi, ad validitatem voti requiri tantam deliberationem et cognitionem, quanta necessaria est ad contractum onerosum aliudve grave negotium perficiendum; aut etiam quanta sit necessaria ad peccatum grave constituendum ex voluntario perfecto et directo. Ratio istius sententiae est, quia omne votum (etiam in materia levi) imponit seriam obligationem religionis coram Deo. Iamvero nemo neque debet neque censetur sibi imponere talem obligationem sine plena deliberatione. Nihilominus voti valorem non destruit quaelibet animi perturbatio vel com-

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 201.

motio; alioquin omnia illa vota, quae fiunt vel in vehementi spiritu devotioni vel in permagno desiderio aliquod beneficium obtinendi, vel timore instigant essent invalida; quod profecto nemo dicet. Sola igitur illa perturbatio in pedit valorem voti, quae mentem obnubilat aut saltem perfectum usum r tionis aufert.

Propter carentiam sufficientis deliberationis invalida sunt vota pueri r tionis nondum perfecte sui compotis, hominis semi-ebrii, hominis tam gr viter aegroti, ut prae febri non valeat serio cogitare. Saepe etiam irri sunt vota illorum, qui laborant morbo hysterico, aut sic dictis «ideis fixis». - Neque tamen ad votum faciendum absolute necessaria (licet communiter co sulenda) est *longa diuturnaque discussio* omnium circumstantiarum, dummod tamen votum non sit factum praecipitanter. In praxi aliquando potest seriu dubium oriri, num votum aliquod sit factum cum sufficienti deliberation Tunc pro cautela expedit impetrare voti sic facti dispensatio aut commutati quae quidem facile obtinebitur. Fideles sunt diligenter monendi, ne repentina commotione vota faciant; immo laudabilis est mos plurium co fessariorum, qui poenitentibus suis severe prohibent, ne ullum votum maior momenti, e. g. votum castitatis, emittant sine praevio consensu confessarii.

396 Deest quoque sufficiens deliberatio, si votum emissum fuit **ex error notabili.** Error autem, qui irritat votum, est duplex:

a) *Error substantialis,* i. e. aut de ipsa substantia rei promissa aut de conditione substantiali.

Adest error de ipsa substantia rei promissae, si vovens intenderit re prorsus diversam, e. g. si quis voveret dare suam rem, quam putat esse vili materia; quae tamen revera habet pretium maximum. Censetur ades error de circumstantia aut conditione substantiali, si obiecto voti inhaer aliqua circumstantia aut conditio, quae si cognita fuisset, certissime votu impedisset, e. g. si vovisti peregrinationem ad aliquod sanctuarium, puta expensas itineris esse paucos francos, quae tamen revera sunt 100 franci.

b) *Error circa causam finalem voti.*

E. g. si quis vovit peregrinationem pro sanitate patris recuperanda, que putavit aegrotum, qui autem reapse optima valetudine semper usus fuit, ta votum est irritum, quia finis voti deest.

Sin autem error versatur circa *accidentales conditiones,* votum nc est quidem per se invalidum, sed nihilominus facile commutari a etiam dispensari potest.

E. g. si quis vovit peregrinationem ad limina Apostolorum, non aute cognovit omnes difficultates coniunctas cum tali peregrinatione, non quide eo ipso ab impletione voti excusatur, sed commutatio aut dispensatio sat facile concedetur. — Notatu dignum est, quod *vota essentialia* in institut religiosis non possunt impugnari ob incommoda improvisa, quae quis post in eis observandis experitur. Nam ista incommoda poterant et debeba praevideri. Attamen iuxta praesentem disciplinam Curiae Romanae sat facile conceditur dispensatio votorum quoque religiosorum, si quis proba se fuisse inductum in errorem circa obligationes etiam accidentales stat religiosi, quem professus est.

Libertas item requiritur ad votum, cum Deo nequeat esse grat promissio, quae non libere, sed coacte data est. Libertati non solu

opponitur vis et violentia, quae quidem destruunt actum voluntarium ac proinde omne votum, sed etiam metus.

De voto ex metu emisso sequentia videntur esse dicenda: 397

a) Si metus, sub cuius influxu votum emissum fuit, erat ita gravis, ut usus rationis fuerit perturbatus, tale votum est certe invalidum. Ita docent omnes, et ratio est obvia: etenim talis metus tollit omne voluntarium.

b) Metus *gravis,* licet non perturbet usum rationis, si tamen *iniuste incussus fuerit ad extorquendum votum,* irritat essentialia vota emissa in institutis religiosis. Ita ex iure positivo ecclesiastico, quod quidem nullibi invenitur clare scriptum, sed tamen continua doctrina iurisperitorum et perpetuo Ecclesiae usu certo constat [1]. Ratio autem huius iuris est, quia vota religiosa sub tali metu gravi et iniuste incusso prolata solent habere pessimos effectus. Quomodo enim religiosus, qui contra suam voluntatem cum magna iniuria inductus fuit ad vitam religiosam, potest strenue tendere ad perfectionem obligatoriam in statu religioso, aut fideliter observare statuta ordinis sibi invisa? — Sin autem huiusmodi votum religiosum (et idem valet de omnibus aliis votis) emissum fuerit sub influxu gravis *metus naturalis,* aut etiam metus gravis *iuste* incussi a causa libera, non est per se invalidum [2]. Hinc e. g. si quis in maximo periculo naufragii aut mortis vovet perpetuam castitatem; aut si iudex ecclesiasticus iuste condemnaret clericum ad depositionem, nisi intraret in strictum monasterium ibique vota emitteret, tunc talia vota iuxta sententiam probabiliorem et communiorem sunt valida [3]. Ratio est, quia huiusmodi voventi nulla fit iniuria, ac eius actus, non obstante metu, remanet liber et deliberatus. — Eadem valent de valore voti, quod emissum fuit sub influxu gravis metus et iniuste quidem incussi, sed *non* ad extorquendum votum. Unde e. g. valet votum, quod quis emisit ad evadendum periculum mortis ortum ex invasione latronum.

c) Non concordant auctores, utrum praeter vota religiosa etiam alia vota, si fuerint emissa ex gravi metu *iniuste* incusso ad extorquendum votum, sint invalida, necne? Plures, praesertim canonistae, negant, cum nulla lex irritans sive divina sive ecclesiastica afferri possit, quae talia vota annullat [4]. Alii auctores, praesertim moralistae, affirmant,

---

[1] Solent quidem nonnulli auctores pro hoc iure ecclesiastico citare c. 1, X 1, 40 aut Conc. Trid. sess. 25, c. 19 de regular., sed isti textus non sunt ita clari, sicut recte animadvertit *Billuart,* De relig. diss. 4, c. 1.

[2] Cf. *Billuart* l. c. et *Ern. Müller,* Theol. mor. II, § 52.

[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 197.

[4] *Wernz* (Ius decret. III, n. 576) firmiter asserit: «Metus gravis, qui provenit etiam ex actione iniuriosa hominis, quae directe ordinatur ad extorquendum votum, sed substantiam libertatis non tollit, actum vovendi ex iure divino naturali vel positivo iure Ecclesiae non reddit invalidum, nisi in casibus a iure speciatim exceptis, v. g. in professione votorum sollemnium. Nam huiusmodi generalis lex irritans sive divina sive ecclesiastica nullo solido argumento probatur.»

quia Deus eiusmodi votum sub gravi metu iniusto emissum non pos acceptare, cum secus videretur approbare iniuriam voventi illatam. Haec controversia nullius aut fere nullius est utilitatis practicae; qı hodie fere numquam emittuntur vota sub gravi metu iniuste incus: et deinde si talis casus accideret, votum potest propter controversiı auctorum haberi ut dubium ac proinde ut nullum; vel facillime pot obtineri dispensatio.

d) *Metus levis* non irritat vota. Licet enim quidam auctores cit a S. Alphonso [1], e. g. Busenbaum, Navarrus, opinentur, etiam metı levem irritare votum, quia talis quoque metus levis aufert saltem plenı consensus libertatem; tamen sententia longe communior et probabili asserit, tam gravem rem sicut votum non irritari ex levi metu [2].

398 5. **De lege ecclesiastica prohibente nonnulla vota.** A le naturali et positivo-divina nemo capax rationis prohibetur, ne vc emittat de materia apta. Sed quaeritur, num ex lege positiva ecc siastica quidam vovere vetentur? Respondetur:

a) Ecclesia plures reddit incapaces ad vota *publica* sive simplicia si sollemnia emittenda; ideoque plures conditiones apposuit, sine quibus vc in institutis religiosis emissa sunt prorsus invalida inde ab initio. De is conditionibus essentialiter requisitis ad religiosam professionem sive simplice sive sollemnem agunt canonistae.

b) Cum iuxta sententiam probabilem Ecclesia valeat praescribere etiı actus internos, nihil obstat quominus Ecclesia votis quoque privatis emitten quasdam conditiones apponat, sine quibus huiusmodi vota sunt irrita. ſ tamen non certo constat Ecclesiam *de facto* huiusmodi conditiones alic voto privato apposuisse.

c) Regulares voto oboedientiae adstricti nullum votum privatum emitte possunt, quod est contra voluntatem superiorum aut contra regulam pı fessam. Ratio est, quia tale votum esset de re mala et prohibita.

d) Regulares possunt emittere votum ingrediendi ordinem strictiore ut statutum est a pluribus Summis Pontificibus [3].

e) Regulares professi non possunt emittere alia vota privata, quae si firma et non subnoxia irritationi superioris. Quare S. Thomas dicit simp citer: «Nullum votum religiosi est firmum nisi de consensu sui praelati.

f) Generatim non expedit, ut regulares emittant vota privata, salte sine expressa licentia superioris. Nam primo non constat, num ista vc sint valida, et deinde regularis iam obstrictus tribus votis essentialibus observantia regulae, si velit fideliter haec omnia observare, iam sufficient est ligatus, quin egeat nova obligatione alicuius voti privati.

g) Vota privata emissa a regulari professo videntur esse valida, n superior illa irritaverit aut huiusmodi vota sint expresse prohibita a regu Ita sententia communior, quam tenent Caietanus [5], Ioannes a S. Thomı Suarez [7], Salmanticenses [8] et multi alii. Ratio est, quia talia vota nullum c

---

[1] Theol. mor. l. 3, n. 197.

[2] Optime de hac re disserit *Dom. Soto*, De iure et iust. l. 7, q. 2, a. 1.

[3] Cf. Innocentius III, c. 18, X 3, 31. [4] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 8 ad 3.

[5] Comm. in 2, 2, q. 88, a. 8. [6] In 2, 2, q. 88, disp. 29, a. 16.

[7] De relig. l. 3, c. 5, n. 3. [8] Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 1, punct. 8, n. 18

trimentum inferunt iurisdictioni superiorum eorumque rectae administrationi. Statim enim, quo superior illa existimat inopportuna, potest ea irritare. Quare si e. g. aliquis religiosus se graviter obligavit sub voto ad recitandum quotidie Rosarium, hoc votum est validum et transgressio eius est peccatum grave, aut si religiosus se sub voto privato ligavit ad observantiam alicuius regulae secus sub nulla culpa obligantis, peccat transgrediendo hoc votum emissum.

§ 3.

De obiecto voti.

Obiectum voti est id, quod in voto promittitur, e. g. eleemosyna 399
danda, oratio dicenda, castitas servanda etc. Solet etiam vocari materia voti. Ad validitatem voti requiritur *materia apta* habens tres conditiones, scil. 1. ut sit voventi possibilis; 2. ut sit honesta; 3. ut sit de bono meliori.

1. Voventi *possibilis* debet esse res promissa.

Etenim res impossibilis (sive physice sive etiam moraliter) nequit in voto promitti, cum nemo possit se serio obligare ad res impossibiles. Hinc votum faciendi miraculum est irritum; pariter votum hominis pauperis elargiendi magnas eleemosynas.

Solet hic quaeri, a) utrum votum evitandi omnia peccata sit validum? Respondetur cum distinctione: α) Si quis vovit, iam nullum peccatum, nec etiam levissimum in tota vita se esse commissurum, tale votum est irritum; est enim de re moraliter impossibili, quia nemo potest, sine speciali gratia, vitare omnia etiam levissima peccata. β) Si quis vovit, se velle vitare omnia peccata mortalia, vel etiam omnia peccata venialia plene deliberata, tale votum est quidem in se validum, quia cum ordinario auxilio Dei hoc possibile est; sed nihilominus pro homine non comprobato per longum exercitium virtutum, tale votum esset imprudens, quia non expedit sub voto promittere, quod probabilius fideliter non servabitur.

b) Valetne votum de re partim possibili et partim impossibili? Oportet perspicere, num materia voti sit *indivisibilis* et num etiam in parte possibili adhuc ratio voti saltem partialiter contineatur[1]. Si materia est indivisibilis, votum evadit irritum, si totum non est possibile, etiamsi pars sit possibilis. Sic e. g. si quis voto promisit peregrinationem ad Lourdes, et totum iter evadit impossibile (ob penuriam virium aut pecuniae), non tenetur ad partem itineris sibi possibilis. Quodsi autem materia voti est *divisibilis,* et in parte possibili huius materiae adhuc servatur saltem aliqualiter ratio et finis voti, haec pars possibilis praestanda est; e. g. si quis promisit peragere peregrinationem ieiunus, et nequit ieiunium servare, valet autem peregrinationem aliter peragere, non est totaliter liberatus ab obligatione voti, sed tenetur peregrinationem facere, licet non ieiunus. Ceterum in his et similibus casibus imprimis inquirendum est de intentione accurata voventis et exinde iudicare oportet de obligatione voti persistente aut cessante.

2. *Honesta et Deo grata* debet esse materia voti. 400

Votum enim est actus colendi Deum. Porro Deus non colitur actibus inhonestis aut prorsus indifferentibus et vanis[2].

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 202.

[2] *S. Thom.*, S. theol. 2, 2, q. 88, a. 2.

a) Vovere *rem inhonestam* aut facere votum ad obtinendam rem illicit: est peccatum grave, nisi excuset conscientia erronea. Unde S. Alphonsu scribit: «Probabilius etiam mihi est vovere malum, etiam veniale, de esse culpam gravem; cum de se blasphemia sit velle, ut malum cedat honorem Dei. Sed communiter ob ignorantiam hoc non est nisi veniale.» Quando *finis* voventis est malus, licet materia voto promissa sit in se bona, tu votum est invalidum et graviter peccaminosum, si fuit finis *principalis;* : autem est tantum finis *secundarius,* votum est validum. Unde e. g. votum dand eleemosynae ad obtinendum bonum successum in furto, in damnificatio in adulterio etc. est invalidum et constituit grave peccatum; votum aut dandae eleemosynae in honorem quidem Dei, sed etiam ad habendam a qualem vanam gloriam propriam, est validum, licet quaerere vanam gloria sit in se malum.

b) Vovere *rem vanam et indifferentem* tum in se tum in suis circumstant est peccatum veniale; votum autem ipsum est nullum. Ratio est, quia d plicet Deo huiusmodi stulta promissio. Hinc invalidum et leviter peccar nosum esset votum non amplius transeundi per talem plateam. Fere semp autem res in se indifferentes evadunt bonae aut malae propter circumstant adnexas aut propter finem agentis. Quare validum et licitum esset vot alicuius puellae non transeundi amplius per talem plateam, quia ibi delec tiones periculosas percipit videns quendam adolescentem.

401 3. *De bono meliori* debet esse votum, i. e. non debet impedi maius bonum.

a) Ita communius et rectius haec qualitas obiecti voti explicatur. Dupl enim modo potest aliquid nuncupari maius aut melius bonum: Primo co parate ad aliud bonum, e. g. melius est praestare oboedientiam, quam face mortificationes corporales, sed utrumque est bonum. Secundo modo co parate ad *contrariam omissionem* eiusdem boni, e. g. melius est dare eleem synam quam non dare, melius est servare castitatem quam non serva Ad idoneam materiam voti sufficit, ut hoc secundo modo sit bonum meli Nam si necesse esset, ut bonum voto promissum sit melius comparate aliud bonum, sequeretur, ut nullum votum esset validum, nisi foret de ope omnium perfectissimo, quoniam solum opus perfectissimum non habet ali opus magis perfectum [2].

b) Ex quibus eruitur, non tantum opera sic dicta supererogatoria (s sub consilio cadentia), sed etiam *opera iam aliunde praecepta* posse es materiam voti. Sane opera consilii seu supererogatoria propriissime cadu sub voto, ut dicit Angelicus Doctor [3], sed opera praecepta sunt adhuc s ficiens materia votorum, seu de iis quoque fieri possunt vota. Ratio aute est, quia opus sub praecepto (sive naturali sive divino sive ecclesiastic impositum remanet nihilominus liberum, et non inducit nisi obligatione moralem. Nihil ergo obstat, quominus aliquis novo religionis vinculo adstringat ad praestandum opus istud iam aliunde praescriptum. Un e. g. optimum potest esse votum iam amplius se non inebriandi ab factum, qui pravum habitum intemperantiae habet. — Haec doctrina pot confirmari ex iuramento promissorio, quod similem obligationem religio inducit, sicut votum. Porro saepissime iuramentum promissorium adhibet

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 205.

[2] Cf. *Concina*, In Decal. l. 4, diss. 1, c. 5, n. 5.

[3] S. theol. 2, 2, q. 88, a.

non solum a catholicis, sed etiam ab acatholicis, ad confirmanda foedera, pacta, contractus etc., ad quorum observantiam iam obligant ius naturale et divinum. Quidni eodem modo adhiberi possunt vota?

c) Insuper notandum est, ad sufficientem materiam voti non requiri, ut opus promissum sit *absolute et obiective* melius quam eius omissio, sed sufficit, ut istud opus sit *subiective* seu relate ad personam voventem melius quam eius omissio. Quapropter aliquando licitum esse potest votum contrarium consiliis evangelicis, e. g. ineundi matrimonium, relicta virginitate. Nam licet status virginitatis obiective spectatus sit perfectior statu matrimonii, tamen pro quibusdam hominibus matrimonium est melius virginitate. Dicit enim S. Paulus: «Melius est nubere quam uri.» [1] Praeter periculum incontinentiae vitatum etiam alia bona specialia ex determinato matrimonio oriri possunt, e. g. cessatio scandali, cessatio concubinatus, legitimatio prolis etc. Unde certe et longe probabiliorem vocat S. Alphonsus sententiam, quae docet, in istis casibus votum nubendi esse validum et licitum [2]. Contradicunt tamen plures graves auctores, ut Dom. Soto [3], Ioannes a S. Thoma [4], Ioannes a Cruce [5], Concina [6] etc., quia matrimonium non est unicum remedium concupiscentiae et praesto sunt etiam alia media eaque efficaciora. In praxi votum nubendi non videtur esse consulendum, tum quia forte est invalidum, tum quia eius utilitas valde parva est. Unde si quis stimulis carnis exagitatus nolit aliis remediis uti ad castitatem servandam, matrimonium contrahat, sed non emittat votum nubendi.

d) S. Alphonsus [7] hic subnectit quaestionem: «An si quis nimis pronus ad vovendum, voveat non amplius vovere nisi cum licentia confessarii; si autem postea voveat nihilominus, valeat istud votum?» Respondetur: 1. Votum non vovendi absolute emissum est quidem invalidum, quia melius est vovere quam non vovere; sed votum non vovendi nisi cum licentia confessarii est certe validum pro illo, qui nimis pronus et inconsideratus est in vovendo, cum impediat vota imprudentia. 2. Emittendo secundum votum, inconsulto confessario, vovens peccavit. 3. Nihilominus hoc secundum votum est validum, dummodo alias omnes conditiones essentiales voti adfuerint.

e) Hic subnectitur etiam alia quaestio, quae quidem hodie antiquata est, sed quae temporibus elapsis haud raro occurrebat: Possuntne parentes filios suos devovere alicui monasterio aut statui ecclesiastico, ita ut filii vi istius voti teneantur ingredi monasterium aut suscipere statum clericalem? Respondetur: negative; tale enim votum esset aeque iniustum ac impossibile. Etenim filii sunt prorsus liberi in electione status, ac proinde parentes laedunt iustitiam, si cogant filios suos ad determinatum statum amplectendum. Deinde, si filii renuunt amplecti statum a parentibus illis designatum, exsecutio voti evadit impossibilis. Quodsi antiquis temporibus nihilominus nonnulli parentes infantes suos devovebant alicui monasterio aut statui clericali, Ecclesia talia vota non approbavit, aut filiis sic devotis, postquam ad annos discretionis pervenerunt, concessit, ut libere possint exire e monasterio et alium statum eligere.

f) Demum quaeritur, num votum in baptismo emissum renuntiandi satanae, mundo et pompis eius sit verum votum? Non est votum in stricto, sed in lato sensu, ita ut baptizatus peccans contra promissiones datas gravius

---

[1] 1 Cor. 7, 9. [2] L. c. n. 209.
[3] De iure et iust. l. 7, q. 1, a. 3. [4] In 2, 2, q. 88, disp. 29, a. 7, concl. 4.
[5] De voto dub. 2, concl. 4. [6] L. c. n. 7. [7] L. c. n. 210.

quidem peccatum committat quam homo non baptizatus, sed tamen verui sacrilegium non committit ob laesionem voti in baptismate. Ita sententi communis [1]. Ratio est, quia ille qui in baptismo tales promissiones dat, no intendit se obligare sub peccato speciali contra religionem, sed solummod promittit fidelem observantiam omnium mandatorum Dei.

§ 4.

De obligatione voti.

Nota. Cum votum sit ad instar legis, quam vovens sibi libere in posuit, principia de obligatione legis etiam de obligatione voti generati applicanda sunt, cum hac tamen differentia, quod obligatio voti oritu ex virtute religionis, obligatio autem legis ex virtute oboedientiae.

402 **Qualitas obligationis. Principium.** *Omne votum validu obligat ex virtute religionis ipsum et solum voventem ad exsequendu obiectum promissum.*

Votum validum obligare est de fide, unde S. Thomas [2] vocat haereticu illum, qui obligationem voti validi pertinaciter negat. Iam pagani agnoverun transgressionem voti esse peccatum, ideoque ille, qui violavit votum, appe labatur reus voti. Strictissime inculcatur exsecutio voti in S. Scriptura: «Quo cumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum pr missa non reddere. Displicet enim Deo infidelis et stulta promissio.» [3] «Cu votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illu Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.» S. Paulus severe dicit de viduis, quae per earum voluntatem nubendi viol verunt votum castitatis emissum: «Habentes damnationem, quia primam fide irritam fecerunt.» [5] — Ratio autem intrinseca est, quia votum est promiss Deo facta. Porro omnis vera promissio, dummodo sit licita eiusque exsecuti possibilis, obligat in conscientia. Ergo multo magis obligat promissio, qua quis fecit Deo votum emittendo. Si enim est offensa hominis, ipsi fide datam frangere, multo maior est offensa Dei, ipsi fidem in voto datam frangere

Dico autem: votum ex virtute religionis obligat *solum voventem.* Erg numquam votum, *ut est votum,* obligat alios. Hinc filii non tenentur vot *personalibus* parentum; e. g. quando pater fecit votum peregrinandi a ieiunandi, filius non tenetur ista vota exsequi, si pater est impeditus aut ia defunctus. Immo vota personalia nullo modo possunt impleri per aliun ideoque e. g. si quis vovit orationem, non potest hoc votum implere p alterum etiam libere volentem dicere hanc orationem. Si communitas aliqu e. g. urbs, parochia etc., aliquam *actionem personalem* voverit, puta ieiuniu stato die peragendum (ob partam victoriam aut calamitatem superatam), tu incolae descendentes non laedunt votum neque committunt sacrilegium, non ieiunent [7]. — Vota vero *realia,* licet nequeant heredibus aut cognat

---

[1] Cf. *S. Raimundus,* Summa l. 1, de transgress. voti; *S. Thom.* 4, dist. 38, q. 1, a. : *S. Antonin.,* S. theol. P. 2, tit. 2, c. 2.

[2] Cf. Quodl. 3, a. 12. [3] Eccle 5, 3 sq. [4] Dt 23, 21.

[5] 1 Tim 5, 12. [6] Cf. S. theol. 2, 2, q. 88, a. 3.

[7] In nonnullis regionibus et urbibus exsistunt huiusmodi vota facta a communita et translata ad posteros. Sic e. g. Romae ex voto observatur ieiunium ante festu Purificationis B. M. V. Omnes quidem concedunt, tales obligationes revera quidem

voventis imponere obligationem *religionis,* debent tamen aliquando (si non laedunt partem legitimam heredum aut si non excedunt vires hereditatis) *ex iustitia* impleri, cum sint quasi onera hereditati incumbentia. Iamvero ille, qui accipit hereditatem, in se sumat oportet etiam onus cum ea coniunctum [1]. Hinc heredes non solventes legata ex voto testatoris stipulata laedunt iustitiam et ad restitutionem tenentur. Vota realia possunt, etiam durante vita voventis, adimpleri ab alio. Sic e. g. qui vovit eleemosynam dandam, potest ab alio petere, ut loco ipsius velit eleemosynam promissam largiri.

Notat S. Alphonsus [2], sequens opinionem Salmanticensium [3] et Caietani [4], votorum violationes esse omnes eiusdem *speciei moralis,* scil. laesiones virtutis religionis. Unde (absolute loquendo) potest aliquis poenitens materiam peccati seorsim a circumstantia voti laesi declarare, dicendo e. g. toties fregi ieiunium, toties fornicatus sum, non exprimendo votum de his materiis, et postea dicere: toties fregi votum in re gravi, non exprimendo materiam. Ratio est, quia si circumstantia est separabilis a substantia peccati, potest seorsim peccatum et circumstantia declarari, ut qui furatus est in ecclesia, satisfacit dicendo: furatus sum; et postea: sacrilegium commisi. — Licet haec sint vera theoretice loquendo, tamen non sunt in praxim deducenda, quia inde rectum iudicium confessarii de conscientia poenitentis et de mediis correctionis consulendis valde difficile redditur.

Scholion. Num laesio cuiuslibet voti sit sacrilegium. 403

Disputatur inter auctores, utrum culpabilis violatio cuiuslibet voti habeat speciem veri *sacrilegii,* an tantum infidelitatis aut perfidiae? Caietanus [5] affirmat laesionem cuiuslibet veri voti esse verum sacrilegium, quia res voto promissa fit sacra. Porro laesio rei sacrae est sacrilegium. Communis autem sententia negat peccatum sacrilegii in quolibet voto laeso. Etenim si quis e. g. laedit votum ieiunii per amplam coenam, non videtur rem vere sacram violasse. — Alii auctores docent, non aliam nisi laesionem voti (etiam privati) *castitatis* esse sacrilegium. — Alii demum autumant laesionem *voti publici* (sive simplicis, sive sollemnis) castitatis esse verum sacrilegium. Haec controversia est lis de nomine. Sive enim laesio voti cuiuslibet dicatur sacrilegium, sive non, semper adest laesio virtutis religionis, eaque gravis aut levis secundum gravitatem materiae et intentionem voventis.

Quantitas obligationis. Principium. *Votum obligat sub gravi* 404 *vel sub levi pro quantitate materiae et secundum intentionem voventis.*

Ut igitur aliquod votum obliget sub gravi, requiruntur duo: *gravitas materiae* et *intentio voventis graviter se obligandi.* Ratio est,

---

posteros descendere, sed non vi voti. Ex quonam igitur fonte oritur talis obligatio pro posteris? Melior esse videtur explicatio asserens talem obligationem nunc adhuc exsistere vi legis particularis aut consuetudinis legitimae vim legis habentis. Communitas enim votum emittendo potuit legem particularem condere, quae etiam obligat posteros; nisi tamen haec lex sit rite revocata (cf. Decreta auth. n. 834 et 932). De dispensatione talis obligationis valent eadem, quae dicta sunt de dispensatione legis.

[1] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 214.

[2] L. c. n. 224. [3] Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 1, n. 101.

[4] Comm. in 2, 2, q. 88, a. 5.

[5] Comm. in 2, 2, q. 99 in fine quaestionis.

quia votum est quasi lex privata. Iam vero lex obligat pro quantit materiae praescriptae et secundum intentionem legislatoris, ita tam ut materia levis non possit praescribi sub gravi, cum econtra mate in se gravis valeat imponi sub levi. Ita similiter aliquis potest vov materiam in se gravem sub levi; non autem valet vovere materiam se levem sub gravi obligatione, quoniam materia levis non est cap gravis obligationis [1].

405 Statim nunc oritur quaestio: Quaenam materia est gravis in vo *Regula generalis: Materia gravis in voto est id, quod si praecept esset a lege ecclesiastica, sub gravi obligaret* [2]. Quid autem sit mate gravis in lege ecclesiastica, multum dependet ex fine et circumstan legis. Sic lex praescribens, ut paucae guttulae infundantur in vin consecrandum, censetur gravis, licet materia in se considerata sit le sima. Haec enim infusio habet gravem significationem unionis in humanitatem et divinitatem Christi.

Resolves. 1. Materia gravis in voto censetur e. g. communio facien ieiunium etiam per unum diem, Rosarium quinque decadum dicendum, el mosyna 5 marcarum danda etc., dummodo tamen non constet, voventem his omnibus materiis voto promissis non intendisse nisi obligationem lev

2. In *votis realibus* materia gravis secundum nonnullos auctores cense ea, quae si ratio iustitiae intercederet, gravis esset. Attamen haec reg non est nimis urgenda. Etenim si eadem quantitas dicenda esset gravis violato voto, quae est gravis in violata iustitia commutativa, tunc in violati voti esset etiam statuenda materia absolute et relative gravis, seu levius es peccatum, si homo dives non daret summam 5 marcarum voto promiss quam si homo pauper eandem summam voto promissam non daret. Qu profecto discordat a communi sensu tum fidelium tum theologorum. Po contrarium dicendum est, divitem omittentem votum reale 5 marcarum gra peccare quam pauperem, quia maior est divitis facilitas adimplendi vot Praeterea, si omissio culpabilis Rosarii voto promissi communissime assig tur tamquam materia gravis, quare eleemosyna 5—10 marcarum voto p missa et sine ratione sufficienti non data non esset etiam materia gra Numquid Rosarium dicendum censetur gravius quam eleemosyna 5—10 m

---

[1] Excipiuntur omnia vota publica in institutis religiosis et in susceptione subdi natus, quorum materia in se gravis nequit sub levi solummodo obligatione suscipi. G enim damnum inferretur disciplinae ecclesiasticae, si religiosi et subdiaconi sub tantum obligarentur ad ea, quae votis promiserunt. Sunt plures auctores, ut *Dom.* . (De iure et iust. l. 7, q. 2, a. 1), *Wigandt* (Tribunal confessar. tr. 10, exam. 3, n. 32), *Con* (In Decal. l. 4, diss. 2, c. 1, n. 18 sqq), qui asserunt non solum publica, sed et omnia alia vota in materia gravi non pati obligationem solummodo levem; quia vo nequit mutare naturam materiae voti. Sicut enim vovens nequit se obligare sub g ad materiam levem, ita pariter nequit se obligare ad materiam gravem sub levi. S tiliter defendit hanc sententiam Concina (l. c.). Nihilominus opposita sententia h est communis. Ratio est, quia iuxta *S. Thomam* (S. theol. 2, 2, q. 88, a. 3 ad 3), «c gatio voti ex propria voluntate et intentione causatur». Quod autem vovens neq se sub gravi obligare ad materiam levem, inde provenit, quia tale votum esset stult econtra potest esse valde prudens, ut vovens materiam aliunde gravem in se sumat levi obligatione.

[2] Cf. *Salmanticenses*, Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 1, n. 105.

carum danda? Hinc puto, hominem etiam ditissimum posse se sub gravi per votum obligare ad dandam summam 10 marcarum, licet haec materia relate ad ipsum in iustitia nondum sit gravis. — Lehmkuhl[1] putat, ex notabili summa per votum promissa detrahere circiter 1% adeo notabile non videri, ut grave peccatum constituat. Unde e. g. si quis voverit dare alicui ecclesiae 10000 marcas et retineat 100 marcas, nondum graviter peccet. Quae quidem opinio mihi non probatur, si vovens voluerit se sub gravi obligare ad dandam *totam* summam 10000 marcarum. Nam in materia iustitiae summa 100 marcarum est absque omni dubio materia gravis. Obligatio autem virtutis religionis erga Deum orta ex voto nedum minor, sed potius maior est quam obligatio iustitiae erga proximum; sicuti etiam alia peccata contra Deum generatim graviora sunt quam peccata contra proximum.

3. Materiae leves voto promissae possunt *coalescere* in materiam gravem, ita ut qui pluries laesit votum in materia levi, tandem sit reus gravis peccati. Generaliter autem dici potest: Materiae non coalescunt in votis *personalibus*, sed solent coalescere in votis *realibus*. Dantur tamen exceptiones. Hinc si quis vovit quolibet die recitare decadem Rosarii hocque votum neglexerit per unum mensem, adsunt quidem plura peccata venialia, sed nullum peccatum mortale, cum istud votum sit personale, nec adest coalescentia. Qui vero voverit dare qualibet hebdomada eleemosynam duorum francorum hocque votum neglexerit per plures hebdomadas, peccavit graviter, cum istae materiae coaluerint. Si quis autem voverit dare eleemosynam quolibet Sabbato in honorem B. M. V. hocque votum per longum tempus laeserit, non constat, num eleemosynae sic omissae coaluerint in materiam gravem. Praesumptio quidem stat pro coalitione, quia vovens voluit quidem honorare B. M. V., sed videtur nihilominus intendisse principalius cultum Dei per sublevamen pauperum. Sin autem cultus B. M. V. Sabbato praestandus fuit omnino primarius, sublevamen autem pauperum secundarius finis voventis, eleemosynae omissae non coalescunt. In praxi ergo imprimis investiganda est intentio voventis; quodsi haec intentio non clare constet, pro non coalescentia materiarum standum est.

Obligationis impletio. Principium. *Vota implenda sunt eo* 406
modo atque eo tempore, quibus vovens habuit intentionem in actu vovendi. Dubio autem suboriente de modo obligationis et exsecutionis, adhibendae sunt eaedem regulae interpretationis, quae pro legum interpretatione valent.

Istud principium facile intelligitur, si prae oculis habetur votum esse ad instar legis, in qua vovens ipse est legislator, qui libere potest sibi praefigere et limitare omnes circumstantias obligationis.

De tempore exsecutionis voti sequentia notentur:

1. Votum *negativum* (e. g. non frequentandi cauponas, non ludendi etc.) obligat statim, semper et pro semper, quemadmodum generaliter omnia praecepta negativa obligant. Ergo statim quando tale votum factum est, iam amplius non licet ponere actionem, de cuius omissione est votum. Patet per se.

---

[1] Theol. mor. I, n. 595.

2. Si tempus exsecutionis voti determinatum fuit a vovente, tu votum implendum est tempore isto praefixo, quin sit necessarium *praevenire,* etiamsi praevideatur impedimentum exsecutionis secus f turum. Unde e. g. iuvenis, qui vovit se facturum esse peregrinatione mense Octobris, non tenetur peregrinationem facere mense Septembri etiamsi nunc scit, se mense Octobris fore impeditum propter servitiu militare. Ratio est, quia nemo tenetur legem implere antequam obliga

3. Qui tempore praefixo non implevit votum, iam non tenetu neque etiam potest illud implere tempore sequenti, si tempus praefixu fuit *ut terminus obligationis,* seu, ut dici solet, *ad finiendam oblig tionem.* Hinc e. g. qui vovet ieiunium quolibet Sabbato in honore B. M. V., neque tenetur neque potest tale ieiunium omissum perfice sequenti feria II. Unde si omissio ieiunii fuit inculpabilis Sabbato, nullu peccatum commisit, neque ad aliquid amplius tenetur. Sin autem omiss fuit culpabilis, peccatum commisit et iam amplius non potest vo satisfacere. Censetur autem tempus esse praefixum ad finiendam o ligationem, quando *per se* et non per accidens intenditur, e. g. propt specialem devotionem illo tempore praestandam, ut puta facere medit tionem de passione Christi qualibet feria VI in Quadragesima. — vero vovens designavit tempus non ut terminum obligationis, sed poti *ad urgendam exsecutionem,* ne scil. exsecutio diutius differatur, tun tali tempore elapso, obligatio voti non cessat, sed remanet quantoci implenda. Ille vero, qui non observavit tempus pro exsecutione vc determinatum, peccat, si omissio fuit culpabilis; idque graviter vel levit pro gravitate materiae. Difficile autem est in praxi assignare, quaena materia dilationis sit gravis, cum hoc dependeat ex multis circumstantii e. g. a natura voti, a voventis aetate, a periculo obligationis non ir plendae etc. Praesertim in votis, quae ex dilatione aliquam dimin tionem patiuntur, facilius aderit gravis materia. S. Alphonsus[1] puta grave peccatum esse, si quis sine sufficienti ratione differat ultra se menses ingressum in religionem voto promissum; vocat autem laxa opinionem illorum, qui docent dilationem istius voti per duos aut tr annos sine iusta causa factam non esse peccatum mortale. Sane quis sine ulla sufficienti causa differret ingressum in religionem vo promissum, non solum se privaret magno bono spirituali vitae religiosa sed etiam se exponeret imminenti periculo perdendi vocationem re giosam. Sin autem aliqua rationabilis causa dilationis adest (e. g. val tudo corporalis nondum satis firma, resistentia parentum, aliquod neg tium adhuc perficiendum etc.), atque si deest proximum periculum pe dendi vocationem religiosam, non videtur peccaminosa dilatio etia per plures annos. — In aliis autem votis, quae ex dilatione fere nullu patiuntur detrimentum, secundum plures auctores quantalibet dilat etiam sine causa facta non excedit culpam venialem; quia, ita inquiur cum quis det totum, quod promisit, et nullum damnum promissario

[1] Theol. mor. l. 3, n. 221.

dilatione obvenit, non videtur damnandus gravis culpae, sed levis negligentiae [1].

4. Quando nullum determinatum tempus est praefixum exsecutioni voti, vovens studeat exsequi id, quod promisit, quantocius id fieri potest. Dicitur enim in S. Scriptura: «Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.» [2]

De obligatione voti conditionati, disiunctivi, poenalis et dubii. Si 407 votum emissum fuit non absoluto, sed *conditionato modo,* non obligat nisi verificata conditione. Unde obligatio voti tamdiu suspensa manet, quamdiu conditio non est impleta. Non licet autem mediis fraudulentis iniustisque eventum conditionis impedire. Unde e. g. contra votum suum peccat, qui Deo vovit, se ingressurum in monasterium post matrimonium sororis, si nunc fraudulentis et iniustis mediis sororem a matrimonio ineundo avocet.

Dico autem: *mediis iniustis;* nam nemo prohibetur adhibere media iusta. Hinc ille, qui precibus opportunis aut suasione impedit exsecutionem conditionis, non est reus voti laesi. Pariter non stricte obligat votum conditionatum, si conditio non proprie sed *aequivalenter* tantum impleta est. E. g. si aliquis ingressum monasterii vovit, quando mater, quam sustentare debet, invenerit convenientes nuptias, non tenetur (stricte loquendo) ad ingrediendum monasterium, si mater inopinate mortua fuerit, quamvis obstaculum ingressus in monasterium, scil. sustentatio matris, nunc sublatum sit. Ratio est, quia votum est vinculum. Atqui vinculum non debet ligare ultra terminos clare positos. Per se patet, in isto et similibus casibus satius esse aut votum perficere aut dispensationem commutationemve petere.

De obligatione voti disiunctivi pauca notato ex S. Alphonso [3] et Salmanticensibus [4].

a) Si quis vovit disiunctive rem bonam vel malam aut vanam aut impossibilem, votum tale est nullum. Ratio est, quia vovens potest eligere rem malam, vanam aut impossibilem, et tunc votum esset nullum ob ineptitudinem materiae. Cum autem liber sit alterutram materiam eligere, totum votum est nullum inde ab initio. E. g. si quis voverit angustiis pecuniariis valde oppressus: aut intrabo apud Carthusianos aut furtum faciam apud hominem ditissimum, totum votum est nullum inde ab initio.

b) Si quis vovit disiunctive plures res bonas ac proinde aptas materias voti, debet eligere unam ex istis. Quodsi *post* electionem factam aliae res sub disiunctione promissae evadunt impossibiles, nihilominus tenetur rem semel electam praestare. — E converso, si alterutra res voto promissa *ante* electionem pereat aut impossibilis reddatur sine culpa voventis, votum cessat. Ratio est, quia vovens iam privatus est libertate electionis, idque sine culpa eius. E. g. si quis voto promisit dare unum ex duobus calicibus possessis, et unus calix ipsi periit furto aut incendio, iam non tenetur alterum calicem tradere. — Sin autem *ex culpa voventis,* puta, quia culpabiliter distulit implere votum, alterutra res impossibilis evasit, tenetur vovens alteram partem praestare, cum nemo ex sua culpa debeat commodum reportare. — Ceterum in his votis disiunctivis imprimis attendenda est *intentio voventis,* quae si

---

[1] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 4, a. 3, § 2. [2] Dt 23, 21.
[3] L. c. n. 224. [4] Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 1, n. 141.

clara est, iuxta illam, et non iuxta materialem sensum verborum votum es implendum: Deus enim, cui fit promissio in voto, et qui perscrutatur corda non est deludendus subtilitatibus casuistarum.

De obligatione voti poenalis dubium potest oriri, utrum poena imposit pro transgressione promissionis sit solvenda semel, an toties quoties pro missio laeditur. E. g. quando quis voverit, se daturum esse 10 marcas, s iterum ebriatus fuerit, teneturne dare hanc summam promissam semel pos primam ebrietatem admissam, an toties quoties postea ebrius fuerit? Re spondit S. Alphonsus [1] post Salmanticenses [2], poenam non esse solvendam ni pro prima vice, si votum emissum fuerit simplex; sin autem votum fuer duplex, scil. de non se inebriando et de poena solvenda, tunc poenam ess solvendam toties quoties votum violatur, nisi tamen haec poena sit gravissima ut peregrinatio aut largitio magnae eleemosynae. In praxi attendenda es *intentio voventis;* quae si dubia est, pro minore obligatione standum est.

De obligatione voti dubii iudicandum est iuxta regulas supra I, n. 328 sq datas de conscientia dubia et probabili. Deinde attendendae sunt regula rectae interpretationis, statim afferendae.

408 **De interpretatione votorum.**

Regula 1. *Imprimis votum interpretandum est secundum inter tionem expressam aut praesumptam voventis.* Ratio est, quia votur est quasi lex privata, cuius legislator est ipse vovens. Porro optim est interpretatio legis, quae est conformis menti legislatoris. Erg etiam votum interpretandum est imprimis iuxta mentem voventis.

Regula 2. *Quando intentio voventis neque clare apparet nequ prudenter praesumi potest, tunc votum interpretandum est secundu usum communem hominum aut generalem Ecclesiae consuetudinem.*

Hinc ille, qui vovit Rosarium, potest illud alternatim recitare cur socio: sic enim fert Ecclesiae consuetudo. Qui vovit ieiunium pe mensem, non tenetur ieiunare diebus Dominicis, cum sit contra cor suetudinem Ecclesiae ieiunium die Dominico; potest etiam uti lacticinii et generatim adhibere illas dispensationes, quae in sua regione cor ceduntur omnibus fidelibus durante Quadragesima. Qui vovit intrar in statum religiosum, potest intare in quodcumque institutum religiosur approbatum; sin autem post ingressum a superioribus dimittitur, no tenetur iterum conatum facere in alio instituto religioso, praesertir cum iuxta vigentem disciplinam [3] nemo dimissus ex aliquo institut religioso possit in alio instituto religioso recipi sine speciali dispensa tione Apostolica. Petitio autem talis dispensationis (quae non ita facil conceditur) videtur esse medium extraordinarium, ad quod nemo tenetu pro exsecutione sui voti. — Qui vovit audire quotidie Missam, no tenetur diebus Dominicis et festivis audire duas Missas etc.

Regula 3. *In dubio de exsistentia aut extensione alicuius vo licet amplecti benigniorem partem.* Nam vinculum voti non est su

---

[1] Theol. mor. l. 3, n. 223. [2] Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 1, n. 177.
[3] Cf. S. C. de Relig. d. 7. Sept. 1909 et 4 Ian. 1910.

ponendum, sed probandum; et «in obscuris minimum est sequendum»[1]. Quando autem dubium oriatur, utrum votum sit impletum an non, adhibendae sunt regulae eaedem, quae supra I, n. 230 et 333 indicatae sunt circa legem dubie impletam.

§ 5.

De cessatione voti ab intrinseco.

Praenotamen. Votum cessare potest duplici modo: 1. *ab intrinseco,* scil. 409
ex mutatione materiae aut ex cessatione finis; 2. *ab extrinseco,* scil. interveniente legitima auctoritate; quod quidem potest accidere per irritationem, dispensationem, commutationem. De cessatione voti aut saltem eius obligationis per auctoritatem extrinsecam tractabitur in sequentibus paragraphis; nunc agendum est de cessatione voti ab intrinseco.

Votum potest ab intrinseco cessare ob duas causas: 1. ob notabilem mutationem materiae; 2. ob cessationem finis principalis.

Regula generalis. *Votum cessat ab intrinseco, quando tanta* 410
accessit mutatio ex parte sive voventis sive materiae promissae, quae si ab initio adfuisset, certo votum impedisset, seu ut S. Thomas[2] breviter dicit: «*Illud, quod votum fiendum impediret, si praesens esset, etiam voto facto obligationem aufert.*»

Ratio est, quia votum non obligat ultra intentionem voventis. Iamvero merito praesumitur vovens noluisse se obligare in casibus, quo notabilis mutatio sive ex parte sui sive ex parte materiae contingeret. Omne enim votum, cum sit de bono meliori, essentialiter requirit materiam aptam, de qua supra n. 399 sermo fuit. Sicuti igitur votum est nullum, si materia fuit inde ab initio inepta, ita votum cessat, quando materia prius apta, postea evadit inepta. Ad rem scribit S. Thomas[3]: «Ille, qui vovet, quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid, quod est secundum se et ut in pluribus bonum. Potest autem contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditivum; quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto. Et ideo necesse est, quod determinatur in tali casu votum non esse servandum.»

1. Notabilis mutatio *ex parte voventis* faciens cessare obligationem voti adest e. g. in sequentibus casibus:

a) Si quis dives vovit eleemosynam, postea autem ipse evadit pauper, iam liberatur a voto.

b) Si quis vovit ingressum in monasterium, postea autem incidit in infirmitatem gravem et incurabilem, iam non amplius suo voto ligatur.

c) Si quis vovit stato die suscipere communionem, hoc die autem ieiunium naturale fregit, iam neque potest neque tenetur non ieiunus communionem suscipere.

---

[1] Reg. iuris 30 in VI°. [2] 4, dist. 38, q. 1, sol. 1 ad 1.
[3] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 10.

d) Si quis vovit peregrinationem die fixo faciendam, sed isto d debet omnino inservire patri aegrotanti, iam non tenetur ad votum.

Non autem a voto castitatis facto liberatur ille, qui antea careb tentationibus, nunc autem agitatur vehementissimis tentationibus cont castitatem. Nam hanc mutationem potuit et debuit praevidere.

2. Notabilis mutatio *ex parte materiae promissae* adest e. g. in s quentibus casibus:

a) Si materia fiat *illicita,* e. g. si quis promisit voto dare eleem synam determinato pauperi, quem scit nunc abusurum esse eleemosy accepta ad se inebriandum.

b) Si materia fiat *impossibilis* (physice et moraliter), e. g. si qu voverit aedificationem sacelli in aliquo loco, et gubernium civile stric prohibet hanc aedificationem [1].

c) Si materia fiat *inutilis* relate ad finem principalem a voven intentum, e. g. si quis vovit peregrinationem ad sanitatem patris i cuperandam, iam non tenetur ad votum, si pater interim mortuus es vel qui vovit non intrare in aliquam domum propter puellam sedu tricem ibi habitantem, iam liberatur a voto, si ista puella mortua e aut alibi habitat. — Sin autem materia facta est inutilis relate *ad fine secundarium* a vovente intentum, votum non cessat. Unde e. g. quis vovit dare qualibet hebdomada certam eleemosynam, et ille, q hucusque eleemosynam istam recepit, mortuus est, votum inde non cess cum persona pauperis non fuerit finis principalis, sed secundarius vo

Nota. Nullum *votum publicum* cessat ob causas intrinsecas. Hi vota essentialia emissa in institutis religiosis approbatis et votum cas tatis in susceptione subdiaconatus non cessant propter notabilem mu tionem ex parte voventis aut ex parte materiae. Ratio est, quia sec orirentur multa incommoda tum pro ipso vovente, tum pro institu religiosis. Ceterum si adest urgens ratio habendi relaxationem hui modi votorum, potest obtineri legitima dispensatio.

§ 6.

De cessatione voti per irritationem.

411 **Notio.** *Irritatio voti est eiusdem annullatio vel suspensio fac ab eo, qui potestatem dominativam habet in voluntatem voventis a saltem in materiam voti.* — Irritatio igitur est *actus potestatis domin tivae* et non iurisdictionis. Prout autem haec potestas dominativa e ercetur vel in voluntatem voventis vel in materiam voti, distinguit duplex irritatio: altera *directa* seu proprie dicta, quae est annullat voti facta ab eo, qui habet potestatem dominativam *in voluntate voventis,* e. g. a patre relate ad vota filiorum impuberum; altera *i directa* seu impropria, quae non est directa annullatio voti, sed ei suspensio facta ab eo, qui habet potestatem dominativam *in materia*

---

[1] Cf. quae supra n 399 b dicta sunt de materia partim possibili et partim impossib

voti. Sic herus indirecte irritare potest vota famulorum impedientia servitium debitum.

Principium 1. *Directa irritatio votum prorsus exstinguit; indirecta autem irritatio obligationem voti tantum suspendit.* 412

Etenim directa irritatio actum ipsum voti solvit redditque illum quasi infectum; indirecta autem irritatio non attingit ipsum actum voti (qui proinde integer remanet), sed tantum materiam voti. Porro facile potest accidere, ut haec materia voti postea sit subtracta potestati irritantis. Tunc autem votum sic indirecte irritatum iterum reviviscit. Hinc e. g. si pater directe irritavit filii sui impuberis votum intrandi in monasterium, hoc votum est penitus exstinctum; sin autem herus indirecte irritavit votum ancillae, quae promisit quotidie assistere Missae, hoc votum reviviscit, postquam ancilla servitium heri dimisit.

Principium 2. *Ad validam irritationem (sive directam sive indirectam) votorum nulla requiritur sufficiens causa; ad licitam autem irritationem videtur requiri sufficiens causa (saltem practice loquendo).* 413

De prima parte huius principii omnes auctores consentiunt; subditorum enim vota hanc conditionem tacitam semper involvunt: nisi superior meus contradixerit [1]. Superior autem potestatem sibi competentem semper valide exercere potest. — Altera pars principii controvertitur. Nec etiam ad licitam irritationem requiri causam docent S. Antoninus [2], Sylvester Prierias [3], Caietanus [4], Suarez [5], Salmanticenses [6] etc. Ratio est, quia vota subditorum semper fiunt cum tacita conditione consensus superioris. Iam vero superior nullo iure cogitur hunc praebere consensum, sed pro arbitrio suo illum negare potest; quemadmodum si quis ex bonis alterius eleemosynam promiserit sub conditione, quod dominus consensum dederit, dominus libere absque ulla causa consensum hunc negare potest. — Econtra ad licitam irritationem requiri saltem levem causam docent Dom. Soto [7], Sanchez [8], Lessius [9], Laymann [10] aliique, quia secus superior impediret sine sufficienti ratione cultum Deo praestitum per votum atque utilitatem subditi ex exsecutione voti provenientem. Utraque sententia non caret probabilitate, sed in praxi, cum non dentur actus indifferentes in individuo (ut supra I, n. 129 probatum est), superior irritans votum subditi debet sibi praeponere finem honestum; qui si adest, irritatio iam non est sine causa ac proinde est licita; sin autem finis honestus deest, actio irritativa superioris est mala. Docent autem omnes auctores, irritationem irrationabilem voti ex se non excedere mensuram *culpae venialis.* — Pariter non peccat nisi venialiter, qui sine ratione sufficienti *petit* irritationem voti a superiore competenti [11].

Principium 3. *Qui habet potestatem directe irritandi aliquod votum, etiamsi dederit subdito licentiam vovendi, aut promiserit se non esse votum eius irritaturum, aut demum votum factum expresse approbaverit, nihilominus valet postea hoc votum irritare. — Qui vero* 414

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 88, a. 8 ad 1 et 3. [2] S. theol. P. 2, tit. 11, c. 2.
[3] Summa Summ., s. v. «votum» c. 4, sed non ita clare loquitur.
[4] Summula, s. v. «votum». [5] In 3, disp. 4, sect. 2.
[6] Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 3, n. 31. [7] De iure et iust. l. 7, q. 3, a. 1.
[8] In Decal. l. 4, c. 24, n. 13. [9] De iust. et iure l. 2, c. 40, dub. 10.
[10] Theol. mor. l. 4, tr. 4, c. 7, n. 18. [11] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 4, a. 8, § 3.

solam potestatem indirecte irritandi habet, semel concessa licentia aut approbatione voti, iam non potest illud irritare.

Ratio primae partis est, quia non obstante licentia data aut promissione et approbatione facta, superior non desinit regere subditum in omnibus actibus suis ac retinet plenum dominium in voluntatem subditi. Ergo potest quoque uti sua potestate irritandi votum emissum, praesertim si adest sufficiens ratio. Confirmatur haec doctrina ex eo, quod successor huius superioris valet certo irritare istud votum. Et tamen hic successor non habet ampliorem potestatem quam eius antecessor[1]. — De altera parte veteres auctores in longum et latum disputant[2]. Sententia proposita mihi videtur probabilior. Etenim ille, qui solam potestatem indirecte irritandi vota habet, non potest disponere de voluntate voventis, sed de sola materia voti. Porro hanc materiam permisit Deo tradi per votum subditi. Ergo iam nullam dispositionem de hac materia facere potest, revocando votum a subdito factum[3].

415 **Irritatio voti castitatis coniugalis.** Ex dictis sequitur solutio casus a S. Alphonso[4] propositi: Duo coniuges emiserunt cum mutuo consensu post matrimonium initum continentiae votum. Vir percipiens in uxore sua esse grave periculum incontinentiae irritat directe votum illius vi potestatis dominativae, quam habere dicitur in voluntatem suae uxoris. Postquam uxor sic liberata fuit a voto suo, habet ius petendi debitum a marito. Cum autem ille sit voto castitatis adhuc ligatus, uxor eius votum indirecte irritat, atque sic ambo coniuges non sunt amplius ligati continentiae voto mutuo consensu emisso. — S. Alphonsus favet opinioni illorum, qui dicunt hunc agendi modum esse licitum, concludit tamen in haec verba: «Cum haec opinio sit contra communem, . . . ego sapientibus decernendum remitto.» — Gury-Ballerini[5] vocat hanc opinionem tutam. Etiam Lehmkuhl[6] huic opinioni favet, addit tamen: «Nihilominus suaderem, ut saltem pro maiore cautela etiam postea petatur dispensatio.» — Nisi sit grave periculum in mora, haec opinio non videtur tuto in praxim deduci, cum iste modus agendi sit valde periculosa elusio voti et delusio Dei. Nam hoc modo coniuges possent facillime ab omni voto se invicem liberare. Praeterea iam S. Augustinus[7] de eodem casu scribit ad Ecdiciam, quae cum marito suo votum castitatis emiserat: «Quod enim Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis.» Accedit quod communissime docent auctores, in hoc casu esse dispensationem voti petendam a legitima auctoritate. Iamvero non est tutum agere contra sententiam communissimam.

416 **Quis potest directe irritare vota?**

Solus ille, qui potestatem dominativam habet in ipsam voluntatem voventis, ut supra dictum est. Talem autem potestatem dominativam habent:

1. *Papa, superior religiosus, superiorissa in religiosos professos.*

Religiosi enim in sua professione libere voverunt oboedientiam legitimis superioribus, illisque sic se subiecerunt, ut nullum actum facere possint sine

---

[1] *Suarez* (De voto c. 6, n. 15 sq), *Concina* (In Decal. l. 4, diss. 3, c. 5, n. 6) aliique admittunt quidem hanc doctrinam, si agitur de potestate superioris religiosi, non autem, si agitur de potestate paterna.

[2] Cf. *Caietan.*, Comm. in 2, 2, q. 88, a. 8. [3] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 4, a. 8, § 3.

[4] Theol. mor. l. 3, n. 239. [5] Comp. Theol. mor. I, n. 331 in fine.

[6] Theol. mor. I, n. 612. [7] Ep. 262 (199); *Migne*, Patr. lat. 33, 1078.

eorum consensu expresso aut saltem tacito. Papa autem est summus superior omnium religiosorum professorum; proindeque habet perfectissimam potestatem in illos. Quae tamen potestas se extendit ad illos solos, qui votum oboedientiae emiserunt. Ergo non ad *novitios* nondum professos, et a fortiori non ad simplices fideles, quorum vota Papa potest quidem dispensare vi suae perfectissimae iurisdictionis, sed non irritare, cum careat potestate dominativa in istorum voluntates.

Cum iuxta praesentem disciplinam episcopi aliquando sint superiores proprie dicti feminarum religiosarum, eadem potestas dominativa videtur illis competere, ita ut valeant irritare vota privata huiusmodi feminarum subditarum.

Superiores religiosi, qui valent vota privata suorum subditorum irritare, sunt generalis, provincialis et localis superior. Adiciendae autem sunt quaedam restrictiones: a) Praelatus inferior nequit subditorum suorum irritare ea vota, quae iam rata habita sunt a superiore praelato. b) Superior religiosus nequit irritare subditi votum transeundi ad religionem arctiorem. Ratio est non solum statutum positivum Ecclesiae[1], sed etiam omnimoda libertas eligendi statum vitae, praesertim perfectiorem. Sicut enim nemo prohiberi potest, ne eligat statum religiosum, sic nec etiam impedire licet, quominus aliquis idoneus eligat statum religiosum arctiorem et perfectiorem. Unde merito docent Salmanticenses et Noldin[2], nec Summum Pontificem valere irritare votum transeundi ad statum religiosum perfectiorem. c) Superior religiosus nequit irritare vota publica subditorum suorum, qualia sunt tria essentialia vota paupertatis, castitatis, oboedientiae. Ratio est, quia per talia vota initur contractus onerosus inter religiosum et institutum. Qui quidem contractus nequit a superiore solvi, saltem per suam potestatem dominativam. d) Quidam auctores, ut Caietanus[3], Sylvester Prierias[4], docent, vota privata regularium, quae regimen superioris nullo modo perturbant, e. g. nullum dicendi verbum otiosum, faciendi quasdam preces iaculatorias, exercendi quosdam actus interiores pios etc., nullo modo posse irritari, sed tantum commutari a superioribus; quia voluntas religiosi non est totaliter subiecta superiori, sed tantum secundum professionem Regulae. Quidquid est de theoretica veritate istius sententiae, in praxi superior regularis valet, exsistente causa rationabili, omnia omnino vota suorum subditorum saltem indirecte irritare, quia quodlibet votum privatum religiosi professi potest aliquando impedire ea, quae superior ad regimen necessaria ducit. Ideoque S. Thomas[5] etiam sine ulla limitatione dicit: «Etiamsi aliquis [regularis] ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur a praelato; quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo praelatus non possit eum circa aliquid occupare, *nullum votum religiosi est firmum*, nisi sit de consensu praelati.»

Etiam *superiorissae* possunt vota subditarum professarum irritare, quia habent veram potestatem dominativam, licet careant iurisdictione ecclesiastica proprie dicta.

2. *Pater* potest directe irritare omnia vota filiorum ante pubertatem 417
emissa[6].

---

[1] Cf. c. 18, X 3, 21.

[2] De praeceptis n. 220. *Salmanticenses*, Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 3, n. 38; cf. etiam supra n. 398. [3] Comm. in 2, 2, q. 88, a. 8 et q. 104, a. 5.

[4] Summa Summ., s. v. «votum» c. 3, q. 3.

[5] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 8 ad 3. [6] Ib. a. 9.

Pubertas censetur accidere pro masculis anno 14 aetatis; pro femini autem anno 12 aetatis. Deficiente aut consentiente patre, idem ius competi matri, tutori et generatim omnibus, qui in iura patris succedunt[1]. Hae paterna potestas irritandi vota filiorum desumitur ex pluribus textibus iuri canonici[2], et insuper derivatur ex ipso iure naturali. Impuberes enim in ill tenera aetate solent esse infirmioris iudicii et rationis; ideoque aequum cen setur tum in iure ecclesiastico tum in iuribus civilibus, ut omnes eorum actu sint rescindibiles a patre vel eius vices gerente.

Circa hanc potestatem paternam notentur duo: a) Vota ab impubere emiss possunt a patre irritari non solum durante impubertate filii, sed etiam postea dummodo vovens pubes factus ea non ratificaverit, et quidem *novo voto in dependenti a primo voto.* Ita sententia communior[3]. Ut autem vovens cen seatur suum votum hoc modo ratificare, necesse est, ut sit sibi consciu primum votum esse obnoxium irritationi atque velit *de novo* se obligare perinde ac si numquam obligatus fuisset. Ideoque non sufficit, ut vel priu votum coeperit exsequi, vel illud saepe renovaverit. Hoc enim est priu vinculum infirmum approbare, non autem novum idque firmum suscipere b) Prorsus nullum votum ab impubere emissum excipitur a potestate irritant paterna. Unde pater valet irritare etiam vota reservata, e. g. votum ingre diendi ordinem approbatum.

418 3. Num *maritus* valeat directe irritare omnia vota uxoris durant matrimonio facta, valde controvertitur.

Multi affirmant[4], quia vir est caput mulieris ideoque potestatem domina tivam habet in eius voluntatem. Negativa tamen sententia videtur esse verio et communior, quia subiectio uxoris ex matrimonio orta se extendit ad sol officia matrimonialia, non autem ad omnes omnino actus eius. Ceterun ius mariti sufficienter et integre conservatur, si illi competit potestas irritand indirecte vota uxoris. Argumenta autem, quae afferuntur pro viri potestat directe irritandi omnia vota uxoris, non convincunt. Nam textus Num. 30 7—9 allatus non est ita clarus, et deinde non videtur continere nisi prae ceptum iudiciale Veteris Legis, quod iam amplius non obligat. Insuper omni moda illa subiectio et dependentia uxoris a marito nullo iure fundatur: no *iure naturae,* quia mulieres maiore iudicii firmitate sunt praeditae quam im puberes, immo aliquando superant ingenio suo ipsos earum maritos; no *iure positivo*, nullum enim exstat tale ius; non denique *ex contractu e vinculo matrimonii,* quippe quae se extendant ad corporis usum et familia administrationem tantum[5]. Vota igitur uxoris solum indirecte, i. e. ration materiae, irritari possunt a marito; quatenus nempe ipsi obstant in coniugi usu, familiae administratione, rei familiaris gubernatione, e. g. uxoris votun

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 230.

[2] Cf. c. 2, C. 20, q. 2; c. 14, C. 32, q. 2; c. 2, X 3, 31.

[3] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 4, a. 3, § 2.

[4] *S. Alphonsus* (l. c. n. 234) vocat hanc sententiam probabiliorem et citat pro e S. Thomam, Dom. Soto, Sanchez, Petrum Ledesma, Salmanticenses pluresque alios. San prima fronte considerata verba S. Thomae hanc sententiam docent: «Nullum votum religios est firmum nisi sit de consensu praelati. Sicut nec votum puellae exsistentis in dom nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu viri» (S. theol. 2, 2, q. 88 a. 8 ad 3). Sed nihilominus commentatores Angelicum Doctorem communius explican hic loquentem de sola indirecta irritatione votorum uxoris (cf. *Billuart* l. c.).

[5] Cf. *Billuart* l. c. § 2.

continentiae, multarum orationum, peregrinationum, mortificationum, eleemosynarum etc. Vota vero illa (sive personalia sive realia), quae iuribus maritalibus nullo modo derogant, ut e. g. vota aliquarum precum, eleemosynarum ex bonis liberis paraphernalibus, non possunt a marito irritari. A fortiore maritus nequit irritare uxoris vota de rebus aliunde praeceptis, e. g. de audiendo sacro diebus festivis, de non mentiendo etc.

Quis potest indirecte vota irritare? 419

Omnis superior, qui habet potestatem *in materiam voti*, potest indirecte irritare subditorum vota, quae laedunt ius ipsius. Ratio est, quia votum nequit laedere ius alterius, et nemo potest aliquid firmiter promittere, cuius non habet plenum dominium. Hinc:

1. *Summus Pontifex* potest indirecte irritare quaecumque vota facta circa bona ecclesiastica, cum ipse sit supremus administrator bonorum ecclesiasticorum.

2. *Parentes* possunt indirecte irritare vota filiorum puberum nondum exemptorum, quae impediunt liberam licitamque administrationem familiae, e. g. votum longinquae peregrinationis [1].

3. *Superior religiosus* potest indirecte irritare novitiorum vota, quae impediunt disciplinam novitiatus.

4. *Maritus* potest indirecte irritare omnia vota uxoris etiam ante matrimonium emissa, quae ipsius iuribus matrimonialibus adversantur, ut iam supra dictum est. Idem valet uxor respectu votorum mariti; e. g. uxor potest indirecte irritare votum mariti, qui secus impotens esset ad reddendum debitum coniugale.

5. *Herus aut dominus* potest indirecte irritare vota famulorum et subditorum, quae obstant debito famulatui aut debitae oboedientiae, e. g. visitandi quotidie ecclesiam.

§ 7.

De cessatione voti (eiusve obligationis) per dispensationem.

Notio. Dispensatio definiri potest: **relaxatio obligationis voti, nomine Dei facta ab habente iurisdictionem competentem.** 420
Ex hac definitione apparet magnum discrimen inter dispensationem et irritationem. Etenim: 1. Dispensatio fit nomine Dei; irritatio autem nomine proprio irritantis. 2. Dispensatio supponit iurisdictionem nomine Dei exercitam; irritatio autem nullam iurisdictionem exigit, sed requirit potestatem dominativam aut in voluntatem voventis aut in rem voto promissam. 3. Ad validam dispensationem requiritur iusta causa, quia dispensatio nomine Dei exercetur. Porro Deus iustus non potest approbare dispensationem concessam sine sufficienti causa; ad validam autem irritationem nulla requiritur causa, cum quilibet valeat potestate sua dominativa uti, etiam sine causa. 4. Irritatio voti fieri potest invito vovente ipso; dispensatio vero supponit consensum illius, qui votum emisit.

---

[1] Cf. S. theol. l. c. ad 2.

Haec omnia quidem constant inter omnes, sed non ita constat, in qu praecise sit essentia dispensationis; et utrum dispensatio legitima totalit destruat votum emissum, an solummodo suspendat eius obligationem[1]. I quidem videtur esse certum, dispensationem non esse meram declaratione interpretationemve non obligationis voti. Etenim talis declaratio aut ess *doctrinalis,* et tunc fieri posset a quolibet homine prudenti, quin sit nece saria potestas iurisdictionis; quod est falsum; aut esset *authentica,* sed stylo Curiae Romanae nullum invenitur indicium talis declarationis authe ticae. — Iuxta modernam praxim non tantum obligatio voti, sed etiam ipsu votum solet per dispensationem tolli. Excipitur tamen votum publicum castitat in institutis religiosis aut in subdiaconatu emissum, quod non solet per pon ficiam dispensationem totaliter relaxari, sed tantum suspendi[2].

421 **Requisita ad dispensandum.** Ad valide dispensandum r quiruntur duo: iusta causa et facultas dispensandi.

1. *Iustam causam* tum ad licitam, cum ad validam dispensationei voti requiri, certum est.

Etenim dispensans non agit nomine proprio (sicut irritans) sed nomir Dei. Iamvero manifesta inferretur iniuria Deo, si id, quod ipsi promissu fuit in voto, sine sufficienti ratione non praestaretur aut per frivolam dispe sationem auferretur. Hinc tum dispensans tum dispensatus peccat adhibenc dispensationem sine sufficienti causa. Notat tamen Angelicus Doctor[3], di pensatum posse et debere acquiescere iudicio superioris dispensantis de su ficientia causae dispensationis (non autem iudicio proprio); quia ipse nc gerit vicem Dei, sed superior. Si tamen causa dispensationis esset *evident* insufficiens, subditus dispensatus non posset licite adhibere dispensationei sic concessam[4].

Quaenam sunt causae sufficientes ad dispensandum? Innocentius III[5] mon tria esse attendenda in dispensatione votorum: 1. quid liceat secundum aequ tatem; 2. quid deceat secundum honestatem; 3. quid expediat secundu utilitatem. — Antiquis temporibus dispensatio (saltem in votis maioribus) nc solebat concedi, nisi propter causas publicas et bonum commune; nostr autem diebus omnia vota dispensantur etiam *ob causam et bonum privatu* Omnes causae dispensandi possunt reduci ad duas classes, scil. ad *utilitate Ecclesiae* seu communitatis et ad *utilitatem necessitatemve voventis.* Sic e. g. co ceditur dispensatio voti publici castitatis aliorumque votorum religiosorui si membrum alicuius instituti religiosi propter vitam dissolutam scandalu causat toti communitati. Conceditur dispensatio, si vovens versatur in gra periculo transgrediendi votum; si patitur magnam et impraevisam diffic tatem observandi votum; si vexatur magnis scrupulis propter votum emissun si votum fuit factum sine perfecta deliberatione aut libertate, nempe pra cipitanter aut sub influxu metus etiam levis[6]. Generatim loquendo, superi non debet nimis torqueri scrupulis de sufficientia causae dispensandi. enim subditus multum insistit ad habendam dispensationem, neque ave potest a petitione dispensationis, iam solet versari in periculo gravi trar

[1] *Gestattung einer Ausnahme;* cf. *Stiegler,* Dispensation etc. im Kirchenrecht I, Mai 1901, 24 et 40.

[2] Cf. infra n. 422. [3] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 12 ad 2.

[4] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 251. [5] c. 7, X 3, 34.

[6] *S. Alph.* l. c. n. 252—253.

grediendi votum. Ergo iam sufficiens causa dispensandi adest. Iuxta praesentem disciplinam S. Congregatio de Religiosis concedit religiosis dispensationem votorum, si ipsi declarant, se esse incapaces vivendi amplius in tali instituto.

2. *Facultas dispensandi* in votis certo competit Ecclesiae; quod quidem constat tum ex S. Scriptura, tum ex perpetuo usu Ecclesiae. Christus loquens Petro dixit: «Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.»[1] — Quae verba cum sint generalia, debent intelligi de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest. Et revera sicut nomine Dei Ecclesia potest remittere peccata et peccatorum poenas, etsi Deus habeat strictum ius exigendi pro peccatorum culpa satisfactionem et poenam, ita a fortiori Ecclesiae competit facultas remittendi ex iustis causis obligationem ortam ex voto. — Quae quidem dispensandi facultas etiam semper in usu Ecclesiae fuit inde ab antiquissimis temporibus. Primis quidem saeculis non ita multae dispensationes votorum occurrunt, sed SS. Patres cognoverunt illas, quae aliquando vocabantur absolutio seu οἰκονομία[2]. Temerarium autem immo et haereticum esset asserere, Ecclesiam tot saeculis sibi usurpasse potestatem, quae ipsi non competit.

In Ecclesia exercent hanc dispensandi facultatem: 1. Summus Pontifex circa omnes christifideles; 2. episcopi ceterique praelati quasi-episcopalem iurisdictionem habentes circa proprios subditos, cum dependentia tamen a Summo Pontifice et cum certis limitationibus; 3. omnes, qui habent legitimam delegationem. — Notandum est, dispensandi facultatem non supponere potestatem ordinis, sed *iurisdictionis ecclesiasticae*. Unde quicumque est capax iurisdictionis ecclesiasticae, potest etiam (saltem ex delegatione) exercere facultatem dispensandi.

Summus Pontifex habens amplissimam iurisdictionem habet 422
quoque amplissimam facultatem dispensandi in votis. Unde S. Thomas[3] dicit: «Quia Summus Pontifex gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis.» Videtur igitur Angelicus Doctor supponere non omnia vota esse dispensabilia. Et revera difficultas est, quomodo Papa possit dispensare 1. in votis sollemnibus; 2. in votis factis in utilitatem tertiae personae.

Vota sollemnia religiosa consistunt in aliqua consecratione et sunt probabiliter iuris divini, ut supra n. 391 dictum est. Quamobrem saeculo XIII communis opinio doctorum Summo Pontifici negabat facultatem dispensandi in votis sollemnibus. Immo ipse Innocentius III[4] scripsit loquens de dispensatione huiusmodi votorum: «Nec aestimet abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis et custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.» Hanc sententiam tuentur S. Thomas[5], S. Raymundus[6], S. Bonaventura[7], B. Albertus Magnus[8] et multi alii. Nihilominus certum est, Summos Pontifices saepe concessisse licentiam,

---

[1] Mt 16, 19. [2] Cf. *Stiegler* l. c. 3 sqq.
[3] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 12 ad 3.
[4] c. 6, X 3, 35. [5] S. theol. l. c. a. 11. [6] Summa l. 1, tit. 8, § 9.
[7] 4, dist. 38, q. 3. [8] In 4, dist. 38, a. 18.

ut religiosi utriusque sexus post emissam professionem sollemnem licite et valide inirent matrimonium. Immo Leo XIII[1] concessit generalem facultatem dispensandi cum moribundis, qui non obstantibus votis sollemnibus matrimonium attentaverunt; quam facultatem Pius X[2] adhuc ampliavit. Temerarium autem esset asserere, tot Summos Pontifices sibi arrogasse aliquam dispensandi potentiam, quae illis minime competit. Iam ante tempora S. Thomae et S. Bonaventurae quidam Summi Pontifices feruntur matrimonium concessisse religiosis sollemniter professis, e. g. Coelestinus III concessit, ut monialis Constantia, filia Rogeri de Sicilia, nuberet imperatori Henrico VI; Benedictus IX dicitur similem concessionem fecisse Casimiro regi Poloniae, et Ramiro regi Aragoniae[3]. Quae quidem concessiones haud ignotae fuisse videntur S. Thomae et S. Bonaventurae, qui nihilominus dispensationem votorum sollemnium esse impossibilem docuerunt. Verisimile est, Doctores saeculi XIII sumpsisse dispensationem pro totali abolitione voti; cum hodierna praxis Curiae Romanae dispensando non aboleat votum sollemne, sed eius obligationem tantum partialiter suspendat. Conceditur enim solus usus matrimonii; semper autem additur in Rescriptis dispensationis: peccata forte extra usum matrimonii contra castitatem commissa non solum violare hanc virtutem, sed etiam *votum castitatis* (quod etiam reviviscet, si matrimonium morte compartis solutum fuerit). Absque omni dubio Summus Pontifex potest suspendere hoc modo obligationem voti, etiamsi illud sit iuris divini. Sicut enim casu necessitatis Papa potest permittere, ut calix consecratus (manens consecratus) inserviat usibus profanis, ita etiam concedere valet, ut religiosus sollemniter professus utatur matrimonio manens radicaliter obstrictus votis emissis. Sedulo igitur attendendae sunt clausulae adiectae in Rescriptis dispensationis.

Vota facta in favorem alicuius tertiae personae (sive physicae sive morali), e. g. votum faciendi eleemosynam determinatae personae, per se quidem nec Summus Pontifex dispensare valet, si illa persona promissionem voto confirmatam acceptavit, neque subiecta est potestati dominativae Papae. Ratio est, quia per talem dispensationem laederetur strictum ius tertii acquisitum, ac proinde ipsum ius naturale. In sequentibus autem casibus Papa eiusque delegatus dispensare valet etiam in votis factis in utilitatem tertii:

1. Si ille tertius libere renuntiavit iuri suo. Per se patet, cum tunc iam nulla laesio iuris adsit.

2. Si ille tertius est persona religiosa aut institutum ecclesiasticum. Summus Pontifex enim habet plenam administrationem bonorum ecclesiasticorum, ac proinde potest ob sufficientes rationes disponere de iuribus omnium religiosorum (professorum) ac institutorum ecclesiasticorum.

3. Si promissio fuit gratuita et nondum acceptata ab illa tertia persona. Tunc enim intercedit sola obligatio voti et non iustitiae. Ab obligatione voti autem Papa valet dispensare. Hinc e. g. si quis vovit dare stipendium pro centum Missis dicendis in sublevamen defunctorum, Papa eiusve delegatus potest dispensare ab huiusmodi voto, cum a defunctis nequeat fieri acceptatio voti. Idem valet, si quis vovit dare 100 marcas pauperibus non determinatis[4].

---

[1] Die 20 Febr. 1888. [2] S. C. de Sacr. d. 14 Maii 1909.

[3] A pluribus auctoribus istae dispensationes ut apocryphae reiciuntur; cf. *Billuart*, De relig. diss. 4, a. 9.

[4] Cf. ib. a. 8, § 6.

4. Si promissio fuit gratuita ac *principaliter in honorem Dei*, et non nisi secundarie in utilitatem tertiae personae. Ita saltem iuxta sententiam tum intrinsecus tum extrinsecus probabilem. Ratio autem est, quia tunc utilitas proximi est quid secundarium et accidentale, quod sequi debet conditionem principalis, scil. voti, quod est dispensabile [1].

Ex hucusque dictis luculenter apparet, in praxi vix ullum votum exsistere, de quo Papa non possit ex iusta causa dispensationem concedere.

De votis Summo Pontifici reservatis. Summus Pontifex 423
sibi reservavit facultatem dispensandi in pluribus votis, qualia sunt:

1. *Omnia vota publica* sive perpetua, sive temporanea.

Talia vota publica sunt: a) Omnia vota sollemnia facta in ordinibus religiosis et in susceptione subdiaconatus. Difficillime autem solet concedi dispensatio istorum votorum. Licet aliquando Summus Pontifex dispensaverit, ut sacerdotes, qui matrimonium attentaverunt invalidum, possint matrimonium convalidare, e. g. tempore schismatis anglicani, et primae revolutionis Gallicanae, tamen non exstat exemplum (publice notum), ubi Summus Pontifex concessit *sacerdoti* ritus Latini, ut valeat de novo matrimonium inire. — b) Omnia vota simplicia emissa in institutis religiosis approbatis. Nihil refert, utrum ista vota sint perpetua an temporanea. Unde e. g. membrum alicuius instituti religiosi habens vota ad triennium aut quinquennium durantia a nemine nisi a Summo Pontifice eiusve speciali delegato potest in istis votis dispensari ante elapsum tempus obligationis. Quando vero quis simpliciter professus in aliquo ordine, *ubi habentur vota sollemnia,* legitime a superioribus dimittitur ex ordine [2], eo ipso cessant eius vota simplicia. Ita sententia probabilior [3]. Quando autem quis simpliciter professus dimittitur ex aliquo instituto, in quo non habentur vota sollemnia, non eo ipso est dispensatus a votis suis, sed debet adhuc specialem dispensationem votorum inquirere. Ita saltem de iure communi, quidquid est de privilegiis concessis alicui instituto particulari [4]. — Si quis dimittitur ex aliquo *instituto dioecesano,* i. e. nondum ab Apostolica Sede approbato, episcopus potest dispensare super vota emissa, excepto voto perfecto castitatis perpetuae [5].

2. *Quinque vota privata,* scil. a) perfectae et perpetuae castitatis; b) ingrediendi in religionem approbatam cum votis sollemnibus; c) peregrinationis Hierosolymitanae ad sepulcrum Domini; d) peregrinationis Romanae ad limina apostolorum; e) peregrinationis Compostellanae ad sanctuarium S. Iacobi maioris.

Iam Sixtus IV a. 1478 [6] mentionem facit reservationis istorum quinque votorum, sed non constat, quando haec reservatio primo fuerit introducta. — Cum reservatio, quae censetur in iure canonico ut res odiosa, sit strictae

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 255.

[2] Modus istius dimissionis noviter determinatus est a S. C. de Relig. d. 16 Maii 1911 (Acta Ap. Sedis III 235).

[3] S. C. Ep. et Reg. d. 12 Ian. 1858; cf. nostrum Man. iur. eccl. II, q. 125.

[4] «Utrum religioso rite eiecto ab hac Congregatione iuxta normam decreti ‚Auctis admodum' una cum iuramento permansionis vota simplicia dispensantur? — Negative, neque expedire ut superioribus religiosis huiusmodi facultas dispensandi committatur.» Ita S. C. Ep. et Reg. d. 10 Ian. 1896; cf. nostrum Man. iur. eccl. l. c.

[5] Const. «Conditae» I, 8.

[6] Const. «Etsi Dominici gregis» (Extrav. com. c. 5, V 9).

interpretationis, haec quinque vota sub reservatione non cadunt, nisi sunt perfecta ex parte tum *materiae* tum *modi*.

Materia voti censetur perfecta, si accurate promissum fuit id, quod in quinque votis est reservatum. Hinc non cadunt sub reservatione: a) votum virginitatis, votum non nubendi, votum castitatis temporaneae, votum suscipiendi s. ordines, votum ingrediendi in aliquod institutum religiosum cum votis simplicibus tantum. Ratio est, quia omnia ista vota neque sub voto perfectae castitatis, neque sub voto ingrediendi religionem cum votis sollemnibus continentur. In praxi haud raro dubium oritur, utrum fidelis emiserit votum perfectae castitatis an virginitatis tantum. Tunc prius investigandum est, utrum vovens principaliter vitam coelibem, an potius perfectam castitatem corporis et mentis intenderit. Si prius, votum non est reservatum; sin posterius, votum est perfectae castitatis, ac proinde reservatum. b) Pariter non est reservatum votum peregrinationis Romanae, Hierosolymitanae et Compostellanae, si vovens praecise non intenderit visitare limina apostolorum, sepulcrum Domini, sacrarium S. Iacobi, sed aliud opus ibi peragendum.

Modus istorum votorum censetur perfectus, quando emissa fuerunt *absolute* et cum *perfecta libertate*. Hinc non adest reservatio:

a) Si tale votum factum fuit *cum conditione de futuro contingenti*, e. g. voveo ingressum in religionem Franciscanorum, si sanitatem recuperavero. Quando autem apposita fuit conditio de futuro necessario, aut de praeterito, aut de praesenti, votum non est nisi apparenter conditionatum, ac proinde revera est absolutum, verificata conditione. Hinc e. g. verificata conditione, votum sequens est absolutum et reservatum: Voveo perfectam castitatem, si pater meus in isto naufragio periit.

b) Si votum fuit *disiunctivum aut poenale*; e. g. voveo aut ingressum in religionem aut susceptionem s. ordinum; si iterum contraxero habitum ebrietatis, voveo ingressum in ordinem Trappistarum.

c) Si votum factum fuit *sub influxu metus etiam levis*[1]; e. g. puella vovit ingressum apud Clarissas ad evitandas nuptias, ad quas parentes voluerunt illam cogere.

d) Si vovens expresse intendit solam *levem obligationem* sibi imponere. Ratio patet, cum violatio talis levis obligationis sit leve peccatum, quod non potest esse materia reservationis. Hinc, si quis vovit sub levi obligatione perpetuam castitatem aut ingressum in religionem, eius votum non est reservatum.

Nota. Quando ista quinque vota fuerunt a legitima auctoritate commutata in alia pia opera, haec materia sic commutata non amplius sub reservatione cadit. Hinc e. g. si puella, facto voto perfectae castitatis et obtenta commutatione istius voti, tenetur dicere quotidie Rosarium, iam quilibet confessarius habens privilegia Mendicantium valet ex rationabili causa dispensare ab hac obligatione dicendi Rosarii[2].

424 **Episcopi** aliique praelati iurisdictionem quasi-episcopalem habentes non solum in omnibus aliis non reservatis votis ex iusta causa dispensare possunt, sed etiam in quinque privatis votis reservatis:

1. Quando est urgens necessitas et difficilis est recursus ad Summum Pontificem[3]. Talis casus facile accidere potest, quando omnia parata

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 258. [2] Cf. ib. n. 260. [3] Cf. ib. n. 258.

sunt ad nuptias, quae sine magno incommodo differri nequeunt, et detegitur unum nupturientium ligari voto perfectae castitatis. Tunc episcopus valet dispensare a voto castitatis (saltem in ordine ad legitimum usum matrimonii)[1].

2. Quando agitur de voto castitatis imperfectae (i. e. non petendi debitum coniugale) facto *post matrimonium contractum*. Ratio est, quia tale votum non est omnimodae castitatis, cum nequeat obligare ad non reddendum debitum. Sin autem agitur de voto castitatis perfectae, i. e. neque petendi neque reddendi debitum coniugale, episcopus nequit dispensare auctoritate propria, nisi sit periculum grave in mora[2]. Huiusmodi votum perfectae castitatis potest coniux emittere a) ex consensu compartis; b) si compars amisit ius petendi debitum, e. g. ob adulterium perpetratum.

3. Quando agitur de votis dubiis.

4. Quando habent speciales facultates delegatas, ut nostris temporibus fieri solet in sic dictis facultatibus quinquennalibus. Quapropter confessarius egens facultate dispensandi in aliquo voto, melius petit hanc facultatem mediante episcopo dioecesano, qui fere semper illam concedere potest.

Nota. Probabilius episcopi valent in votis dispensare non solummodo cum propriis subditis, sed etiam *cum peregrinis*, saltem si dispensant potestate ordinaria[3]. Sin autem vi facultatum quinquennalium largiuntur dispensationem, attendendae sunt clausulae, quae forte excludunt peregrinos a dispensationibus concedendis.

Confessarii regulares habentes privilegia Mendicantium possunt 425
sive intra sive extra confessionem dispensare in omnibus votis non reservatis. Excipiuntur insuper vota facta principaliter in utilitatem tertii et ab illo acceptata. Ita sententia communissima[4].

Haec sententia fundatur super plura privilegia a Summis Pontificibus concessa. Sic e. g. Iulius II concessit regularibus S. Salvatoris et monachis Olivetanis, «ut deputati ad audiendas saecularium personarum confessiones possint eas ab omnibus et singulis peccatis . . . absolvere et vota per eas pro tempore emissa in omnibus et singulis casibus locorum Ordinariis, etiam per synodales seu provinciales constitutiones reservatis, in alia pietatis opera commutare, et desuper cum eisdem voventibus dispensare»[5]. Eadem facultas aliis canonicis regularibus ab eodem Pontifice conceditur per constitutionem «Inter ceteros»; eremitis Camaldulensibus idem concessit Leo X[6]. Quia autem alii Pontifices, ut Benedictus XIII[7], Leo XII[8], non loquuntur nisi de facultate commutandi vota, hinc quidam auctores (Billuart, Concina, Mocheggiani) denegant confessariis regularibus facultatem dispensandi in votis. Audiatur Concina, qui omnium vehementissimus asserit: «Falsa est sententia, quae

---

[1] Cf. ib. l. 6, n. 987. [2] Cf. ib. n. 986.

[3] Cf. ib. l. 1, n. 158, et l. 3, n. 262.

[4] Ib. l. 3, n. 257; *Ferraris*, Prompta Bibl., s. v. «votum» III, 77; *Reiffenstuel*, Ius can. l. 3, tit. 34, n. 39; *Noldin*, De praeceptis n. 237; *Vermeersch*, De relig. inst. n. 519.

[5] Const. «Etsi ad universos». [6] Const. «Etsi a summo».

[7] Const. «Pretiosus». [8] Const. «Plura inter».

privilegium concedit regularibus dispensandi in votis omnibus non reservatis Summo Pontifici.»[1] — Concedit quidem Concina, quam plures auctores contrarium docere, sed nimis confidenter subdit: «Ex tot auctoribus neminem reperi, qui serio controversiam discutiat; sed unus fidit auctoritate alterius, et veluti avis aves, alii alios sequuntur; ac tandem multitudine omnes se tuentur, quasi multitudo posset patrocinari errori.» — Sane multitudo auctorum sola nequit reddere errorem veritatem, sed satis temerarium est asserere, inter tot tantosque auctores neminem serio discussisse controversiam. — Sententia communis docens, confessarios regulares gaudere facultate dispensandi in omnibus votis exceptis votis tum reservatis tum factis in utilitatem tertii, videtur esse tuta in praxi. Etenim Sixtus IV[2], Iulius II[3], Innocentius VIII[4] aliique Summi Pontifices simpliciter concedunt hanc dispensandi facultatem. Quae quidem indulta postea effecta sunt «privilegia bullata», cum fuerint a Summis Pontificibus in forma speciali seu ex certa scientia confirmata. In tali forma confirmavit e. g. Gregorius XIII[5] omnia privilegia Franciscanorum. Quodsi alii Pontifices concedunt regularibus facultatem commutandi vota, inde minime licet concludere, eos denegasse aut revocasse facultatem dispensandi. Nam verbum dispensandi non in uno sensu adhibetur tum in Corpore iuris, tum a veteribus modernisque canonistis, ut probavi alibi[6]. — Insuper S. Alphonsus[7] sine ulla haesitatione docet nostram sententiam. Porro confessarius in praxi semper potest sequi S. Alphonsi sententias, quae non sunt expresse revocatae per Sedem Apostolicam. Optime et erudite de hac re disserit G. Oesterle[8] O. S. B., qui etiam nervose reicit sententiam adversariorum.

426 Utrum confessarii regulares *in casu urgentis necessitatis* dispensare possint in ordine ad matrimonium contrahendum super voto *perfectae castitatis*, disputant auctores. De hac re scribit S. Alphonsus[9]: «Prima sententia affirmat, et hanc tenent Reiffenstuel, Vidal, Antonius a Spiritu Sancto, Bassaeus, Herincx, Coussers apud Elbel et alii apud Salmanticenses, qui vocant illam probabilem. Ratio, quia episcopi in casu necessitatis dispensant in voto castitatis iure ordinario. Unde regulares, qui possunt dispensare in omnibus votis, in quibus episcopi iure ordinario dispensant, possunt etiam in eo dispensare, urgente necessitate. — Secunda vero sententia communior negat, et hanc tenent Sanchez, Pontas, Sporer, Palaus, Laymann, Tamburinus, Salmanticenses cum Suarez, Leandro, Diana, Lezana, Bardi, Prado, Moya et Rodriguez. Ratio, quia regulares possunt tantum dispensare in votis, in quibus dispensant episcopi iure ordinario; sed in necessitate episcopi non dispensant iure ordinario, sed extraordinario et per accidens, eo quod agitur de casibus non ordinarie sed extraordinarie contingentibus. Sed respondent adversarii, quod non per hoc, quod casus sunt extraordinarii,

---

[1] Theol. christ. l. 4 in Decal., diss. 3, c. 11, n. 16.
[2] In indultis tum pro Minimis d. 27 Maii 1474, tum pro Benedictinis d. 8 Iunii 1476.
[3] Cf. textum supra allatum. [4] In indulto pro Franciscanis a. 1487.
[5] Const. «Ex benigna» d. 21 Martii 1575.
[6] «Commersches Jahrbuch» XXII 60 sqq. [7] Theol. mor. l. 3, n. 257.
[8] In «Theologie und Glaube» 1911, 389 sqq.
[9] L. c. l. 6, n. 1128.

dicendum, quod episcopi dispensant iure extraordinario; nam etiam in his casibus habent potestatem ordinariam, cum ipsa sit annexa eorum officio et dignitati. Unde non audeo primam sententiam reprobare.» — In praxi, etsi forsan confessarius regularis non possit proprie dispensare super voto perfectae castitatis in tali casu necessitatis, tamen potest epikeiam adhibere declarando, obligationem voti cessare in tantis angustiis. Idem possunt facere omnes alii confessarii, qui tamen postea ad cautelam debent quantocius petere dispensationem super voto forsan adhuc exsistente.

Confessarii regulares valent partialiter dispensare in voto castitatis, matrimonio iam contracto, ad petendum debitum coniugale, quando alter coniux tale votum fecit ante matrimonium. Sin autem tale matrimonium fuerit dissolutum per mortem compartis aut alio modo, votum sic dispensatum reviviscit in illo, qui id emisit. Immo si taliter dispensatus, durante matrimonio, committeret peccatum grave contra castitatem, e. g. pollutionem, adulterium etc., esset gravis violatio voti, ac proinde non solum ipsum peccatum luxuriae, sed etiam violatio voti in confessione declaranda esset [1].

Parochi aliique confessarii ordinarii nullum habent potestatem 427
dispensandi in votis, sic statuente iure communi. Haud raro autem ex indultis particularibus vel tempore iubilaei huiusmodi facultates illis conceduntur.

Circa exercitium facultatis dispensandi sequentia notanda 428
sunt:

1. Licet uti hac facultate tum intra tum extra tribunal confessionis, nisi tamen contrarium sit expresse determinatum.

Valde conveniens autem est, ut dispensatio ordinarie non concedatur nisi in confessionali; quare etiam facultates speciales dispensandi solent semper includere clausulam hanc vel similem: «pro foro conscientiae et in sacramentali confessione».

2. Qui huiusmodi dispensandi facultate pollet, ea uti potest etiam *secum ipso,* cum sit actus iurisdictionis voluntariae [2], nisi tamen dispensatio danda praescribitur in tribunali confessionis.

Nemo enim coram semetipso apparere potest in tribunali poenitentiae. In praxi semper melius est petere voti dispensationem ab alio habente potestatem, cum nemo debeat esse iudex in propria causa et facile decipiatur circa sufficientiam causae ad dispensationem necessariae.

3. Qui dispensare valet in votis, etiam dispensare valet in *votis iuratis.*

Ratio est, quia iuramentum, utpote in hoc casu aliquid accessorium voti, solvitur cum solutione voti [3]. *Iuramentum autem promissorium ex se solo numquam est reservatum* [4]. Haec formula: «Spondeo, voveo ac iuro», censetur non continere nisi solum iuramentum et non votum.

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. et l. 3, n. 258.

[2] Cf. ib. l. 3, n. 256. [3] Cf. infra n. 454.

[4] Unde *S. Alphonsus* (l. c. n. 259) docet, iuramentum castitatis perfectae vel religionis ingrediendae, nisi includat simul votum, non esse reservatum.

4. Episcopi probabiliter dispensare valent etiam in votis peregrinorum, ut iam supra n. 424 dictum est, dummodo tamen sint privata et non publica vota. Ita hodie fert consuetudo communis. Confessarii autem regulares absque dubio possunt etiam vota peregrinorum dispensare, quia agunt ex delegatione Romani Pontificis, cui nullus fidelis est peregrinus [1].

5. In omni dispensatione attendendum est illud Innocentii III iam supra citatum: «Quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem», seu tunc solummodo dispensandum est in voto, quando honor Dei servatur, et utilitati spirituali voventis consulitur. De causis sufficientibus dispensationis iam supra n. 421 dictum est.

6. Raro expedit dispensatione totam obligationem voti tollere — fere cum solis scrupulosis hoc expedit —, sed praestat votum commutare, i. e. aliquam aptiorem materiam imponere. Sic enim vovens non perdit totum meritum voti, et acquirit novum meritum oboedientiae.

§ 8.

De cessatione voti (eiusve obligationis) per commutationem.

429 **Notio. Commutatio est translatio obligationis voti ab una materia in aliam.** Vel aliis verbis: Voti commutatio est substitutio alterius boni operis in locum illius, quod voto promissum fuit, facta sub eadem obligatione voti. Commutatio igitur est aliquid minus quam dispensatio; quia in dispensatione obligatio voti auferri potest totaliter; in commutatione vero remanet obligatio saltem partialis voti, cuius sola materia mutatur et saepe aliqualiter remittitur aut etiam augetur. Votorum commutatio fieri potest auctoritate aut propria aut ecclesiastica, ut infra latius dicetur. Haec est autem differentia inter potestates irritandi, dispensandi et commutandi vota: Irritatio nullam exigit iurisdictionem, sed potestatem dominativam. Dispensatio semper exigit iurisdictionem. Commutatio aliquando exigit iurisdictionem, non autem semper.

Distinctio. Commutatio voti triplex distinguitur, scil. in opus melius, aequale, minus. Opus melius non semper est illud, quod est difficilius, sed id, quod est Deo gratius. Sic e. g. qui vovit eleemosynam determinato pauperi, qui nondum promissionem acceptavit, potest eandem eleemosynam dare magis pauperi aut parenti pauperi, cum id videatur esse opus obiective melius et Deo gratius. Opus aequale censetur id, quod fere eandem difficultatem exsequendi praebet, e. g. dicere Rosarium vel alias preces fere eiusdem durationis. Opus minus est illud, quod evidenter minus difficultatis causat; e. g. dicere Rosarium est opus minus quam cum devotione audire Missam vel facere peregrinationem.

---

[1] Ita *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 620.

Principium 1. *Commutatio voti in opus evidenter melius fieri potest etiam propria auctoritate voventis.* 430

Ratio est, quia finis voti est a) cultus Dei et b) bonum spirituale voventis. Atqui opere evidenter meliore iste duplex finis perfectius obtinetur; quare Deus praesumitur consentire in talem mutationem. Ita sententia communior[1]. Unde omnia quaecumque vota in saeculo emissa exstinguuntur aut rectius commutantur in professione religiosa, quoniam omnia alia vota sunt quorundam particularium bonorum; per professionem autem religiosam homo totam suam vitam Dei obsequio deputat. Particulare vero in universali continetur. — Insuper professio religiosa habetur ut mors civilis. Quemadmodum autem morte physica omnia vota exstinguuntur, ita quoque morte civili professionis religiosae. Ideo Alexander III[2] statuit, ut reus voti fracti non habeatur qui temporale obsequium in perpetuam religionis observantiam commutat[3].

Dicitur in principio enuntiato: *in opus evidenter melius.* Quod quidem intelligendum est non de opere mere obiective meliore et praestantiore, sed de illo, quod attentis omnibus *circumstantiis obiectivis et subiectivis voventis* est melius. In praxi saepe difficile, ne dicam impossibile est, determinare propria auctoritate, quale bonum sit melius inter duo bona proposita. Sane qui vovit dare calicem argenteum, potest istud votum implere dando calicem aureum, vel qui promisit voto 100 marcas, potest dare 1000 marcas, vel qui promisit ieiunium unius diei, potest ieiunare tribus diebus. Quae omnia per se patent; attamen haec non sunt proprie dictae commutationes, sed potius abundantiores solutiones votorum; et tunc verum est adagium: Maius continet minus, et non frangit fidem, qui in melius commutat. Commutatio vero proprie dicta habetur, si opus promissum mutatur in aliud opus disparatum, e. g. ieiunium in eleemosynam aut orationem. Tunc autem videtur, in praxi vix umquam licere propria auctoritate commutatio voti privati in aliud privatum. Nam nemo potest propria auctoritate tuto iudicare, quale opus sit melius tum pro se tum pro cultu Dei. E. g. oratio est opus perfectius quam ieiunium, quia virtus religionis est excellentior virtute temperantiae. Numquid autem quis potest propria auctoritate commutare votum ieiunii sabbatini in recitationem Rosarii? — Ergo non solum melius sed etiam tutius est commutationem voti non facere nisi mediante auctoritate confessarii aut superioris ecclesiastici. Quae quidem doctrina videtur esse insinuata a S. Thoma[4] dicente: «In commutatione est quidam contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis; unde cum homo per votum Deo se obliget, non potest fieri commutatio voti, nisi interveniat consensus eius, qui vicem Dei gerit in terris, scil. praelati, *nisi forte unum votum ab alio includatur.*»

Nota. A commutatione facienda per auctoritatem propriam excluduntur: 431
1. *vota reservata Summo Pontifici* (nisi tamen commutatio fiat per ingressum in religionem); 2. *vota facta in favorem tertiae personae* (sive physicae sive moralis), si ista vota fuerunt acceptata; 3. *votum transeundi ad arctiorem religionem*[5]. — Circa hoc ultimum votum eiusque exsecutionem notandum est, iuxta praesentem disciplinam Curiae Romanae pro omni transitu religiosi professi ad aliam religionem requiri licentiam S. Sedis. Antiquitus quilibet

---

[1] Cf. *Salmanticenses,* Curs. Theol. mor. tr. 17, c. 3, n. 132. [2] c. 4, X 3, 34.
[3] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 12 ad 1.
[4] 4, dist. 38, q. 1, a. 4, solut. 4. [5] Ita c. 18, X 3, 31.

religiosus potuit propria auctoritate transire ad aliam religionem certe arctiorem.

432 **Principium 2.** *Commutatio voti in opus fere aequale requirit auctoritatem confessarii aut superioris ecclesiastici; qui tamen non indigent ad hanc commutationem faciendam aliqua speciali facultate.*

Ita sententia multo probabilior[1]. Ratio est, quia etsi materia substituta sit secundum se aeque grata Deo ac prioris voti materia, haec tamen *quatenus Deo promissa,* est Deo gratior. Et revera Deo magis placet firmitas, constantia ac fidelitas in re promissa servanda, quam inconstantia et mutatio de una re in aliam. Ergo non est in praxim ducenda sententia opposita[2] docens, votum posse propria auctoritate voventis commutari in opus aequale. — Non requiritur autem *specialis facultas* in confessario aut superiore ecclesiastico ad hanc commutationem faciendam, quia nulla lex neque positiva neque naturalis talem specialem facultatem exigit. Ergo quilibet confessarius potest commutare votum in opus fere aequale.

433 **Principium 3.** *Commutatio voti in opus certo et notabiliter minus non potest valide et licite fieri nisi ab illo, qui habet specialem facultatem.*

Etenim talis commutatio est partialis dispensatio voti. Iamvero ad omnem votorum dispensationem requiritur specialis facultas, ut supra n. 421 dictum est. Quicumque autem habet potestatem dispensandi in votis, habet quoque potestatem ea commutandi in opus aliud minus. Dicit enim Regula iuris 33 in VI°: «Cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus.» Ab omnibus admittitur, confessariis regularibus (qui habent privilegia Mendicantium) competere facultatem commutandi omnia vota non reservata.

434 **Principium 4.** *Ad voti commutationem in melius opus nulla requiritur causa; ad commutationem in aequale opus requiritur levis causa; ad commutationem in notabiliter minus opus requiritur gravis causa.*

Ratio primae partis est, quia perficere opus, quod est obiective et subiective melius, semper licet, quin necessaria sit alia causa cohonestans. Ratio secundae partis est, quia sine causa facere talem mutationem esset mera inconstantia, sane non grata Deo. Sufficit autem levis causa, e. g. maior devotio voventis vel minus periculum transgrediendi votum[3]. — Ratio tertiae partis est, quia talis commutatio est partialis dispensatio, ad quam semper necessaria est causa rationabilis et gravis. Non tamen requiritur tanta causa, quanta necessaria est pro totali dispensatione seu abolitione voti, ut per se patet. — Disputatur inter auctores, utrum non solum ad licitam, sed etiam ad *validam* commutationem voti in opus minus requiratur rationabilis causa. S. Alphonsus vocat utramque sententiam, i. e. affirmantem et negantem, probabilem. Affirmativa tamen sententia videtur esse probabilior, quia S. Thomas[4] merito exigit sufficientem causam pari ratione pro dispensatione et commu-

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 244, et Quaest. reform. 8.

[2] Citantur pro hac sententia plures auctores, e. g. *Elbel,* De voto n. 304, qui tamen nihil aliud dicit nisi: «probabiliter fieri posse solius voventis auctoritate; licet hoc a multis non absque ratione negetur«; *Tamburinus,* Decal. l. 3, c. 16, § 5, n. 14.

[3] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 245. [4] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 12 ad 2.

tatione. Porro sicut Deus non ratam habet dispensationem voti sine sufficienti causa datam, ita pariter non censetur approbare commutationem frivole datam. In dubio autem, utrum causa commutationis fuerit sufficiens, an non, docet Angelicus Doctor[1], subditum posse et debere acquiescere iudicio commutantis.

Corollarium 1. Facta commutatione voventi semper licitum 435
est ad primum opus redire, etiamsi commutatio facta fuit in melius. A fortiori hoc licitum est, si commutatio facta est in opus aequale aut minus.

Ratio est, quia commutatio est favor, quo nemo ordinarie tenetur uti, iuxta Regulam iuris 51 in VI°: «Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium detorquendum.» Licet nonnulli auctores limitent hanc doctrinam ad casum, quo commutatio facta est ab habente auctoritatem, et doceant, voventem non posse redire ad primum opus, si ipse suum votum commutaverit in opus evidenter melius, tamen S. Alphonsus[2] hanc limitationem ut non fundatam merito reicit, immo et concludit: «Si pluries facta est commutatio in diversa opera, vovens potest eligere eorum quodcumque malit.»

Corollarium 2. Si opus, in quod votum commutatum fuit, im- 436
possibile evaserit (etiam ex culpa voventis), vovens ad primum opus redire non tenetur, *dummodo commutatio facta fuerit a confessario aut a legitimo superiore ecclesiastico.*

Ratio est, quia per commutationem legitima auctoritate factam prorsus exstinguitur prior obligatio. Hinc e. g. si votum peregrinationis a confessario legitime commutatum fuit in ieiunium certo die peragendum, et tale ieiunium ob aegritudinem impossibile evaserit, vovens iam ad nihil tenetur. Ita sententia communis[3]. — Quando autem votum commutatum fuit *propria auctoritate voventis,* tunc obligatio prioris operis non videtur prorsus exstingui, ac proinde quando opus substitutum evasit impossibile, vovens ad prius opus redire tenetur. Nonnulli autem auctores docent[4], etiam tunc non adesse strictam obligationem redeundi ad primum opus; quia vovens sive ipse faciendo sive acceptando commutationem, implicite vovit materiam substitutam, adeoque prius votum exstinguitur. Haec sententia est certe probabilis theoretice, sed cum non expediat ullum votum propria auctoritate commutare (nisi professionem religiosam emittendo), ut supra dictum est, ideo in praxi non est recedendum a prima sententia.

ARTICULUS V.

De iuramento.

Praenotamen. Inter modos colendi Deum habetur quoque invocatio divini nominis. Invocatur autem divinum nomen tripliciter: 1. per modum iuramenti ad propria verba loquentis confirmanda; 2. per modum adiurationis ad alios inducendum ad aliquid agendum aut omittendum; 3. per modum invocationis ad orandum et praesertim ad laudandum Deum. In hoc

---

[1] Ib. [2] L. c. n. 248. [3] Cf. ib. n. 249.
[4] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 4, a. 8, § 6, Petes 4°.

articulo tractamus de invocatione divini nominis per iuramentum; in sequenti autem articulo agetur de adiuratione et de invocatione divini nominis.

Dividitur hic articulus in quattuor paragraphos: 1. de notione et divisione iuramenti; 2. de honestate iuramenti eiusque conditionibus requisitis; 3. de obligatione iuramenti; 4. de laesione iuramenti seu de periurio.

§ 1.

De notione et divisione iuramenti.

437 **Notio.** Iuramentum (quod aliquando etiam vocatur iusiurandum et sacramentum) definiri potest: **invocatio Dei in testem veracitatis.** Unde S. Thomas[1] dicit: «Assumere Deum in testem, dicitur iurare.»

Explicatur definitio data. Dicitur 1°: *invocatio Dei seu divini nominis,* in quantum homo intime conscius de defectu suae veracitatis et cognitionis invocat in adiutorium Deum primam veritatem in cognoscendo et dicendo. Unde omne verum iuramentum est verus cultus Dei, ac supponit fidem de exsistentia Dei personalis, omniscii et omnipotentis, qui cognoscit omne mendacium illudque punit. Quapropter iuramenta atheistarum, pantheistarum, monistarum, materialistarum etc. et generatim omnium negantium exsistentiam Dei personalis non sunt vera iuramenta. Ideo nec etiam iudex ab istis exigere potest iuramentum; potest autem profecto eos sub gravibus poenis cogere ad dicendam veritatem. Nonnulli iuristae hanc obligationem dicendi veritatem impositam a iudice vocant *iuramentum civile* per oppositionem ad iuramentum religiosum, sed haec distinctio est reicienda, cum omne verum iuramentum sit essentialiter actus religionis. Cum hodie tot homines aperte profiteantur crudum atheismum, iam fuit haud semel propositum, abolere iuramentum in tribunalibus civilibus. — Dicitur 2°: *in testem veracitatis.* Finis enim omnis iuramenti est confirmatio veritatis dictae. Cum autem veritas factorum contingentium nequeat probari ex causis intrinsecis, illa aliunde quaeri debet, scil. per testimonium hominum. Quod quidem testimonium hominum saepe est insufficiens et fallax, tum propter defectum cognitionis tum propter defectum veracitatis. Quamobrem necessarium est recurrere ad testimonium Dei, qui nec falli nec fallere potest[2]. Attamen iurans non intendit neque petit, ut Deus hic et nunc actuali et claro signo veritatem testetur — hoc enim esset tentatio Dei —, sed ut Deus omniscius, iustus et omnipotens testetur veritatem, quomodo et quando ei placuerit, atque gravissime puniat falso iurantem[3].

438 **Divisiones iuramenti.** Inter complures divisiones iuramenti sufficiat enumerare sequentes cognitu necessarias pro confessario:

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 89, a. 1. *Aristoteles* (Pseudo-Aristoteles) definit iuramentum: *Ὅρκος δ᾽ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος* — «Iusiurandum est declaratio cum deorum invocatione probationis expers» (Rhet. ad Alexand. c. 17). Optima est etiam definitio data a cl. *Göpfert:* «Der Eid ist die ausdrückliche oder stillschweigende Anrufung Gottes als Zeugen der Wahrheit, entweder zur Bestätigung einer Aussage oder zur Bekräftigung einer Zusage» (Der Eid [1883] 152), vel Latino sermone: Iuramentum est invocatio divini nominis in testimonium ad fidem dicto faciendam aut promissionem firmandam.

[2] S. theol. 2, 2, q. 89, a. 1. [3] Cf. ib. a. 2 ad 3.

1. *Ratione obiecti seu materiae* distinguitur iuramentum *assertorium* et *promissorium*[1]. In iuramento assertorio invocatur Deus in testimonium veritatis vel praeteritae vel praesentis; e. g. iuro, me illud crimen non commisisse; vel iuro, me solvendi esse incapacem[2]. — In iuramento promissorio invocatur Deus in testem tum futuri eventus tum praesentis sincerae intentionis aliquid faciendi aut omittendi; e. g. iuro, me impleturum esse omnia officia novi status mei[3]. Iuramentum igitur promissorium confirmat praesentem sinceram voluntatem, illamque ligat, ne in futuro mutetur. Utrumque iuramentum hoc modo explicat Angelicus Doctor[4]: «Divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum praesentia vel praeterita; et hoc dicitur iuramentum assertorium. Quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum; et hoc dicitur iuramentum promissorium.» — Si quis accurate considerat iuramentum promissorium, inveniet illud semper includere iuramentum assertorium; etenim, qui iurat se aliquid facturum esse, Deum invocat ut testem alicuius veritatis praesentis, nempe se habere nunc animum efficiendi id, quod promittit. Deinde invocat Deum tamquam fideiussorem veritatis futurae, scil. se impleturum esse rem promissam. Nec tamen propterea divisio iuramenti in assertorium et promissorium est superflua; nam licet iuramentum promissorium includat assertorium, non tamen econtra.

Iuramentum promissorium solet subdividi in propositum iuratum, promissionem iuratam seu pactum iuratum, votum iuratum et votum cum pacto iuratum. *Propositum iuratum* (quod etiam vocatur iuramentum promissorium simplex) est propositum iuramento confirmatum aliquid faciendi aut omittendi; e. g. iuro, me non amplius lusurum esse chartis. *Promissio iurata* est promissio homini facta et iuramento confirmata; e. g. promitto tibi matrimonium et iuro, me esse impleturum sponsalia sic contracta. Cum haec promissio sit contractus seu pactum, hinc etiam tale iuramentum vocatur *pactum iuratum*. Si promissio non homini sed Deo facta et confirmata est iuramento, habetur *votum iuratum*. Demum votum potest esse factum in utilitatem alicuius tertiae personae et ab illa acceptatum. Si tali voto accedit iuramentum, tunc habetur *votum cum pacto iuratum*.

2. *Ratione formae* distinguitur iuramentum *invocatorium* et *exsecratorium* (imprecatorium)[5]. Primum invocat Deum ut testem veritatis, ideoque etiam solet vocari iuramentum contestatorium; e. g. iuro per Deum, ita rem se habere. Altérum invocat Deum non solum ut testem veritatis, sed etiam ut *vindicem falsitatis*. Potest autem iurans sibi imprecari vindictam falsitatis tripliciter: a) Directe ab ipso Deo; e. g. Deus me perdat, me puniat, si non dixi veritatem. In S. Scriptura tamquam formula huiusmodi iuramenti saepe adhibentur verba: «Haec faciat mihi Deus et haec addat.»[6] In iure canonico nunc viget

---

[1] In lingua Germanica: *Aussage-* et *Zusageeid*.
[2] *Offenbarungseid*. [3] *Amts-* vel *Diensteid*. [4] S. theol. l. c. a. 1.
[5] *Zeugnis-* et *Verwünschungseid*. Cf. S. theol. 2, 2, q. 89, a. 1 ad 3.
[6] Cf. 1 Reg 14, 44; 2 Reg 3, 35.

formula: «Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia»; cuius sensus est: Deus me non amplius adiuvet, si falsum pronuntio. — b) Per creaturas, Deo sic permittente; e. g. fulmen me occidat, diabolus me rapiat, terra me deglutiat, etc., si verum non dico. Huiusmodi iuramentum protulit David dicens: «Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.»[1] — c) Per personas sibi intime coniunctas, quae damnum patiuntur; e. g. pater iurat per caput filii; cuius sensus est: Filius meus carissimus capite plectatur, si mentior.

3. *Ratione modi* distinguitur iuramentum *sollemne,* quod cum quadam sollemnitate emittitur, e. g. accensis candelis, coram crucifixo, tactis Evangeliis etc., et iuramentum *simplex,* quod sine his sollemnitatibus privato modo profertur verbis, quae magis placent. Iuramentum sollemne non tantum verbis, sed etiam gestis fieri potest, e. g. contactu Evangelii, osculo Bibliae etc. — Cum iuramentum sollemne semper adhibeatur in iudiciis, vocatur quoque *iuramentum iudiciale.* Iuramentum autem extraiudiciale est omne aliud iuramentum, sive sit in forma sollemni, sive in forma simplici. Iuramentum iudiciale habet quam plurimas subdivisiones, e. g. iuramentum calumniae, iuramentum malitiae, iuramentum suppletorium, iuramentum delatum etc., quas hic omittimus, quia eorum notitia non pertinet ad Theologiam moralem, sed ad ius sive ecclesiasticum sive civile. Omnia enim iuramenta sunt eiusdem speciei moralis, quia omnia conveniunt in invocatione divini nominis, licet accidentaliter differant.

4. *Ratione invocationis* distinguitur iuramentum *explicitum* et *implicitum.* Primum est illud, quo Deus ipse explicite et immediate testis invocatur, e. g. testis est mihi Deus. Alterum est, quo immediate quidem invocatur creatura, sed mediate ipse Deus, quoniam in tali creatura specialis relatio ad Deum elucet. Ita implicite iuravit Moyses dicens: «Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem.»[2]

§ 2.

De honestate iuramenti eiusque conditionibus requisitis.

439 Honestatem iuramenti negaverunt multi. Iam Pelagiani et Messalienses[3] videntur negasse liceitatem iuramenti. Quos secuti sunt Waldenses[4], Beguini et Beguardi, Wicleff[5], Hussitae[6], Anabaptistae, Mennonitae, Quakeriani[7]. Inter

---

[1] Ps 7, 4. [2] Dt 30, 19.

[3] Cf. *S. Aug.,* Ep. 156 (al. 88); Sermo 180, c. 10, n. 11.

[4] Waldensibus praescripta fuit professio fidei cum his verbis: «Non condemnamus iuramentum; immo credimus puro corde, quod cum veritate et iudicio et iustitia licitum sit iurare» (*Denz.* n. 425; cf. etiam n. 487).

[5] Cf. prop. 43 damnata (*Denz.* n. 623).

[6] Cf. «Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae» n. 12—14 (*Denz.* n. 662 ad 664).

[7] Cf. de his omnibus erroribus *Göpfert,* Der Eid 122 sqq. Cum Mennonitae ita abhorreant a iuramento praestando, illis permissum est a legibus civilibus Germaniae, ut

philosophos pugnaverunt contra iuramenti liceitatem Kantius et Fichte. Contra hos omnes ponitur:

Thesis. *Iuramentum debitis conditionibus vestitum est honestum et licitum.* 440

Prob. 1. *Ex S. Scriptura;* quae saepe honestatem iuramenti agnoscit, e. g.: «Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per nomen illius iurabis.»[1] S. Paulus pluries ipse iuravit: «Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo»[2]; «Ego autem testem Deum invoco.»[3] — Quodsi autem Christus[4] et Iacobus videantur reprehendere omne iuramentum, intelligendi sunt de iuramento illicito seu non vestito debitis conditionibus. Nam S. Paulus certo cognovit verba Christi, et tamen ipse pluries iuravit. Optime scribit de hac re S. Augustinus[5]: «Quia praecepti violati reum Paulum praesertim in epistolis conscriptis atque editis ad spiritualem vitam salutemque populorum nefas est dicere, intelligendum est illud, quod dictum est ‚omnino' ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum; ne scil. iurando ad facilitatem iurandi veniatur, et ex facilitate ad consuetudinem, et ex consuetudine in periurium decidatur.»

Prob. 2. *Ex Ecclesiae praxi et doctrina.* Semper in Ecclesia aeque ac in republica civili adhibitum fuisse iuramentum nemo est, qui neget. Doctrina autem Ecclesiae de hac re habetur in pluribus decisionibus contra Waldenses, Wicleffitas, Hussitas, Quesnellium, Synodum Pistoriensem latis[6].

Prob. 3. *Ex ratione.* Actus, cuius origo et finis est bonus, in se honestus est. Atqui iuramentum est tale. Etenim iuramentum procedit ex fide in Deum omniscium et vindicem iustitiae; finis autem iuramenti est, terminare controversias et adipisci plenam veritatem. Ergo iuramentum debitis conditionibus vestitum est aliquid honestum et est actus religionis[7].

Licet autem iuramentum sit in se honestum et licitum, tamen non est per se appetendum et nimis frequenter adhibendum, cum secus facile irrepant abusus[8]. Propter istos abusus nonnulli SS. Patres durius de iuramento locuti sunt, praesertim S. Chrysostomus et S. Hieronymus[9]. Ideo dicitur etiam in S. Scriptura: «Iurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa.... Vir multum iurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit; et si dissimu-

---

loco iuramenti adhibeant alias formulas confirmatorias veritatis dicendae. Cf. C.-P.-O. § 484; M.-St.-G.-O. § 198.

[1] Dt 6, 13. [2] Rom 1, 9.

[3] 2 Cor 1, 23; cf. etiam Phil 1, 8; Hebr 6, 13—18.

[4] «Audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino.... Sit autem sermo vester: est, est; non, non: quod autem his abundantius est, a malo est» (Mt 5, 33 sq 37). — S. Iacobus idem docet: «Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per coelum, neque per terram, nec aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: est, est, non, non: ut non sub iudicio decidatis» (Iac 5, 12).

[5] De mendacio c. 15 (*Migne,* Patr. lat. 40, 507).

[6] Cf. supra n. 439. [7] Cf. S. theol. 2, 2, q. 89, a. 2. [8] Cf. ib. a. 5.

[9] Non vacat textus SS. Patrum explicare, qui apparenter reiecerunt iuramentum; constat enim eosdem SS. Patres aliquando et ipsos licitum declarasse iuramentum. Videsis *Billuart,* De relig. diss. 5, a. 3.

laverit, delinquit dupliciter; et si in vacuum iuraverit, non iustificabitur.»[1] — Ratio autem intrinseca est, quia iuramentum est quasi medicina contra defectum humanae veracitatis et credulitatis. Si enim omnis homo semper verax esset, ita ut eius assertionibus plena fides praestari posset, iam superfluum esset iuramentum. Insuper iuramentum facile potest inducere periculum peccandi, cum conditiones omnes ad eius liceitatem requisitae saepe desint. Ergo patet, iuramentum non esse per se appetendum; sicut nec etiam homo appetit medicinam praeter casum necessitatis.

Conditiones requisitae ad iuramentum validum et licitum.

Ad iuramentum *validum* requiruntur duae conditiones, scil. 1. *intentio iurandi* et 2. *formula iuratoria;* ad *licitum* autem iuramentum insuper requiruntur tres conditiones, nempe 1. *veritas,* 2. *iustitia,* 3. *iudicium.*

441 **Conditiones requisitae ad *validum* iuramentum:**

1. **Intentio iurandi** *interna (sive actualis sive saltem virtualis)* prorsus necessaria est ad valorem iuramenti; ideoque sola externa et materialis prolatio formulae iuratoriae non est iuramentum verum, sed fictum. Fictum autem iuramentum videtur esse peccatum grave[2] (saltem si est libere et deliberate factum), cum sit gravis iniuria illata Deo, qui invocatione fallaci dehonoratur, et qui inducitur ad decipiendum audientes iuramentum. Unde damnata est propositio (25) ab Innocentio XI: «Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis.»[3] Hinc poenas periurii tum apud Deum tum apud homines non effugiunt, qui in tribunali libere praestant quidem formulam iuratoriam, sed interius animum iurandi cohibent. — Ad veram et sufficientem intentionem iurandi requiritur, ut iurans cognoscat, quid sit iuramentum, atque ut habeat sufficientem deliberationem tum de ipso actu iurandi, tum de materia iuramenti. Propter defectum verae intentionis iurandi quam plurimae formulae confirmatoriae, quae adhiberi solent in conversationibus humanis, non sunt vera iuramenta; e. g. assero hoc per fidem meam, per honorem meum, per conscientiam meam; haec tam vera sunt quam lumen solis, quam exsistentia Dei; diabolus me rapiat, si hoc falsum est etc. Sane istae similesve formulae loquendi significant loquentem intendere magnam confirmationem suae assertionis, sed minime constat, num revera velit invocare Deum tamquam testem. Fideles monendi sunt, ut abstineant ab huiusmodi locutionibus utpote vanis, immo saepe peccaminosis. *Sit sermo vester: est, est; non, non;* ita monet Dominus. — In foro externo semper supponitur vera intentio iurandi, quando prolata est vera formula iuratoria.

442 2. **Formula iuratoria** requiritur ad valorem iuramenti, quoniam debet esse signum externum ad confirmandam assertionem factam.

---

[1] Eccli 23, 9 12 sqq.

[2] Si nonnulli auctores iuramentum fictum libere factum vocant peccatum veniale aut etiam nullum peccatum, vel falsum docent, vel sumunt iuramentum fictum in latiore sensu, in quantum est mera assumptio vana nominis Dei.

[3] *Denz.* n. 1175.

Quae quidem formula necessario continet Dei invocationem explicitam aut saltem implicitam, cum ad essentiam iuramenti pertineat invocatio Dei in testem veritatis. In iure ecclesiastico solet adhiberi formula iuratoria: «Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.» In iuribus civilibus quoque determinatae formulae solent praescribi; quae si neque in se neque ex intentione legislatoris continent invocationem Dei, non sunt vera iuramenta religiosa [1]. In iuramentis privatis nulla determinata formula requiritur, sed sufficit, ut quis signis aut verbis intendat invocare divinum nomen in testimonium veritatis; immo Deo ipsi posset iuramentum praestari per actum internum, e. g. aliquis interne invocat Deum tamquam testem, ut firmiter velit vitare aliquam occasionem peccandi.

Scholion. De formulis iuratoriis recte intelligendis. Solent hic 443
auctores texere sat longum elenchum formularum iuramenti expliciti aut impliciti; pariter afferunt plures formulas ambiguas aut certe nullum iuramentum continentes. Quae quidem videntur esse parvae utilitatis, tum quia valor iuramenti, licet non unice, tamen principaliter ab intentione loquentis dependet, tum quia in diversis regionibus diversa est acceptatio istarum formularum. Breviter notentur sequentia:

a) Formulae loquendi, in quibus explicite aut implicite invocatur Deus in testem veritatis, sunt vera iuramenta, *obiective loquendo;* e. g. «Testis sit mihi Deus»; «Iuro per Deum, per Christum»; «Iuro per B. Virginem, per crucem, per Evangelia, per animam meam» etc. Subiective autem loquendo, istae similesve formulae loquendi aliquando neque ex intentione loquentis, qui illas sine ulla seria deliberatione et ex inveterata consuetudine profert, neque ex acceptione audientium tamquam verum iuramentum habendae sunt. Si quis enim e. g. fere quamlibet suam assertionem confirmat exclamando: «Ita est, per Deum» [2], sane iste modus loquendi est quidem serio vituperandus tamquam intolerabilis abusus nominis Dei, sed neque ipse loquens neque audientes putant, quamlibet assertionem sic confirmatam esse iuramentum.

b) Formulae, in quibus neque explicite neque implicite invocatur Deus tamquam testis, non sunt iuramentum. Hinc si quis dicat: per conscientiam meam, per honorem meum; vel si sacerdos dicat: per consecrationem meam; vel si princeps confirmet verbum suum: per honorem meum regium: non emittit quidem iuramentum religiosum, sed istae similesve formulae loquendi nihilominus solent haberi tantae confirmationes veritatis, ut earum laesio putaretur vere turpis ac scandalosa.

c) Formulae, quibus veritas assertionis comparatur cum veritatibus fidei, nec etiam sunt iuramentum. Hinc formulae: «Tam verum est quam Deus est; quam Christus est in venerabili Sacramento; tam innocens sum quam B. Virgo» etc. neque iuramentum continent, cum non sint invocationes testimonii Dei; neque sunt blasphemiae, cum proferens non soleat intendere, ut assertio sua eandem certitudinem habeat ac veritas fidei enuntiata [3]. Sed per se patet, huiusmodi locutiones esse prorsus vitandas.

---

[1] Sic e. g. formula a Mennonitis adhibita: «Ich schwöre bei Manneswahrheit», non est iuramentum religiosum.

[2] «Bei Gott, das ist wahr!»

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 137.

444 **Conditiones requisitae ad *licitum* iuramentum.**

Ad licitum iuramentum requiruntur tres conditiones iam supra enumeratae, quae solent vocari *comites iuramenti*, et quae iam a Ieremia indicantur: «Iurabis: Vivit Dominus in veritate et in iudicio et in iustitia.»[1] Deficiente vel una ex istis conditionibus, iuramentum caret debita reverentia erga Deum, ac proinde est illicitum.

1. **Veritas** iuramenti non significat veritatem obiectivam assertionis factae, sed veracitatem loquentis, qui non loquitur contra mentem suam, seu qui non dicit mendacium morale. Supponit igitur ista veritas firmam voluntatem verum dicendi aut implendi promissa. Veritas est principalior comes iuramenti; quo deficiente adest gravissimum peccatum periurii, de quo infra n. 456 sqq sermo redibit. Non solum autem requiritur, ut iurans evitet omne mendacium morale, sed etiam necesse est, ut habeat moralem certitudinem de rebus assertis. Hinc non licet iurare neque cum dubio neque cum probabili tantum veritate. Pariter numquam licet iurare cum restrictione pure mentali. Ita sententia communissima, quae corroboratur ex damnatione propositionum 26 et 28 ab Innocentio XI prolata[2]. — Iurare autem *cum restrictione late mentali* non licet nisi ex gravi causa; in eo scil. casu, quo nullum aliud praesto est medium, seipsum aut alios tuendi contra iniustam aggressionem, iniustum modum interrogandi aut aliud grave malum. Sic confessarius, qui inique cogitur ad testimonium iuratum ferendum de rebus, quas sub sigillo confessionali cognovit, potest, immo et debet iurare cum restrictione mentali. Sed quaeritur, quantum peccatum sit sine sufficienti causa iurare cum restrictione late mentali? Multi auctores docent, tale iuramentum esse peccatum mortale, cum sit gravis irreverentia contra Deum adhibere invocationem nominis illius ad decipiendum alios. S. Alphonsus[3] admittit hanc doctrinam de iuramento in iudicio aut in contractibus, sed putat esse probabilius solum peccatum leve, si quis sine sufficienti ratione adhibeat restrictionem late mentalem in aliis iuramentis privatis, quia in tali iuramento non deest veritas, cum verba prolata possint in recto sensu facile intelligi; neque etiam deest iustitia, quia interrogans nullum ius habet — ut supponitur — ad responsionem simplicem sine restrictione. Laeditur igitur solus tertius comes iuramenti, nempe iudicium sive discretio, cuius laesio non est nisi peccatum leve. Licet haec vera sint, tamen in praxi iste casus vix possibilis esse videtur. Etenim iam prohibitum est ne quis iuret sine necessitate aut gravi ratione. Ergo multo severius est prohibitum, ne quis sine necessitate iuret cum restrictione mentali.

445 2. **Iustitia** tamquam secundus comes requiritur in iuramento tum assertorio tum promissorio; consistit autem in hoc, quod iurans neque quid asserat neque quid promittat, quod est illicitum.

---

[1] Ier. 4, 2. Cf. etiam S. theol. 2, 2, q. 89, a. 3.

[2] Cf. quae supra n. 171 de restrictione mentali dicta sunt.

[3] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 151.

In iuramento assertorio iustitia exigit, ne quis alterius famam indebite laedat, e. g. sine sufficienti causa manifestet crimen occultum alterius; neve quis laedat proximum in fortuna; neve se iactet de proprio crimine commisso. Laesio iustitiae in iuramento assertorio est peccatum, cuius gravitas dependet a) ex gravitate iniustitiae commissae, b) ex intentione iurantis. Unde videtur esse peccatum mortale, si quis utitur iuramento *tamquam instrumento* ad persuadendam detractionem [1]; quia sic invocando Deum in testem eum traducit quasi in coadiutorem sui criminis. Fere idem dicendum esse videtur, si quis narrans sua peccata confirmat illa iactantiae causa per iuramentum. Attamen in praxi videndum est prius, num in hisce locutionibus verum iuramentum adfuerit; nam saepe neque locutio ipsa continet invocationem nominis Dei, neque loquens habuit intentionem invocandi Deum in testem sui peccati.

In iuramento promissorio exigit iustitia, ut iurans nihil mali promittat. Unde certo committit duplex grave peccatum, qui iurat se esse patraturum *grave aliquod delictum* (e. g. adulterium, homicidium etc.): alterum peccatum offendit virtutem, quam quis laedere intendit; alterum autem peccatum est gravis laesio virtutis religionis, quoniam iurans quasi irrisorie Deum invocat testem, quod velit eum graviter offendere. Ita docent omnes. Sin autem iuramentum est *de re leviter mala* facienda, e. g. de mendacio aut deceptione levi, nonnulli graves auctores, ut Dom. Soto [2], Caietanus [3], Sylvius [4], Busenbaum [5], Noldin [6] etc., existimant, id esse tantum peccatum veniale, quia non est nisi levis irreverentia Dei. Alii autem auctores, ut S. Alphonsus [7], Billuart [8], Tanquerey [9], Göpfert [10] etc., probabilius putant, in hoc quoque casu committi grave peccatum; quia videtur esse gravis iniuria Deo illata, ipsum invocare in testem et velut patronum iniquitatis etiam venialis. Videtur enim esse contemptus et irrisio Dei (qui abhorret ab omnibus peccatis etiam levibus), si homo volens committere leve peccatum confirmat suam pravam intentionem invocando testimonium divinum.

Ex dictis sequitur solutio sequentium casuum: 1. Aliquis Francomurator iurat, se persecuturum esse Ecclesiam. Est duplex peccatum mortale, scil. persecutionis Ecclesiae et sacrilegi iuramenti. 2. Aliquis iurat, se dicturum esse mendacium iocosum. Est duplex peccatum, nempe peccatum leve mendacii iocosi et peccatum grave sacrilegi iuramenti. Raro tamen formulae confirmatoriae futuri peccati venialis faciendi habent rationem veri iuramenti, ob defectum intentionis tum in illo, qui loquitur, tum in illis, qui audiunt loquentem. Unde prima sententia, licet sit theoretice considerata minus vera, tamen practice teneri potest.

Communiter docent Theologi, non esse nisi peccatum leve, si quis iurat omissionem alicuius actus boni consulti quidem sed non praecepti, e. g. non

---

[1] Cf. ib. n. 146. [2] De iure et iust. l. 8, q. 2, a. 3, concl. 5.
[3] Comm. in 2, 2, q. 89, a. 7. [4] Comm. in eundem loc.
[5] Apud *S. Alph.* l. c. n. 146. [6] De praeceptis n. 255.
[7] L. c. [8] De relig. diss. 5, a. 4. [9] De virt. relig. n. 951.
[10] Moraltheol. I 355.

intrandi in religonem, non dandi eleemosynam extra casum necessitatis. De quo casu dicit Angelicus Doctor[1]: «Si quis autem iurat, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat iuramentum servando, sed multo melius facit, si non servet.»

446 3. **Iudicium** tamquam tertius comes iuramenti exigit debitam discretionem, ut adsit a) iusta causa iurandi; b) debita reverentia in ipso actu iurandi. — Defectus istius comitis ordinarie non est nisi veniale peccatum; suppositis tamen duobus aliis comitibus iuramenti. Ratio est, quia tota malitia defectus iudicii consistit in hoc, quod vane et superflue, seu non satis reverenter invocetur divinum testimonium; quod quidem ex se non videtur excedere culpam venialem[2]. Peccant igitur per se tantum venialiter illi, qui frequenter iurant sine necessitate, qui iurant iocose, qui iurant cum insufficienti reverentia; per accidens autem defectus iudicii in iuramento potest esse grave peccatum, si nempe inde oriatur scandalum aut proximum periculum peccandi contra veritatem aut iustitiam iuramenti[3]. Cum defectus iudicii tam saepe adsit in iuramentis ac tot pericula peccati inducat, inde Christus, S. Iacobus, S. Chrysostomus, S. Hieronymus iusserunt non iurare omnino[4].

§ 3.

De obligatione iuramenti.

447 **Praenotamen.** Agendo de obligatione iuramenti praesertim sermo est de iuramento promissorio. Licet enim iuramentum assertorium in ipso actu iurandi stricte exigat et obliget, ut dicatur veritas, cum secus committatur gravissimum peccatum periurii, tamen, iuramento assertorio semel rite praestito, iam nulla alia obligatio exsistit. Sane potest oriri gravis obligatio reparandi damnum causatum ex iuramento assertorio falso aut iniusto, sed talis obligatio oritur solummodo per accidens, scil. ex abusu iuramenti; atque non est propria iuramento, sed communis omni actioni iniustae. Restat igitur, ut de sola obligatione iuramenti promissorii agatur. Haec autem obligatio est duplex: 1. iurans debet in actu iurandi habere sinceram voluntatem adimplendi ea, quae promittuntur; 2. iurans debet tempore stabilito aut opportuno (si nullum tempus fuit stabilitum) reapse adimplere ea, quae iuramento promisit. — Ex ordine tractamus 1. de ipsa obligatione iuramenti promissorii, 2. de interpretatione huius obligationis, 3. de cessatione huius obligationis.

448 1. **Exsistentia obligationis.**

Principium. *Iuramentum promissorium debitis conditionibus vestitum inducit obligationem servandi ea, quae iurata fuere. — Quae quidem obligatio est gravis vel levis pro gravitate materiae promissae.*

Explicatur. a) Iuramentum promissorium debitis conditionibus vestitum obligare in conscientia facile probatur tum ex S. Scriptura, tum ex ratione.

[1] S. theol. 2, 2, q. 89, a. 7 ad 2. [2] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 5, a. 4.
[3] *Fahrlässiger Meineid.* [4] Cf. textus supra n. 440 allatos.

«Reddes Domino iuramenta tua!»[1] «Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.»[2] — Accedit ratio: Iurando homo Deum invocat quasi fideiussorem exsecutionis rei promissae. Porro est magna irreverentia Deo illata, si quis culpabiliter tale promissum non servat, cum hoc sit contemptus et vilipensio Dei tamquam testis.

Qui ergo laedit iuramentum promissorium simplex, committit unum peccatum, scil. irreverentiae erga Deum; qui laedit *votum iuratum*, duo peccata committit, nempe peccatum irreverentiae, ob laesum iuramentum, et peccatum infidelitatis erga Deum, ob laesum votum. Nam licet sit contra eandem virtutem religionis tum laesio iuramenti tum laesio voti, tamen in utraque est specifica diversa malitia, cum in tali iuramento laedatur invocatio divini testimonii, in voto autem transgresso laedatur fidelitas Deo promissa. — Qui laedit *pactum iuratum*, pariter committit duo peccata: alterum contra religionem, alterum contra iustitiam. Demum qui laedit *votum cum pacto iurato*, committit tria peccata propter triplicem laesionem, scil. voti, pacti, iuramenti.

Quaeres: Utra obligatio est gravior (ceteris paribus), voti an iuramenti? Ceteris paribus videtur gravior esse obligatio voti, quippe quod obliget ex fidelitate erga Deum; iuramentum autem promissorium obligat potius ex reverentia Dei tamquam fideiussoris invocati. Porro fidelitas videtur esse strictior obligatio quam simplex reverentia, cum omnis infidelitas irreverentiam contineat, non autem vice versa[3].

b) Secunda pars principii enuntiati valde controvertitur; omnes quidem 449
docent esse grave peccatum periurii, si quis culpabiliter non praestat *gravem materiam* iuramento promissam, sed plures clari auctores, ut Caietanus[4], Lessius[5], Valentia[6] et praesertim Concina[7] autumant, non dari parvitatem materiae in laesione validi iuramenti promissorii, quia omnis laesio iuramenti est periurium et omne periurium est peccatum mortale. Monent autem isti auctores, se solummodo loqui de iuramentis validis cum seria deliberatione factis, non autem de illis, quae sine seria deliberatione aut intentione iurandi fiunt. Hinc etiam ipsi concedunt, non peccare mortaliter matres, qui pueris sub iuramento spondent pomum, quem tamen postea revera non dant; econtra dicunt, peccare mortaliter eum, qui serio et deliberate iuravit se daturum esse unum obolum et postea hunc obolum culpabiliter recusat. — Longe communior autem et probabilior sententia admittit parvitatem materiae in laesione iuramenti promissorii. Sane si quis iurans *inde ab initio* noluit iuramentum exsequi etiam in materia levi, est peccatum mortale periurii, non quidem ob ipsam materiam praestandam, sed propter *mendacium iuramento confirmatum*. Sed tunc iam non proprie laeditur iuramentum promissorium, sed assertorium; asserit enim iurans se velle dare talem materiam, et revera non vult hoc, saltem secundum materiam levem. Ergo talis iurans invocat Deum tamquam testem mendacii; quod est gravis irreverentia ac proinde grave peccatum. — Dari autem parvitatem materiae in laesione iuramenti

[1] Mt 5, 33. [2] Num 30, 3. [3] S. theol. 2, 2, q. 89, a. 8.

[4] *Caietanus* (in sua Summa, s. v. «iuramentum promissorium») simpliciter docet, omnem laesionem iuramenti promissorii esse peccatum mortale; quam quidem doctrinam aliqualiter mitigat in Comm. in 2, 2, q. 89, a. 7.

[5] De iust. l. 2, c. 42, dub. 5. [6] In 2, 2, disp. 6, q. 7, punct. 3, concl. 3.

[7] In Decal. l. 5, diss. 2, c. 1.

promissorii iam inde eruitur, quod obligatio iuramenti promissorii est minor quam obligatio voti, ut supra ex Angelico Doctore dictum est. Iamvero in violatione voti datur parvitas materiae, ut omnes concedunt. Ergo a fortiori datur parvitas materiae in laesione iuramenti promissorii. — Praeterea, ut dicit S. Thomas[1], «qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente; si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc, quod animum mutat». Porro infidelitas certo admittit parvitatem materiae, ita ut in re parva non sit peccatum grave. Sententiam propositam de parvitate materiae in iuramento promissorio ut probabilem aut etiam ut probabiliorem propugnant S. Antoninus[2], S. Alphonsus[3], Dom. Soto[4], Ioannes a S. Thoma[5], Silvester Prierias[6] et fere omnes moderni[7]. Hinc si quis iuravit observare statuta alicuius collegii, capituli aut Universitatis, et postea parvum aliquod statutum violavit, non peccat nisi venialiter; si quis iuravit, se non amplius bibiturum esse vinum, et postea parum aliquid sumpserit, non peccat graviter. — Quaenam autem sit parvitas in laesione iuramenti promissorii? Eadem dicenda sunt, quae supra n. 405 statuta fuere pro laesione voti; immo cum iuramentum, ceteris paribus, non tam stricte liget quam votum, materia transgressionis in eo potest aliqualiter augeri, antequam perveniatur ad grave peccatum.

450 **Conditiones requisitae ad obligationem inducendam.**

Debitae conditiones iuramenti promissorii ad eius obligationem inducendam requiruntur tum ex parte *materiae* tum ex parte *iurantis*.

Ex parte materiae requiritur, ut res iuramento promissa sit: a) *possibilis;* b) *bona ac honesta*. Hinc invalidum est iuramentum de re impossibili, inhonesta aut etiam prorsus vana et inutili. Ratio primi est, quia nemo potest se obligare ad rem impossibilem; ratio secundi est, quia secus oriretur manifestus conflictus officiorum: etenim ex iure naturali homo tenetur vitare omnem actum inhonestum et illicitum; ex iuramento autem deberet eundem actum praestare. Unde dicit Regula iuris 58 in VI°: «Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.»[8] Ratio tertii est, quia omne verum iuramentum debet intendere cultum Dei. Porro rebus prorsus vanis et inutilibus Deus coli nequit[9]. Propter materiam ineptam invalida sunt e. g. iuramenta Francomuratorum, iuramentum de mendacio dicendo, de vindicta sumenda. Iuramenta quoque parentum aut dominorum, quibus minantur, se filios aut servos tali determinato modo punituros, verberaturos, eiecturos, fere semper sunt invalida, tum quia deest vera intentio iurandi, tum quia valde dubium est, num materia talis iuramenti sit de materia apta et utili.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 110, a. 3 ad 5.
[2] S. theol. P. 2, tit. 10, c. 4, § 1. [3] Theol. mor. l. 3, n. 173.
[4] De iure et iust. l. 8, q. 1, a 7, dub. 1.
[5] In 2, 2, q. 88, disp. 29, a. 8.
[6] Summa Summ., s. v. «Iuramentum» 4, q. 1.
[7] Cf. *Göpfert*, Moraltheol. I 357. [8] Cf. etiam c. 1, II 11 in VI°.
[9] Cf. quae supra n. 400 de materia voti dicta sunt.

Scholion. De obligatione iuramenti fidelitatis. Specialis difficultas 451
oriri potest circa sic dictum *iuramentum fidelitatis* [1], i. e. iuramentum oboedientiae et fidelitatis, quod principibus aut auctoritati publicae praestare debent officiales, milites, immo et in nonnullis regionibus episcopi. Quod quidem iuramentum fidelitatis (supposito legitimo gubernio) per se licitum est. Si quando sacerdotes aut episcopi cogantur ad praestandum huiusmodi iuramentum, imprimis attendenda sunt Concordata inter S. Sedem et gubernium vigentia. Deinde iurans non potest neque debet ex virtute religionis se obligare ad observandas omnes et singulas leges etiam iniquas istius regionis, sed debet semper subaudire clausulam: *salvis legibus Dei et Ecclesiae.* Ceterum sensus iuramenti praestiti non alius solet esse ac ut sacerdos aut episcopus nihil velit moliri contra legitimam auctoritatem civilem, et quod intendat fideliter munus sibi concreditum exercere. Officiales et milites non obligantur vi iuramenti fidelitatis *ad res illicitas,* cum nemo possit se obligare coram Deo ad rem illicitam. Miles, qui iuramento fidelitatis emisso deserit exercitum, certo peccat, nisi tamen a) iniuste ad servitium militare coactus fuerit; b) versetur propter militiam in urgentissimo periculo salutis aeternae. Uterque casus nostris temporibus vix umquam accidere potest, si agitur de *laicis* ad servitium militare destinatis. Pericula enim salutis aeternae in exercitu exsistentia possunt etiam praecaveri aliis mediis ac desertione, e. g. vitando malos socios aut eos denuntiando legitimae auctoritati. Miles, qui modo illicito exercitum iam deseruit, non debet a confessario cogi ad redeundum in exercitum, tum a) quia acerbissimae poenae illi infligentur, tum b) quia reipublicae non tam grave damnum causatur ex desertione unius alteriusve militis, tum c) quia monitio confessarii probabiliter foret inefficax.

Ex parte iurantis requiritur, ut adsit a) intentio iurandi; b) suf- 452
ficiens deliberatio et libertas; c) ut desit error substantialis.

a) De *intentione* ad valorem iuramenti necessaria iam supra n. 441 dictum est.

b) Ea *deliberatio* censetur sufficiens, quae requiritur ad actum perfecte humanum aut etiam ad contractum onerosum ineundem. Propter defectum sufficientis deliberationis invalida sunt iuramenta ebriorum, amentium, furiosorum, aliorumque carentium perfecto usu rationis.

Libertas quoque requiritur ad valorem iuramenti, ita ut iuramentum *vi* seu *violentia* extortum sit prorsus invalidum; sed valde controvertitur, num iuramentum sub influxu *gravis metus* emissum sit validum. Omnes quidem conveniunt, iuramenta facta sub influxu gravis metus iniuste incussi posse a legitima auctoritate rescindi; pariter omnes concedunt, illum qui ex gravi metu iniuste incusso iuramentum emisit, posse in iudicio repetere ea, quae propter tale iuramentum solvit. Demum, iure positivo sic statuente, quaedam iuramenta ex gravi metu facta sunt eo ipso invalida, e. g. de sponsalibus et matrimoniis ineundis [2], de professione religiosa facienda [3]. Verum praecisis istis casibus, sententia communior et probabiliter docet, iuramenta ex gravi

---

[1] *Diensteid, Amtseid, Fahneneid.* [2] Cf. infra in tractatu de matrimonio.
[3] c. 1, X 1, 40; Conc. Trid. sess. 25, c. 19 de regular.

metu facta esse valida. Ita S. Thomas[1], S. Alphonsus[2], Dom. Soto[3], Billuart[4], Suarez[5], Lugo[6], Göpfert[7] aliique. Quae quidem sententia valde confirmatur ex pluribus textibus iuris canonici, ubi tamquam regula generalis ponitur dictum Alexandri III: «*Non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae.*»[8] Porro observare iuramentum metu extortum non vergit in interitum salutis aeternae. Insuper communiter affirmatur, talem libertatem ad iuramentum sufficere, qualis necessaria est ad peccatum mortale perpetrandum. Iamvero certum est, metum gravem non excusare semper a peccato mortali. — Breviter et clare explicat hanc sententiam Angelicus Doctor[9]: «In iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio: una quidem, qua obligatur *homini,* cui aliquid promittit; et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis *Deo* obligatur, ut impleat, quod per nomen eius promisit; et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia magis debet damnum temporale sustinere quam iuramentum violare. Potest tamen repetere in iudicio, quod solvit; vel praelato denuntiare, non obstante, quod contrarium iuravit; quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra iustitiam publicam.» — Iuramentum metu iniusto extortum esse inde ab initio invalidum, docent nonnulli auctores, e. g. Ballerini[10], Noldin[11], Tanquerey[12], quorum rationes hae sunt: Promissio, quae in iniuria fundatur, iure naturali invalida est; Deus autem non censetur sua auctoritate firmare eiusmodi promissionem iniuste extortam. Insuper, ut Ballerini[13] dicit: «Frustanea videtur obligatio dandi propter iuramentum [iniusto metu extortum]. Numquid enim religio imponet ridiculam obligationem, ut ponam actum materialem dandi id, quod propria deinde auctoritate possum tollere et recuperare, quodque alter accipere licite non potest?» Prima sententia et propter rationes intrinsecas et auctoritates extrinsecas est omnino praeferenda, neque nimis dura est in praxi, cum praesto sint media facilia ad iniuriam metus iniusti resarciendam, scil. dispensatio legitima et iudicium competentis iudicis[14].

c) *Error substantialis* iuramentum irritat eodem modo, quo invalidat votum cum tali errore emissum; error autem accidentalis non invalidat neque iuramentum neque votum. Cf. quae supra n. 396 dicta sunt de votis cum errore factis.

453 2. **Interpretatio iuramenti** facienda est iuxta tres regulas sequentes:

[1] S. theol. 2, 2, q. 89, a. 7 ad 3, et q. 98, a. 3 ad 1.
[2] Theol. mor. l. 3, n. 174. [3] De iure et iust. l. 8, q. 1, a. 7.
[4] De relig. diss. 5, a. 6, § 3. [5] De relig. tr. 5, l. 2, c. 10, n. 4.
[6] De iust. disp. 22, n. 194. [7] Der Eid 288. [8] c. 8, X 2, 24.
[9] S. theol. 2, 2, q. 98, a. 3 ad 3. [10] *Gury*, Cas. consc. I, n. 314.
[11] De praeceptis n. 250. [12] De virt. relig. n. 955.
[13] L. c. [14] Optime solvit difficultates adversariorum *Billuart* l. c.

Prima regula. Iuramentum promissorium est strictissimae interpretationis. Sunt equidem verba iuramenti in obvio sensu intelligenda, sed, dubio prudenti suboriente, iuranti est imponenda obligatio, quanto minor potest. Ita sententia communis, cuius ratio est, quia iurans non censetur voluisse se obligare ultra strictum sensum verborum. Nec obstat, quod iuramentum est in favorem religionis interpretandum; quia quo benignius iuramentum interpretatur, eo rarius laeditur, eo tutius observatur, et eo sanctius religio conservatur.

Secunda regula. In omni iuramento promissorio quantumvis absolute prolato subintelliguntur sive ex natura rei, sive ex iuris positivi dispositione, sive ex consuetudine sequentes conditiones et limitationes:

a) «*Si potero physice et moraliter, observabo iuramentum.*» Nemo enim sanae mentis vult se obligare ad impossibile.

b) «*Salvo iure superioris.*» Subditus enim nequit ius superioris diminuere; is autem ex iusta causa potest relaxare aut dispensare iuramentum.

c) «*Nisi alter obligationem meam remiserit cedens iuri suo.*» Principalis enim obligatio iuramenti oritur ex promissione facta. Iamvero si alter remittit obligationem promissionis, eo ipso etiam remittit obligationem iuramenti. Hinc sponsalia iurata possunt mutuo consensu libero dissolvi.

d) «*Si res non fuerint notabiliter mutatae.*» Notabilis enim mutatio superveniens producit quasi novum obiectum, ad quod intentio iurantis non praesumitur se extendisse; e. g. si iuvenis sub iuramento promiserit puellae matrimonium, nihilominus non amplius tenetur promissionem iuratam exsequi, si puella fornicata fuerit aut in gravem et incurabilem infirmitatem inciderit. Ceterum hic valent ea, quae supra n. 410 de cessatione voti ob mutationem notabilem materiae diximus.

e) «*Si alter suis promissis non steterit.*» Frangenti enim fidem, fides frangatur eidem, seu ut dicit Regula iuris 75 in VI°: «Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.»

Tertia regula. Iuramentum promissorium generatim sequitur naturam et conditiones actus, cui additum est. Ratio est quia iuramentum assumitur ad firmandum actum addendo obligationem religionis, ac proinde est aliquid accessorium actus principalis. Iamvero «accessorium naturam sequi congruit principalis», ut dicit Regula iuris 42 in VI°. Ex hac regula deducitur, illum, qui iuravit, se servaturum decreta et statuta alicuius congregationis, capituli, Universitatis, non teneri observare omnia haec aliter, ac ea observantur ab aliis bonis membris eiusdem societatis. Hinc ea, quae communiter negliguntur, etiam ab ipso negligi possunt; quae obligant ex se sub levi, non aliter observari debent propter iuramentum factum; quae obligant ex sola quadam decentia, etiam non magis obligant ex iuramento [1].

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 181. Etiam iuramentum de servando secreto intelligitur secundum gravitatem materiae, ita ut laesio huius secreti in materia gravi sit grave peccatum; in materia autem levi, leve peccatum; in materia nullius momenti sit nullum peccatum. Cf. *Billuart* l. c.

454 3. **Cessatio obligationis iuramenti promissorii** potest produci aut a causis extrinsecis aut a causis intrinsecis. Ex *causis intrinsecis* cessat obligatio iuramenti fere eodem modo ac votum, scil. per substantialem mutationem materiae (ut si facta fuit illicita aut impossibilis); per cessationem finis essentialis (ut si quis iuramento promiserit eleemosynam pauperi Petro, qui nunc subito factus est dives aut mortuus est)[1].

Causae extrinsecae, quae producunt cessationem iuramenti, sunt:

a) *Condonatio* illius, in cuius favorem facta fuit promissio iuramento confirmata, ut patet ex regula secunda litt. c) supra allata.

b) *Irritatio* legitimi superioris, qui habet potestatem dominativam aut in voluntatem iurantis aut in materiam iuramenti. Qui autem habet potestatem irritandi vota, habet etiam potestatem irritandi iuramenta[2].

c) *Dispensatio et commutatio.* Probabilius omnes illi, qui possunt dispensare aut commutare vota, habent etiam potestatem dispensandi et commutandi iuramenta; idque valet *etiamsi votum ipsum est iuratum.* Ratio est, tum quia obligatio voti est maior obligatione iuramenti, tum quia in omni iuramento intelligitur inde ab initio adiecta conditio: salvo iure superioris dispensandi. Circa dispensationem iuramentorum auctores minime concordant; duo tamen sunt certa: *α*) Omnes qui habent *potestatem ordinariam* dispensandi in votis, ut sunt episcopi aliique praelati quasi-episcopalem iurisdictionem habentes, possunt etiam dispensare in iuramentis, sive sunt sola sive sunt coniuncta cum votis. Immo S. Alphonsus[3] docet (contradicentibus tamen pluribus), iuramenta sola, i. e. nisi sint coniuncta cum voto, numquam esse Summo Pontifici reservata. Unde episcopus (et idem valet de confessario regulari) potest dispensare a iuramento ingrediendi in religionem approbatam. *β*) Confessarii regulares possunt commutando dispensare in votis etiam iuratis, «dummodo commutatio in alterius praeiudicium non fiat». Ita Gregorius XIII[4] concessit Patribus Iesuitis et proinde omnibus regularibus communicationem privilegiorum habentibus. — Num autem alii (praeter episcopos et confessarios regulares), qui *ex potestate delegata* possunt dispensare in votis, eo ipso etiam in iuramentis valeant dispensationem concedere, non constat. S. Alphonsus[5] negat, et eius sententia videtur esse confirmata a S. Congr. de Prop. Fide d. 19 Maii 1845 respondente: «Facultatem dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando per se non includere.»[6] Nihilominus ipse S. Doctor vocat sententiam contrariam probabilem, et haud immerito Ballerini-Palmieri[7], Lehmkuhl[8], Génicot[9], Noldin[10] putant esse in praxi tutum uti facultate dispensandi in votis etiam pro dispensatione iuramentorum.

---

[1] Cf. quae supra n. 410 de cessatione voti dicta sunt.
[2] Cf. supra n. 416. [3] Theol. mor. l. 3, n. 259.
[4] Const. «Decet Romanum Pontificem». [5] L. c. n. 190.
[6] Collect. de Prop. Fide n. 994. [7] Opus theol. II, n. 595 sqq.
[8] Theol. mor. I, n. 630. [9] Cas. consc. I 307.
[10] De praeceptis n. 253. Cf. etiam *Billuart,* De relig. diss. 5, a. 9, et *Göpfert,* Der Eid 352, ubi omnes aliae sententiae bene discutiuntur.

Ceterum iuxta praesentem disciplinam Curiae Romanae solet insimul delegari facultas dispensandi a votis et iuramentis.

d) *Relaxatio,* quae in hoc differt a dispensatione, quod dispensatio solet concedi in favorem *iurantis,* relaxatio autem iuramenti communiter imponitur propter graves rationes ex parte illius, in cuius favorem prolatum fuit iuramentum. Relaxatio haec similis est irritationi iuramenti, sed non exercetur nisi a Summo Pontifice [1], et quidem: a) propter boni communis damnum praecavendum. Bonum enim privatum debet cedere bono communi. Ideo Papa relaxat ex gravi causa sponsalia etiam iurata, si e. g. secus sponsus infidelis matrimonium mere civile contraheret aut in concubinatu viveret. Sane sponsa sic derelicta magnum damnum ex tali relaxatione pati potest, sed Ecclesia nequit cogere sponsum infidelem ad nuptias promissas, et ex alia parte debet propter bonum commune evitare pro viribus matrimonia mere civilia et concubinatus. b) In poenam criminis commissi. Quare antiquis temporibus Summi Pontifices non semel relaxarunt iuramentum fidelitatis civium propter crimina principis excommunicati. c) Ad iniuriam resarciendam, quae iuranti inflicta fuit, si scil. metu aut dolo ad iuramentum inductus fuit [2].

Scholion. Quinam iurare possint. Si consideratur solum *ius naturale,* 455
tunc omnis creatura rationalis ratione utens, sive angelus, sive homo, sive pubes, sive impubes, et etiam ipse Christus, qua homo, iurare potest. Ratio est, quia omnes creaturae possunt dicta sua confirmare per testimonii divini invocationem. Si quando Deus ipse in S. Scriptura inducitur iurare, hoc non est iuramentum proprie dictum, quia nemo potest seipsum invocare in testem veritatis; et praesertim hoc non fit, quasi verba divina egerent confirmatione, sed talia iuramenta ostendunt Dei immobilitatem [3].

Ex iure ecclesiastico non coguntur ad iusiurandum sollemne pueri ante annum decimum quartum aetatis suae [4]; non admittuntur ad iuramentum illi, qui iam convicti fuerunt de periurio [5]. Clerici non debent iurare in tribunali laicali, nisi obtenta praevia licentia episcopi aut legitimi praelati [6]. Sacerdotes ratione dignitatis suae non debent nisi ex gravi causa iurare etiam in iudicio ecclesiastico, quia dubitare de eorum veracitate est derogare statui ipsorum [7].

Ex iuribus civilibus non solent admitti ad iuramenta iudicialia illi, qui nondum 16 annos nati sunt [8]. Pariter plures alii excluduntur. Alii econtra possunt recusare iuramentum. De his omnibus, utpote unice ad ius ecclesiasticum aut civile pertinentibus, non vacat hic longius agere.

§ 4.

De laesione iuramenti seu de periurio.

Notio. Periurium in lato sensu acceptum est quodlibet iuramentum 456
illicitum, cui scil. deest unus ex tribus comitibus supra indicatis. Per-

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 89, a 9 ad 3. [2] Ib. a. 7 ad 3. [3] Ib. a. 10 ad 4.
[4] c. 15 et 16, C. XXII, q. 5. [5] Ib. c. 14.
[6] S. Offic. d. 23 Ian. 1886. [7] S. theol. l. c. a. 10.
[8] Cf. Deutsche Zivilprozeßordnung § 435 et Strafprozeßordnung § 56.

iurium instricto sensu est morale mendacium iuramento confirmatum. Non autem adest periurium, si quis sub iuramento asserit errorem, quem invincibiliter putat esse veritatem.

457 **Principium 1.** *Iuramentum cum defectu veritatis prolatum seu periurium stricte dictum est peccatum mortale ex toto genere suo.*

Ita sententia communissima et certa. Unde damnavit Innocentius XI propositionem (24): «Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.»[1] Et inter interrogationes proponendas Wicleffitis et Hussitis habetur etiam: «Utrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conservatione vitae corporalis propriae vel alterius, etiam in favorem fidei, sit peccatum mortale?»[2] Ratio autem intrinseca est, quia quodlibet periurium est essentialiter *contemptus Dei*, qui nec fallere nec falli potest. Quare Angelicus Doctor[3] dicit: «Ea, quae ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Unde multo magis quidquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale. Periurium autem de sui ratione importat contemptum Dei. . . . Unde manifestum est, quod periurium ex ratione sui est peccatum mortale. . . . Ille, qui iocose periurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, et ideo non excusatur a peccato mortali.» — Ergo si vel mendacium iocosum iuramento confirmatum est peccatum mortale, non datur parvitas materiae in periurio; quod proinde est peccatum mortale ex toto genere suo, i. e. semper inducit reatum culpae mortalis, nisi adsit imperfectio actus propter insufficientem cognitionem aut voluntatem. Quae cum ita sint, facile intelligitur, quare ex iure tum divino tum ecclesiastico tum civili severissimae poenae latae sint in periuros. Deus ipse minatur maledictionem periuris et exclusionem a regno coelorum[4]; Ecclesia plectit periuros infamia[5]; immo clerici periuri possunt puniri gravissima poena degradationis aut depositionis[6]; iura autem civilia solent periuros punire poena gravis carceris[7].

Nota. Verum periurium committit ille quoque, qui iurat cum restrictione *pure* mentali, ut patet ex propositione 26 damnata ab Innocentio XI[8].

458 **Principium 2.** *Iuramentum cum defectu iudicii prolatum est ex genere suo peccatum veniale.* Ita sententia communis.

Ratio est, quia irreverentia hoc modo illata Deo non videtur esse tanta, ut constituat peccatum mortale, quoniam nullum attributum divinum directe laeditur et notanter non Dei veracitas et iustitia. Insuper per defectum comitis iudicii non amittitur principalis finis iuramenti, scil. confirmatio veri-

---

[1] *Denz.* n. 1174. [2] *Denz.* n. 664.

[3] S. theol. 2, 2, q. 98, a. 3 c et ad 2; cf. 3, dist. 39, q. 1, a. 5, sol. 1, ubi S. Thomas dicit: «Si [aliquis] falsum iurat, credo, quod semper peccet mortaliter, sive sit iuramentum sollemne, sive non sollemne.»

[4] Cf. Zach 5, 3. [5] c. 17 et 18, C. VI, q. 1; c. 7 et 14, C. XXII, q. 5.

[6] Cf. c. 10, X 2, 1; cf. etiam *Hollweck*, Die kirchl. Strafgesetze § 128.

[7] Cf. Strafgesetze für das Deutsche Reich § 153 sqq.

[8] «Si quis . . . quocumque fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus» (*Denz.* n. 1176).

tatis dictae. «Unde», sic dicit S. Thomas[1], «non oportet, quod iurare sine causa semper sit mortale peccatum, sicut iurare falsum.» — Per accidens autem iuramentum sine iudicio factum potest esse peccatum mortale, e. g. propter grave scandalum causatum, ut si sacerdos ita iuraret, vel propter proximum periculum peierandi.

Principium 3. *Iuramentum cum defectu iustitiae prolatum ex genere suo est peccatum grave.* 459

Iam supra n. 445 sufficienter de hac re dictum est; unde breviter recolendum est: a) *Iuramentum assertorium contra iustitiam* factum est grave peccatum, si ipsa assertio fuit graviter peccaminosa; secus est leve peccatum, quando scil. assertio ipsa fuit leviter peccaminosa. Hinc qui gravem detractionem iniustam confirmat iuramento, committit duplex peccatum mortale, scil. detractionis et abusus iuramenti. Qui autem detractionem leviter malam confirmat iuramento, committit duplex peccatum leve: alterum detractionis levis, alterum levis abusus iuramenti. b) *Iuramentum promissorium sine iustitia factum,* i. e. continens promissionem illicitam, certe est grave peccatum, si ipsa res promissa est graviter illicita, e. g. adulterium, matrimonium irreligiosum etc. Sin autem res promissa est in se leviter mala, e. g. mendacium, leve damnum etc., nihilominus iuxta sententiam probabiliorem talis abusus iuramenti videtur esse ita irreverentiosus erga Deum, ut constituat peccatum mortale. Hinc qui iurat, se commissurum esse adulterium, committit duplex peccatum mortale, scil. contra castitatem et contra religionem; qui autem iurat, se leviter damnificaturum esse proximum, committit unum peccatum leve, scil. damnificationem levem intentam, et aliud peccatum grave, scil. gravem abusum iuramenti[2]. Ita obiective loquendo. In praxi autem saepe aliter iudicandum est tum propter defectum verae intentionis iurandi, tum propter conscientiam erroneam iurantis.

ARTICULUS VI.

De adiuratione.

Notio. Adiuratio est interpositio divini nominis aut rei sacrae, cuius reverentia, timore, amore ille, qui adiuratur, ad aliquid faciendum aut omittendum inducitur[3]. 460

Differt igitur adiuratio ab aliis invocationibus nominis Dei; et primo quidem a iuramento, in quo Deus invocatur tamquam testis aut fideiussor ad confirmandam aliquam veritatem; in adiuratione autem invocatur divinum nomen ad aliquid ab alio impetrandum. Differt quoque adiuratio ab oratione, in qua Deus invocatur ad aliquid directe ab ipso obtinendum; in adiuratione autem adiurans conatur aliquid obtinere *ab alio* propter Deum. — Adiuratio est actus religionis, cum per illam profiteamur, tam venerabile esse divinum nomen, ut audito ipso alii inducantur ad aliquid faciendum aut omittendum. Adiuratio est actus *latriae,* quando fit per directam interpositionem nominis Dei aut saltem alicuius rei, in qua maiestas divina specialiter

---

[1] 3, dist. 39, q. 1, a. 5, sol. 1 ad 3.

[2] Cf. Ballerini in notis ad *Gury* (Comp. Theol. mor. I, n. 309), qui bene conatur conciliari diversos auctores hac in re apparenter discordes.

[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 90, a. 1.

relucet, e. g. per passionem, mortem, sanguinem Christi. Adiuratio est actus *hyperduliae* aut *duliae*, in quantum fit per B. Virginem aut sanctos in se consideratos. Sin autem fit per mortem, vitam, amorem patris aut matris etc., non est proprie adiuratio religiosa.

Adiurari possunt omnes, qui habent aliqualem cognitionem Dei, scil. ipse Deus, Christus, B. Virgo, sancti, homines viatores, et demum daemones, ad quos tamen sola adiuratio *compulsiva* dirigi potest, ut infra dicetur.

461 **Divisiones.** Adiuratio dividitur: 1. in *sollemnem* et *simplicem* (seu privatam).

Adiuratio sollemnis est ea, quae fit nomine Ecclesiae a ministris Ecclesiae iuxta ceremonias praescriptas, e. g. exorcismus adhibitus in baptismo. Simplex seu privata adiuratio caret huiusmodi sollemnitatibus et a quocumque fieri potest.

2. In *deprecativam* et *imperativam* (seu compulsivam).

Adiuratio deprecativa adest, cum *precibus* aliquid obtinere studemus, interposito nomine Dei. Sic S. Paulus adiuravit fideles Romanos dicens: «Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.»[1] Huiusmodi adiurationes saepe usuveniunt quoque in Litaniis, e. g. «per mysterium Incarnationis tuae, per passionem tuam, libera nos Domine». Vocantur autem tunc potius *obsecrationes*[2]. Adiuratio deprecativa ad quamlibet personam sive superiorem sive inferiorem sive aequalem dirigi potest, *daemone solo excepto*. Adiuratio imperativa adest, cum, interposito nomine Dei, subditis aliquid imperatur. Sic S. Paulus adiuravit Thessalonicenses dicens: «Adiuro vos per Dominum, ut legatur epistula haec omnibus sanctis.»[3] Sic adiuravit princeps sacerdotum considerans tamquam subditum suum ipsum Christum: «Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus.»[4] Sic praesertim adiurantur daemones in exorcismo.

462 **Principium.** *Adiuratio debitis conditionibus vestita est actus virtutis religionis licitus et honestus.*

Adiurationem rectam esse actum virtutis religionis, facile intelligitur; quia per eam veneramur Deum, interponendo illius auctoritatem tamquam maxime efficacem ad postulata obtinenda. Sin autem adiuratio est actus religionis, etiam patet, illam esse in se licitam et honestam. Idem patet ex perpetuo usu et doctrina Ecclesiae.

Conditiones autem requisitae ad liceitatem adiurationis sunt eaedem ac ad licitum iuramentum, scil. *veritas, iustitia* et *iudicium*.

a) *Veritas* in adiuratione exigit, ut adiurans habeat sinceram voluntatem obtinendi rem postulatam atque ut suae postulationis veram et non fictam causam afferat, seu breviter: *ut adiurans non decipiat adiuratum*. Carentia istius conditionis raro excedit culpam venialem. Hinc homo, qui se fingit esse pauperem et adiurat divitem per misericordiam divinam ad obtinendam eleemosynam, ordinarie non peccat nisi venialiter. Licet enim abutatur divina auctoritate ad iniquas suas petitiones reddendas efficaces, tamen iste abusus nondum per se videtur esse

---

[1] Rom 12, 1. [2] Cf. supra n. 337. [3] 1 Thess 5, 27. [4] Mt 26, 63.

grave peccatum, quoniam auctoritas divina non adhibetur ad confirmandum mendacium, sed ad movendum alium ad bonum opus praestandum. Si tamen ipsa fictio sit in materia gravi ac proinde grave peccatum, tunc iuxta nonnullos auctores etiam adiuratio adhibita ad talem fictionem exsecutioni mandandam est grave peccatum.

b) *Iustitia* postulat, ut adiurans obtinere intendat *rem licitam*. Defectus iustitiae in adiuratione probabilius est peccatum grave vel leve, prout actio postulata est graviter aut leviter mala. Hinc duplex peccatum mortale committit qui puellam simplicem et ignaram adiurat per amorem Dei ad faciendam fornicationem; qui autem adiurat alium per amorem Dei ad dicendum mendacium iocosum, committit duplex peccatum veniale. S. Alphonsus[1] putat, etiam in hoc ultimo casu adesse peccatum grave ob abusum adiurationis, quia satis gravis videtur irreverentia inducere alterum ad rem malam ope divinae auctoritatis.

c) *Iudicium* exigit, ut adiuratio fiat ex iusta causa ac cum debita reverentia, non autem quasi ex habitu inordinato. Defectus huius conditionis per se non est nisi peccatum veniale, quia inde non tanta irreverentia Deo irrogatur, et quia talis adiuratio nihil aliud videtur esse nisi vana assumptio nominis Dei. Defectu huius conditionis saepe peccant venialiter mendicantes, qui suis petitionibus semper adiungunt adiurationes.

Scholion 1. De exorcismis. Exorcismus proprie dictus est eiectio 463
diaboli ex homine obsesso; late dictus est annullatio influxus diabolici in aliqua creatura. Diabolum posse, permittente Deo, revera obsidere hominem et in illo habitare, est de fide, cum ipse Christus saepe eiecerit diabolum ex talibus hominibus obsessis. Hinc quoque in Ecclesia exsistit specialis ordo exorcistatus ad eiciendos daemones. Quando exorcismus *sollemnis* publice adhibetur, observanda sunt ea omnia, quae Rituale Romanum[2] hac de re praescribit. Ante omnia autem requiritur specialis licentia episcopi[3], cuius est iudicare, num revera obsessio diabolica adsit, et num expediat publicum exorcismum peragere. Potest enim magnum scandalum suboriri ex imprudenter adhibito exorcismo publico. Privato autem et secreto modo non solum clerici, qui vi ordinis exorcistatus speciali potestate in daemones pollent, sed etiam laici exorcismum proferre possunt. Nullibi enim hoc prohibetur laicis, nec ullum incommodum inde oritur. Hinc legimus in historia, nonnullos sanctos laicos, ut S. Catharinam Senensem, S. Antonium Eremitam, daemones eiecisse. — Exorcismus rite prolatus etiam a sacerdote aut ab episcopo, non habet infallibilem effectum, saltem completum, i. e. omnimodam eiectionem diaboli ex homine obsesso. Quare verba S. Scripturae: «Signa eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis»[4], non significant, omnes credentes valere semper et statim eicere daemones, sed quando Evangelii profectus id postulaverit; sicuti nec etiam omnes credentes semper possunt loqui linguis novis. Nihilominus cum S. Alphonso[5] et pluribus aliis auctoribus oportet admittere, exorcismum a clerico insignito

---

[1] Theol. mor. l. 3, n. 193. [2] Tit. 10, c. 1.
[3] Cf. Decret. Leonis XIII d. 18 Maii 1890 (Collect. de Prop. Fide n. 2303).
[4] Mc 16, 17. [5] Theol. mor. l. 3, n. 193.

ordine exorcistatus prolatum producere ex opere operato saltem attenuationem virium daemonis obsidentis. — Exorcismus *late dictus* adhibetur in baptismo; immo aliquando creaturae irrationales sic exorcizantur, v. g. sal, aqua, nubes, ut diabolicus influxus ab illis avertatur. Merito enim supponit Ecclesia, diabolum aliquando, permittente Deo, valde nocere homini tum immediate per seipsum, tum mediantibus creaturis irrationalibus, ideoque recte dicit Noldin[1]: «Valde suadendum est Ecclesiae ministris, ut exorcismum simplicem saepius peragant, memores verbi Domini: In nomine meo daemonia eicient; praesertim vero super eos, qui vehementi tentatione vexantur, et super poenitentes, quos advertunt difficultates experiri in eliciendo dolore et proposito de peccatis vel in peccatis suis sincere manifestandis. Uti possunt hac vel simili formula: In nomine Iesu praecipio tibi, spiritus immunde, ut recedas ab hac creatura Dei.» Experientia constat, in confessionali aliquando cum bono fructu adhiberi exorcismum, dummodo id fiat prorsus secreto modo, ita ut nec poenitens id advertat.

464 **Scholion 2. De invocatione divini nominis per laudem.** Angelicus Doctor[2] de hac re agit immediate post adiurationem. Breviter sint sequentia dicta: Deus laudandus est non solum corde, sed etiam ore, quia a) hoc pertinet ad cultum externum religionis, et b) inde nos ipsi et alii audientes ad maiorem Dei reverentiam inducimur. Valde convenienter ista laudatio exprimitur *pulchro et decenti cantu.* Contraria doctrina Waldensium et Wicleffitarum, qui comparabant clericos cantantes cum prophetis Baal, reiecta est ex praxi ecclesiastica omnium saeculorum. Et revera cantus digne et devote in ecclesia peractus multum inservit ad devotionem augendam. Unde S. Augustinus[3] de seipso dicit: «Flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter.» Recte autem monet Caietanus[4], a duobus in cantu ecclesiastico cavendum esse; scil. ne ideo cantetur, quasi ipse cantus secundum se sit Deo gratior; et ne cantetur causa delectationis nostrae vel alienae in ecclesiasticis Officiis. — *Usus organorum* aliorumque instrumentorum musicorum nondum fuit introductus antiquis temporibus in ecclesiasticis Officiis[5]. Quandonam organa primitus introducta fuerint, non ita constat. Quidam dicunt, hoc factum esse tempore Caroli Magni, sed ut apparet ex S. theol. 2, 2, q. 91, a. 2 ad 4 temporibus S. Thomae usus organorum nondum fuit universalis in omnibus ecclesiis. Optima statuta de cantu ecclesiastico edidit Pius X motu proprio d. 22 Nov. 1903.

ARTICULUS VII.

De observatione diei dominicae et festorum.

Praenotamen. Cum iste articulus sit satis longus, dividitur in quattuor paragraphos: 1. de natura et origine huius cultus; 2. de utilitate huius cultus; 3. de auditione Missae, quae est prima pars huius cultus, et 4. de cessatione ab operibus servilibus, quae est altera pars huius cultus.

---

[1] De sacr. n. 53, nota 3 [2] S. theol. 2, 2, q. 91
[3] Confess. 9, 6. [4] Comm. in 2, 2, q. 91.
[5] Cf. *Wetzer et Welte,* Kirchenlexikon, s. v. «Orgel».

Iste articulus tractat de illis omnibus, quae tum in tertio Decalogi praecepto: «Memento, ut diem sabbati sanctifices» [1], tum in primo ac secundo praecepto Ecclesiae de observantia dierum festorum praescripta sunt.

§ 1.

De natura et origine cultus praestandi diebus dominicis et festivis. 465

Observatio diei dominicae et festorum inter principaliores actus exteriores virtutis religionis merito enumeratur. Praeceptum autem sanctificandi dies dominicas et festivas est partim naturale, partim positivo-divinum, partim ecclesiasticum.

a) Est quidem *naturale* praeceptum, quatenus praecipit aliquod tempus cultui divino tribuendum, et non solum cultui privato, sed etiam publico sociali. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus, sicut e. g. corporali refectioni et somno deputatur determinatum tempus [2]. Cultus divinus internus et externus, privatus et publicus homini prorsus necessarius est, ut supra n. 327 dictum est. Ergo ipsum ius naturale postulat, ut determinatum tempus deputetur cultui divino. Hinc nulla umquam tam inculta, tam barbara gens fuit, quae diis suis festos dies non consecraverit [3].

b) Praeceptum observandi diem dominicam est *positivo-divinum*, quatenus *uno cuiusque hebdomadae die* in laudem Creatoris ab omni opere servili cessandum esse praecipit [4].

c) Hoc praeceptum est denique *ecclesiasticum*, quatenus a sola Ecclesia determinatum est, quibus fixis diebus et modis Deus colendus sit. Unde S. Thomas [5] dicit: «Observantia diei dominicae in nova lege succedit observantiae sabbati, non ex vi praecepti legis, sed ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani.»

Diem dominicam esse ex iure divino institutam nequit probari (id fere solus Sporer-Bierbaum [6] docet). Primis temporibus apostoli videntur convenisse ad laudandum Deum non die dominica, sed sabbato [7]; quod quidem est signum manifestissimum, ab ipso Christo sanctificationem diei dominicae non fuisse institutam; secus enim apostoli certo oboedissent

---

[1] Ex 20, 8. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 122, a. 4 ad 1.

[3] Cf. Cat. Rom. P. 3, c. 4, q. 6.

[4] Ita recte *F. Schmid* in «Linzer Theol.-prakt. Quartalschrift» 1900, 12—26; *Noldin*, De praeceptis n. 260; *Tanquerey*, De virt. relig. n. 1011; *Göpfert*, Moraltheol. I 338. Etenim ipse Deus selegit septimum diem quemlibet tamquam cultui divino deputandum. «Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas» (Ex 20, 9 sq). — Si non esset a iure divino statutum, ut septimo quoque die fieret cessatio ab opere servili in honorem Dei, tunc, absolute loquendo, Ecclesia posset definire, ut ubique terrarum requies dominicalis haberetur decimo aut vigesimo quoque die; quod tamen communiter non admittitur.

[5] L. c. ad 4. [6] Theol. mor. tr. 3, n. 485. [7] Cf. Act 3, 1; 5, 12.

mandato Domini sui. Quandonam autem primo sanctificata fuerit dies dominica, loco sabbati, non ita certo constat. Plures auctores docent, iam apostolos hanc praxim introduxisse. Sic S. Ioannes dicit: «Fui in spiritu in dominica die.» [1] — S. Lucas narrat: «Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem», i. e. iuxta sensum huius phrasis: prima die post sabbatum, seu nostra die dominica. Hinc iam S. Augustinus de hoc textu dicit [2]: Una sabbati appellatur dies, qui nunc dominicus vocatur. — Saeculo secundo sanctificatio diei dominicae videtur fuisse iam universalis [3]. — Rationes autem, quare loco sabbati sanctificata fuerit dies dominica, hoc modo indicantur a S. Leone I [4]: «In hac die mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi et mors interitum et vita accepit initium. In hac apostoli a Domino praedicandi omnibus gentibus evangelii tubam sumunt et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. . . . In hac denique promissus a Domino Spiritus Sanctus advenit.»

466 **Corollarium.** Ex dictis sequitur, quo sensu sanctificatio diei dominicae et festorum pertineat ad tertium praeceptum Decalogi, et quo sensu pertineat ad primum et secundum praeceptum Ecclesiae. Etenim praeceptum colendi Deum statis diebus per cessationem ab opere servili praescribitur a iure divino-naturali, ac proinde a Decalogo. Probabiliter in praecepto Decalogi etiam continetur, ut qualibet hebdomada aliqua dies requiei observetur in honorem Dei. Selectio autem diei dominicae loco sabbati, necnon specialis modus sanctificandi diem dominicam per auditionem Missae, sanctificatio aliorum dierum festorum, determinatus modus cessandi ab opere servili: haec omnia pertinent ad primum et secundum praeceptum Ecclesiae. Brevitatis et etiam claritatis causa observantia diei dominicae et festorum tum secundum ius naturale-divinum tum secundum ius ecclesiasticum insimul hic tractatur.

467 **Ambitus praecepti sanctificandi dies dominicas et festivas.** 1. *Quaenam personae obligentur ad hoc praeceptum.* Hoc praeceptum obligat sub gravi omnes baptizatos rationis compotes. Unde ab Innocentio XI damnata est propositio (52): «Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.» [5] — Obligat hoc praeceptum omnes christianos baptizatos usu rationis compotes; ergo etiam Protestantes aliosque haereticos, cum sint subditi praeceptis Ecclesiae. Attamen merito supponi licet, piam matrem Ecclesiam nolle pro illis hanc obligationem adamussim urgere, ac proinde quando haeretici redeunt ad gremium Ecclesiae, non sunt arguendi de tot peccatis mortalibus, quoties diebus dominicis et festivis laboribus servilibus incubuerunt, dummodo tamen satisfecerint iuris naturalis praecepto aliquando Deum exterius colendi. Homo cen-

---

[1] Apc 1, 10. [2] Ep. 55 (al. 119), apud *Migne*, Patr. lat. 33, 212.

[3] Monet *S. Ignatius:* «Non amplius sabbatizemus iudaico more. . . . At post sabbatum omnis Christi amator dominicum celebret diem» (Ep. ad Magnes., apud *Migne*, Patr. graec. 5, 768 sq). Cf. etiam Didache c. 14.

[4] Ep. ad Diosc. (*Migne*, Patr. lat. 54, 626). [5] *Denz.* n. 1202.

setur rationis capax post primum septennium aetatis suae, ac proinde tunc tenetur ad observandas dies dominicas et festivas[1].

2. *Quinam dies sint sanctificandi.* Praeter diem dominicam Ec- 468
clesia praecepit plures alias dies, currente anno, celebrari, quorum elenchus exhibitus ab Urbano VIII[2] adhuc uno festo auctus fuit a Clemente XI.

Sunt autem sequentia festa: Nativitas D. N. Iesu Christi, Circumcisio, Epiphania, Resurrectio cum duabus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes cum duabus sequentibus feriis, SS. Trinitas, Sollemnitas Corporis Christi, Inventio S. Crucis, Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas B. M. V., Immaculata Conceptio B. M. V. (additum fuit hoc festum ab Clemente XI d. 6 Dec. 1708), Dedicatio S. Michaelis, Nativitas S. Ioannis Baptistae, SS. Petrus et Paulus, S. Andreas, S. Iacobus, S. Ioannes apost., S. Thomas apost., SS. Philippus et Iacobus apost., S. Bartholomaeus, S. Matthaeus, SS. Simon et Iuda, S. Matthias, S. Stephanus protomartyr, SS. Innocentes, S. Laurentius martyr, S. Sylvester Papa, S. Ioseph, S. Anna, Sollemnitas Omnium Sanctorum; unus e principalioribus patronis regni aut provinciae, alter principalis patronus in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. Iuxta praesentem autem disciplinam Ecclesiae iam non omnia ista festa sub praecepto celebrantur. Nihilominus parochi tenentur omnibus istis diebus applicare Missam pro populo. Pariter omnibus istis diebus ordinationes clericorum fieri possunt, si in indulto pontificio dicitur: «Diebus festivis de praecepto.»

Pius X Motu proprio «Supremi» d. 2 Iulii 1911[3] suppressit omnia festa, exceptis sequentibus octo: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis D. N. I. Ch., Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., SS. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum. Dicit autem Summus Pontifex: «Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta S. Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis episcopi conservandum censuerint, S. Sedi rem deferant.» — Ergo remanent in usu, quae circa festa peragenda statuta fuerunt pro aliquibus regionibus, e. g. pro Gallia, ubi festa (extra dominicas dies) ad quattuor sunt reducta, scil. Nativitas et Ascensio Domini, Assumptio B. M. V. et festum Omnium Sanctorum. Singularia statuta habentur etiam pro Anglia, Hibernia, America Septentrionali. In nonnullis regionibus festum Corporis Christi non est suppressum, petentibus episcopis. Insuper Pius X expresse declaravit festorum suppressionem solummodo respicere fideles *quoad obligationem audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus;* econtra remanere obligationem applicandi Missam pro populo et celebrandi sollemniter Officia in ecclesia[4].

3. *Quaenam praestanda sint diebus festis.* Omnibus diebus dominicis 469
et diebus festis non suppressis fideles tenentur ad duo: a) *ad audiendam Missam*, quia sacrificium Missae est omnium excellentissimus actus

---

[1] Cf. tamen infra n. 476. [2] Const. «Universa» d. 13 Sept. 1642.
[3] Acta Ap. Sedis III 305 sqq.
[4] Cf. S. C. Conc. d. 3 Maii 1912 (Acta Ap. Sedis IV 340).

colendi Deum; b) *ad abstinendum ab operibus servilibus,* quia opera servilia solent hominem impedire, ne mentem perfecte applicet ad cultum divinum.

Praeceptum audiendi Missam videtur viguisse inde ab initio Ecclesiae; ut haud obscure innuitur ex celeberrimo textu in Didache c. 14: «Die autem dominica congregati frangite panem et gratias agite, postquam confessi eritis peccata vestra, *ut mundum sit sacrificium vestrum.*» Exsistentiam huius praecepti supponunt sic dicti Canones Apostolorum et Concilium Agathense. In canone 10 habetur: «Omnes fideles, qui conveniunt in sollemnitatibus sacris ad ecclesiam, et Scripturas apostolorum et Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione usque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiae commoventes convenit communione privari.» [1] — Clarius adhuc loquitur Concilium Agathense (a. 506) [2]: «Missas die dominico saecularibus totas audire speciali ordine praecipimus: ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat.» — Praeceptum abstinendi ab operibus servilibus die dominica videtur item semper in Ecclesia viguisse. Imperator Constantinus requiem dominicalem poenis quoque civilibus sancivit [3].

470 4. Praeter auditionem Missae et abstinentiam ab operibus servilibus fideles ad nihil aliud tenentur *ex stricto iure ecclesiastico.* Ergo non est obligatio iuris ecclesiastici audiendi concionem aut catechesim, assistendi Vesperis aliisque devotionibus, et multo minus assistendi concioni aliisque officiis *in ecclesia parochiali.* Nihilominus facile adesse potest obligatio *iuris naturalis* assistendi concioni, catechesi aliisque exercitiis religiosis, e. g. propter interiorem spiritum devotionis fovendum, propter sufficientem cognitionem rerum fidei et morum acquirendam ac conservandam, propter scandalum vitandum. Quamobrem fideles sunt instanter hortandi, ne contenti sint auditione Missae privatae, verum etiam diebus dominicis et festivis assistant concioni aut catechesi aliisque exercitiis religiosis. — Aliqui auctores voluerunt probare exsistentiam praecepti ecclesiastici audiendi concionem *in ecclesia parochiali* ex eo, quod Concilium Tridentinum [4] iussit, ut parochi diebus dominicis et festivis munus praedicationis exerceant. Si enim parochi tenentur praedicare, parochiani debent audire praedicationem parochi. Communissime vero docent alii, praeceptum Tridentinum nihil aliud continere nisi ut parochi teneantur parochianis occasionem praebere audiendi verbum Dei in ecclesia parochiali. Parochiani autem stricte non obligantur ad assistendum huic praedicationi.

§ 2.

De utilitate sanctificationis diei dominicae et festorum.

471 Tristis eheu experientia satis superque demonstrat, in illis regionibus et familiis, in quibus sanctificatio diei dominicae et festorum parvi-

[1] Ita c. 61, D. 1 de consecr. [2] Ita c. 64, D. 1 de consecr.

[3] Cf. de historica expositione *Tanquerey,* De virt. relig. n. 1006 sqq, et *Theod. Zahn.* Geschichte des Sonntags vornehmlich in der alten Kirche (1894) 196—240.

[4] Sess. 24, c. 4 de reform.

penditur, mox fidem evanescere, mores corrumpi, vitam familialem deperire, immo et progressum industrialem impediri. Econtra sanctificatio debita diei dominicae et festorum maximas utilitates profert. Etenim per illam producitur:

1. *Conservatio virium naturalium hominis.* 472

Vires physicae hominis, utpote limitatae, cito consumuntur, nisi saltem hebdomadaria quiete reparentur. Quae quidem quies multo certior et efficacior obtinetur, si determinati dies per intervalla fixa deputantur, in quibus non solum labores ordinarii interrumpuntur, sed etiam refectio spiritualis praebetur per cultum religiosum. Sane homo posset etiam propria sponte eligere diem requiei et colere Deum modo privato, sed multo efficacius obtinetur iste finis, si a lege ecclesiastica et civili determinatus dies pro omnibus hominibus statutus est. Vi enim ineluctabilis concurrentiae ubique exsistentis multi homines praesertim operarii et opifices cogerentur plus iusto ad laborandum, ita ut tempus requiei iam non suppeteret, si lex ipsa non praeciperet requiem dominicalem et festivam.

2. *Adiumentum pretiosum pro tota vita spirituali*[1]. 473

Homo enim assiduis laboribus oppressus ad se suosque sustentandos, variis curis ac sollicitudinibus saepe distractus, multisque voluptatibus allectus, paulatim totaliter immergitur in rebus materialibus; sicuti demonstrat tristis experientia omnium saeculorum et populorum, in quibus exercitium fidele religionis negligebatur. Testis sunt antiqui pagani, quorum vitia detestabilia ac vitam prorsus irrationalem tam graphice describit S. Paulus[2]. «Panem et Circenses» clamabant isti pagani, ita manifestantes, se nihil aliud desiderare nisi victum et voluptatem. Sin autem diebus dominicis et festivis omnes tenentur vi legis cessare ab operibus servilibus et incumbere exercitiis religiosis, corda eriguntur supra materiam ad spiritualia et coelestia. Post requiem autem dominicalem debite peractam homines alacriter redeunt, novis viribus mentis et corporis instructi, ad operas quotidianas, quas cum maiore strenuitate peragunt. Hinc factum est, ut ii populi, qui fideliter observant requiem dominicalem, etiam in commercio et rebus industrialibus soleant antecellere alias gentes, quae consuescunt parvipendere observantiam diei dominicae. Ergo requies dominicalis nullo modo impedit progressum etiam industrialem populorum. — Accedit, quod per exercitia religiosa diebus dominicis et festis peracta efficaciter promovetur vita moralis et religiosa hominis. Per conciones de rebus religionis et morum auditas, per gratias in exercitiis religiosis perceptas, homo valde adiuvatur ad vitia detestanda ac ad vitam morigeram ducendam.

3. *Integritas vitae familialis fovetur.* 474

Etenim varia membra familiae saepe coguntur diversis vacare laboribus per totam hebdomadam. Coniuges ab invicem separantur, parentes a filiis; quando vero horis vespertinis post labores exanclatos coadunantur, plerumque viribus lassi non possunt sufficienter frui solatiis vitae domesticae. Sin autem requies dominicalis bene observatur, tunc omnia membra familiae saltem semel in hebdomada possunt simul iucunde conversari ac amorem

---

[1] Cf. *Tanquerey* l. c. n. 1014 et *Gilfillan*, The Sabbath viewed in the light of reason, revelation and history, Edinburgh 1867.

[2] Rom 1, 21 sqq.

mutuum fovere. Praesertim est bona educatio filiorum fere impossibilis sine requie dominicali. Nam nisi filii exemplo parentum incitantur ad cultum religiosum, vix ac ne vix quidem cavent irreligiositatem ac malos mores.

475 4. *Propagatio cultus socialis, immo et ipsius verae Ecclesiae, obtinetur.*

Christus fundavit Ecclesiam visibilem, ac proinde exigit quoque cultum visibilem a sua Ecclesia peractum. Talis cultus est socialis, i. e. debet peragi a societate ecclesiastica. Porro impossibile est, ut cultus socialis debito modo perficiatur, nisi determinatis temporibus omnes fideles teneantur convenire in ecclesiis. Valde autem conveniens et efficax est, ut tales conventus fiant diebus dominicis et festivis, ut demonstrat perennis experientia. Pariter constat, quam bonum influxum etiam in acatholicos forte assistentes exerceant officia religiosa in ecclesiis nostris peracta diebus dominicis et festis. Hinc quam plurimae conversiones initium sumpserunt ex assistentia praestita officiis religiosis. Propagatur igitur vera Ecclesia ex cultu sociali diei dominicae et festorum.

Ex quibus apparet, omnibus viribus esse conandum, ut observantia diei dominicae et festorum magis ac magis in populo christiano radices agat. Hinc fovendae sunt illae consociationes fundatae pro tuitione requiei dominicalis; hinc leges civiles iam in pluribus regnis vigentes de observantia diei dominicalis sunt commendandae; hinc violatores requiei dominicalis sunt prudenter monendi, immo, si scandalum publicum causant, sunt denuntiandi competenti superiori; hinc demum unusquisque religiosissime observando praeceptum dominicale aliis bonum exemplum praebeat ac sibi ipsi profectum spiritualem procuret.

§ 3.

De praecepto audiendi Missam.

Tractabitur de requisitis ad satisfaciendum huic praecepto gravi et de causis excusantibus. Quattuor autem requiruntur ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam, scil. 1. praesentia corporalis; 2. integra Missa; 3. assistentia religiosa; 4. debitus locus.

476 **Gravitas et ambitus huius praecepti.** Cum praeceptum audiendi Missam sit essentialis pars praecepti observandi diem dominicam et festa, absque omni dubio obligat *sub gravi,* ita ut laesio eius sit peccatum mortale ex genere suo. Id etiam patet ex propositione 52 damnata ab Innocentio XI, et supra n. 467 iam citata. Omnes autem fideles utriusque sexus, cum rationis usu potiuntur, ad audiendam Missam diebus dominicis et festivis obligantur. Ergo exempti sunt infantes et amentes usu rationis destituti. Hinc pueri, qui post septennium nondum pervenerunt ad usum rationis, non tenentur audire Missam dominicalem. Sin autem puer iam ante septennium certo acquisivit usum rationis, per se quidem tenetur assistere Missae, sed S. Alphonsus[1] cum pluribus aliis auctoribus merito probabilem habet sententiam asserentem, pueros ante septennium numquam stricte teneri ad leges

[1] Theol. mor. l. 3, n. 270. Contrarium docet *Concina,* De praec. Eccl. l. 1, diss. 1, c. 9. Cf. supra I, n. 189.

positivas, etiamsi usum rationis acquisierint; quia leges positivae non obligant nisi secundum communiter contingentia. Porro communiter contingit, ut pueri non habeant sufficientem usum rationis ante primum septennium. In praxi autem monendi sunt parentes, ut adducant filios quantocius ad Missam; sed non sunt arguendi de peccato mortali, si domi retinent illos nondum septem annos natos. — Praeceptum audiendi Missam obligat etiam clericos, ut per se patet; sed sacerdos celebrans Missam etiam in oratorio privato eo ipso satisfacit huic praecepto.

1. **Praesentia corporalis** est primum requisitum praecepti do- 477
minicalis. Haec praesentia censetur sufficienter adesse, quando audiens Missam est *moraliter coniunctus cum celebrante,* ita ut vere dici possit, assistentem moraliter audivisse Missam et cum celebrante obtulisse sacrificium. Satisfaciunt igitur praecepto quantum ad praesentiam corporalem:

a) Omnes, qui sunt *intra ecclesiam,* etsi stant in capella laterali, vel post columnam, ubi sacerdotem celebrantem nec videre nec audire possunt, dummodo tamen ex sonitu campanulae vel ex signis aliorum, qui Missae propius astant, percipiant aliqualiter, quid a celebrante agatur [1].

b) Etiam illi, qui *extra ecclesiam* stant prope ianuam (etsi clausam) immo et in domo vicina, dummodo caeremonias adhuc aliqualiter percipere possunt. Quod quidem Lugo [2] et post illum plures alii limitant dicentes: dummodo ista domus non ultra triginta passus distet ab ecclesia; sed reapse id mathematice determinari nequit. Dummodo quis revera possit religiose attendere caeremoniis Missae, et adsit aliqua moralis unio cum celebrante, sufficiens praesentia moralis adesse videtur. Ceteroquin hic assistendi modus e domo vicina et generatim e loco extra ecclesiam sine rationabili causa, e. g. infirmitatis, permitti nequit.

2. **Praesentia debet esse durante integra Missa,** i. e. ab 478
initio Missae usque ad benedictionem sacerdotis inclusive. Evangelium ultimum non videtur pertinere ad integritatem Missae. Unde dicitur in textu supra citato Concilii Agathensis [3]: «Missas die dominica saecularibus totas audire speciali ordine praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat. Quod si fecerint, ab episcopo publice confundantur.» Ratio est, quia in antiquis liturgiis Orientis et Occidentis post benedictionem sacerdotis nullum evangelium legebatur [4]. Cum autem iuxta vigentem liturgiam universalem evangelium S. Ioannis (aut aliud evangelium) semper in fine Missae legatur, esset irreverentiosum, si fideles sine sufficienti ratione exirent statim post benedictionem sacerdotis. — In Natali Domini aliisque diebus [5], quibus sacerdotes possunt celebrare tres Missas ex iure

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 312. [2] De euchar. disp. 22, n. 21.

[3] c. 64, D. 1, de consecratione.

[4] Cf. de hac re *Thalhofer,* Handbuch der kath. Liturgie II (1912), § 40.

[5] In omnibus ditionibus Americae Latinae quilibet sacerdos potest etiam tres Missas dicere die Commemorationis omnium fidelium. Leo XIII, Const. «Trans Oceanum» d. 18 Apr. 1897.

communi aut particulari, fideles tenentur unam solam Missam audire et non tres. Qui integrae Missae assistere nequit, tenetur saltem *parti essentiali* interesse, e. g. consecrationi, communioni, si hoc est possibile. Qui autem soli parti *accidentali*, e. g. usque ad evangelium assistere valet, ad nihil tenetur. Qui igitur ante consecrationem advenit, et alteri Missae assistere nequit, tenetur saltem remanere usque ad finem Missae. Qui autem post consecrationem advenit, iuxta plures casuistas iam non tenetur assistere reliquae parti. S. Alphonsus[1] autem asserit: «Dicimus illum bene obligari ad reliquam Missae partem audiendam; qui enim implere nequit praeceptum impositum certe, tenetur saltem, si potest, probabiliter.» — Ceterum ea omnia, quae post consecrationem usque ad finem sequuntur, sunt certe notabilis et essentialis pars Missae, ac proinde qui illam partem audire potest, ad hoc etiam tenetur. — Omnes docent, illum, qui notabilem partem Missae culpabiliter non audit, peccare graviter. Sed quaenam pars revera sit notabilis, valde discordant casuistae, concordant autem in duobus: 1. Notabilitas partis non solum ex duratione, sed praesertim *ex eius dignitate* diiudicanda est. Hinc si quis culpabiliter consecrationem et communionem omittit, etsi omnia alia audit, certe peccat graviter, quia notabilem partem Missae secundum dignitatem non audivit. 2. Generatim censetur *tertia pars Missae* notabilis et gravis materia[2]. — Inter multas diversas opiniones recensitas a S. Alphonso[3] hodie sat communiter sequentia admittuntur:

Omissio levis censetur: Omnia ab initio Missae usque ad offertorium exclusive; pariter omnia post communionem; pariter omnia ab initio usque ad epistulam simul iuncta cum omnibus, quae sequuntur communionem[4].

Omissio gravis censetur: Omnia ab initio usque ad offertorium inclusive; pariter omnia ab initio usque ad evangelium simul iuncta cum illis, quae sequuntur communionem[5]; pariter a praefatione usque post consecrationem; pariter a consecratione usque ad Agnus Dei etc.

479 Solent hic quaerere casuistae, num praecepto satisfaciat ille, qui ex duabus Missis audit eas partes, quae simul iunctae totam Missam constituunt. E. g. Petrus advenit in ecclesia, quando Missa iam perducta est usque ad canonem; assistit huic Missae usque in finem; deinde audit ex altera Missa omnia usque ad canonem. Communiter auctores docent: Si consecratio et communio habeantur *in eadem Missa*, ita satisfieri praecepto; secus autem, si consecratio et communio non pertineant ad eandem Missam. Ratio est, quia consecratio et communio

---

[1] Homo apost. tr. 6, 33; cf. etiam Theol. mor. l. 3, n. 310.

[2] Ita *S. Antoninus*, S. theol. P. 2, tit. 9, c. 10, § 1.

[3] L. c.

[4] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 718; *Tanquerey*, De virt. relig. n. 1023; *Noldin*, De praeceptis n. 265; *Göpfert*, Moraltheol. I 344.

[5] Hanc omissionem esse levem putat *Al. Piscetta*, Theol. mor. II, n. 237.

constituunt essentiam Missae[1]. Si ergo aliquis has partes in eadem Missa audivit, essentiam sacrificii habuit; sin autem ex diversis Missis consecrationem et communionem audivit, ex neutra Missa essentiam habuit. — Certo autem non satisfacit praecepto audiendi Missam is, qui duas vel plures partes Missarum a diversis sacerdotibus *simul* celebratarum audit. Ita constat ex propositione 53 damnata ab Innocentio XI: «Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes immo quattuor simul a diversis celebrantibus audit.»[2]

Ex dictis sequuntur quaedam resolutiones practicae:

Resolves. a) Petrus advenit, dicto iam evangelio. Tenetur sub levi partem Missae iam dictae ex alia Missa postea supplere. Ab hac suppletione excusat etiam leve incommodum.

b) Petrus advenit in ecclesia, offertorio iam peracto. Tenetur aut remanere usque ad finem huius Missae, et deinde ex alia Missa audire omnia usque ad offertorium inclusive, aut relicta prima Missa, aliam totam audire. Haec obligatio est gravis, a qua non excusat nisi grave incommodum.

c) Petrus advenit post consecrationem. Tenetur aliam Missam integram audire; si hoc non potest, tenetur saltem remanere in hac Missa usque ad finem, ut supra ex S. Alphonso dictum fuit.

Notanda pro praxi. Ad rectum iudicium ferendum de gravitate peccati eorum, qui incoepta iam Missa ad ecclesiam accedunt, vel qui nondum finita Missa discedunt, non solum attendendum est ad materialem partem omissam, sed praecipue *ad negligentiam et pravam voluntatem* eorum, scil. num hoc factum sit sine ulla ratione sufficienti, num cum magna aut parva negligentia, num aliam Missam integram audire potuerint. Quando adfuit gravis negligentia et notabilis pars omissa fuit, adest etiam grave peccatum. Si alterutrum deest, etiam peccatum grave deest.

3. **Assistentia religiosa praecipitur.** Non sufficit praesentia 480
mere physica, durante Missa; secus enim ille, qui perfecte dormiret in tota Missa, etiam satisfaceret; quod profecto nemo dicet. Praescribitur enim actus vere religiosus, qui sine aliqua saltem intentione et attentione religiosa haberi nequit.

Requiritur igitur imprimis *debita intentio*, scil. colendi Deum seu audiendi Missam[3]. Quare non satisfacit praecepto, qui e. g. ad ecclesiam accedit *unice* ob musicam audiendam, vel ad comitandum alium. Dico autem: unice ob istum vel alium finem profanum; etenim si praeter finem licet principalem adhuc intenditur verus cultus Dei, satisfit praecepto. Hinc iuvenis, qui principaliter ex metu parentum aut ex motivo videndi puellam accedit ad Missam, simul tamen vult satisfacere praecepto, revera satisfacit,

---

[1] Ita etiam *S. Alphonsus* (l. c. n. 311), qui affert et refutat plures alias sententias de hac re. Sunt plures auctores, qui reiciunt sententiam propositam, ut praesertim *Concina* (De praec. Eccl. l. 1, diss. 3, c. 2, n. 6), citans pro sua sententia Suaresium, Azorrium. [2] *Denz.* n. 1203. [3] Cf. I, n. 223.

licet propter pravum motivum principale peccet. Ita sententia communis[1]. Deinde requiritur *debita attentio*. Recolenda sunt ea, quae supra n. 354 dicta sunt de diversis modis attentionis. Ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam certo requiritur *attentio externa*, i. e. omissio operis externi incompossibilis cum attentione interna. Ita omnes. Quare non satisfacit praecepto, qui durante notabili parte Missae legit attente libros profanos studii aut recreationis causa, qui scribit, qui confabulatur fere per totam Missam, qui dormit durante notabili parte Missae etc. Qui autem tantum dormitat somnolentus satisfacit, quia saltem imperfectam attentionem habet. — Iuxta plures sequaces Lugonis[2] ex praecepto Ecclesiae nulla requiritur attentio interna, sed sufficit externa, ita ut etiam ille, qui voluntarie distractus est, durante tota Missa, et cogitat de rebus valde peccaminosis, nihilominus satisfaciat praecepto[3]. Ratio eorum est, quia ab Ecclesia nihil aliud praecipitur nisi cultus Dei. Porro cultus Dei potest subsistere etiam cum voluntaria distractione. Ergo aliquis potest satisfacere praecepto ecclesiastico, etiamsi est voluntarie distractus. Insuper — inquiunt — vel ipsa oratio non necessario exigit aliquid aliud ac attentionem externam. Ergo a fortiori attentio externa sufficit ad audiendam Missam. Iuxta S. Alphonsum[4] autem et multos alios auctores probabilius requiritur praeter attentionem externam saltem aliqua imperfecta attentio interna ad partes essentiales Missae. Et revera utrumque argumentum sententiae oppositae videtur esse futile. Nam supra n. 355 iam probavimus veram orationem moralem esse impossibilem cum voluntaria distractione. Etenim velle elevare mentem ad Deum per orationem, et simul velle dirigere mentem ad aliquid prorsus disparatum, videtur esse impossibile et contradictionem importare. Deinde verus cultus Dei non videtur posse consistere cum voluntaria distractione, durante Missa. Quilibet enim christianus recte instructus scit, distractiones plane voluntarias, durante Missa, esse peccaminosas, praesertim si cogitationes versantur circa obiecta illicita. Quomodo igitur unus idemque homo potest velle colere Deum et simul explicite velle esse distractus ac proinde offendere Deum? Ergo puto distractionem voluntariam destruere ipsam intentionem colendi Deum. Nihilominus in praxi non ita magnum discrimen exsistit inter utramque sententiam; nam vix possibile est, ut quis velit audire Missam et nihilominus velit etiam esse distractus per totam Missam. Ergo vi initialis intentionis iam aliqua attentio interna adesse videtur. Iamvero secunda sententia docet *quamcumque vel minimam attentionem internam* sufficere.

481 Cum ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam non requiratur oratio proprie dicta, sed sufficiat cultus Dei et assistentia religiosa, hinc sufficienter satisfaciunt illi, qui intra Missam legunt pium librum, qui peragunt examen conscientiae, qui cantant, qui organum pulsant, qui colligunt stipem etc. Specialiter quaeritur, *num satisfaciat praecepto ille, qui toto tempore Missae aut durante notabili parte eius confitetur peccata sua?* Plures auctores, ut Ballerini[5], Génicot[6], Noldin[7], Göpfert[8], Tanquerey[9], putant, confessionem

---

[1] Contrarium docet *Concina* (De praec. Eccl. l. 1, c. 4, n. 2), qui videtur non recte allegare pro sua sententia S. Antoninum, quippe qui loquatur de illis, qui unice ob pravum finem assistunt Missae «alias non audituri». Cf. quae supra I, n. 122 dicta sunt de influxu finis in moralitatem actus. [2] De euchar. disp. 22, n. 27—41.

[3] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 263. [4] Theol. mor. l. 3, n. 313.

[5] In notis ad *Gury*, Comp. Theol. mor. I, n. 346. [6] Cas. consc. I 341.

[7] L. c. [8] Moraltheol. I, n. 345. [9] De virt. relig. n. 1027.

probabiliter non impedire attentionem externam, ac proinde confitentem satisfacere praecepto. — Difficulter admitti potest haec sententia *in theoria*[1]. Etenim si confabulatio, consentientibus ipsis auctoribus citatis, impediat attentionem externam ac proinde satisfactionem praecepti, idem dicendum est de confessione, quae est locutio exigens valde seriam et intensivam attentionem ex parte confitentis. *In praxi* autem confessiones, durante Missa, permitti possunt propter sequentes rationes: a) quia fere semper huiusmodi confitentes alio tempore non possunt sacramentum poenitentiae commode recipere sive ob multitudinem propriorum laborum, sive ob penuriam confessariorum, ac propterea S. Mater Ecclesia praesumitur in istis casibus benigne interpretari praeceptum audiendi Missam; b) quia tales confessiones saepe non durant nisi per modicam partem Missae, et tunc sane non impediunt satisfactionem praecepti dominicalis. Sin autem durant per longius tempus, confessarius, *durante saltem consecratione et communione,* iubeat poenitentem aliquantisper silere et attendere ad Missam, ut sic possit satisfacere praecepto saltem secundum substantiam. Ita fert etiam praxis confessariorum[2].

4. **Locus debitus** requiritur ad satisfaciendum praecepto. 482

Antiqua lex, qua fideles diebus dominicis et festivis tenebantur audire Missam in ecclesia parochiali, iam diu abrogata est tum per privilegia Ordinibus Mendicantibus a Summis Pontificibus[3] concessa, tum per contrariam consuetudinem hodie in toto orbe vigentem. Unde iam nullus episcopus aut parochus stricte praecipere potest, ut fideles debeant audire Missam in ecclesia parochiali. Potest autem populus moneri, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis, accedat[4]. Iuxta vigentem disciplinam praecepto audiendi Missam omnes fideles satisfacere possunt in qualibet ecclesia, oratorio publico et semipublico. In oratoriis autem privatis huic praecepto non possunt satisfacere nisi illi, qui gaudent speciali indulto. Quando ex speciali licentia Missa dicitur sub divo vel in alio loco profano, illi satisfaciunt praecepto, pro quibus licentia data est. Talem autem licentiam dicendi et audiendi Missam potest episcopus dare, sed non nisi per modum *actus*[5], i. e. paucis vicibus, et non nisi exsistente gravi causa[6].

Oratorium publicum est aliquis locus, qui auctoritate episcopi ad 483
publicum cultum perpetuo dedicatus, benedictus, vel etiam sollemniter consecratus est. Praeterea requiritur, ut a via publica fidelibus universim pateat ingressus ad illum[7].

---

[1] De illa dicit *S. Alphonsus* (l. c. n. 314): «Non videtur omnino probabilitate destituta; et olim probabilem ipsemet censui. Sed quia postmodum observavi, eam a pluribus gravibus doctoribus reici, modo non audeo probabilem dicere.» [2] Cf. *Göpfert* l. c.

[3] Cf. Leo X, Const. «Intelleximus» a. 1517; Paulus III, Const. «Christifideles» a. 1549; S. Pius V, Const. «Etsi Mendicantium» d. 16 Maii 1567.

[4] Conc. Trid. sess. 22 de observ. et evit. in celebr. Missae. — Optime tractat hanc quaestionem Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 11, c. 14, n. 10, ubi docet: «Non posse hodie episcopum praecipere suis subditis, ut se sistant Missae parochiali, quia non potest delere consuetudinem, quae cum vigeat in toto orbe, iam induit naturam iuris communis.» — Ex gravi ratione tamen episcopus potest praecipere, ne in aliqua ecclesia reciperentur ad audiendam Missam diebus dominicis et festivis.

[5] Cf. S. C. C. d. 20 Dec. 1856. [6] Cf. *Many*, Praelect. de locis sacris n. 82.

[7] Ita S. C. R. d. 23 Ian. 1899 (Decr. auth. n. 4007). Etiam capellae navium, quae habent *locum fixum* in navi, uti oratoria publica pro navigantibus censentur, ac proinde in illis Missa dominicalis audiri potest (S. C. R. d. 4 Martii 1901: Decr. auth. n. 4069).

484 *Oratoria semipublica* sunt a) «ea, quae etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae tantum aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Huius generis oratoria sunt: quae pertinent ad seminaria et collegia ecclesiastica; ad pia instituta et societates votorum simplicium aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad nosocomia, orphanotrophia nec non ad arces et carceres; atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent capellae in coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum, ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat.»[1] b) Ea, quae in domibus cardinalium, episcoporum (etiam titularium[2]) et ordinum congregationumque regularium ex privilegio erigi possunt. Nam in citato decreto S. Congr. Rituum subditur: «Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites atque ordines congregationesque regulares.» Ergo regulares exempti valent adhuc erigere oratoria semipublica (etiam plura) in domibus suis, idque sine speciali licentia episcopi dioecesani. Fideles autem in huiusmodi oratoriis semipublicis satisfacere possunt praecepto audiendi Missam. Episcopus potest in quocumque loco decenti (et non solum in propria domo) sibi erigere oratorium privatum, ita ut ibi quilibet sacerdos celebrare queat et christifideles praecepto de audiendo Sacro diebus festis satisfaciant[3]. Episcopus potest quidem propria auctoritate concedere omnibus institutis et communitatibus supra enumeratis unum oratorium semipublicum; sin autem necessaria est erectio secundi aut tertii oratorii semipublici, necessaria est licentia S. Sedis. Pariter episcopus nequit *propria auctoritate* concedere asservationem ss. eucharistiae in aliquo oratorio publico aut semipublico[4]. Attamen haud raro competit episcopis maior potestas *vi facultatum quinquennalium*. Eo ipso autem, quo ecclesia parochialis legitime erigitur, censetur concessa licentia asservandi SS. Sacramentum[5]. Idem valet de ecclesiis regularium exemptorum[6].

---

[1] Ita S. C. R. d. 4 Martii 1901 (Decr. auth. n. 4069).

[2] S. C. R. d. 19 Maii 1896 (Decr. auth. n. 3906).

[3] S. C. C. d. 16 Dec. 1893 (Collect. de Prop. Fide n. 1855) et S. C. R. d. 19 Maii 1896.

[4] Cf. S. C. R. d. 8 Martii 1879 (Decr. auth. n. 3484).

[5] Benedictus XIV, Const. «Quamvis iusto» d. 30 Apr. 1749.

[6] Cf. nostrum Man. iur. eccl. II 221. Instituta votorum simplicium nequeunt absque Sedis Apostolicae licentia speciali asservare ss. sacramentum in suis ecclesiis. Ita S. C. de neg. extraord. d. 5 Nov. 1901 ad 5 (Annal. eccl. X 71).

Oratoria privata dicuntur ea, quae in privatis aedibus in commodum 485
alicuius determinatae personae vel familiae ex indulto S. Sedis sunt erecta. In indultis oratorii privati nunc intelligitur eo ipso inclusa potestas distribuendi communionem iis omnibus christifidelibus, qui sacrificio Missae assistunt, salvis iuribus parochialibus[1]. In oratoriis autem privatis non omnes, sed tantum illi, qui in indulto pontificio enumerantur, possunt satisfacere praecepto audiendi Missam. Solent plures clausulae et restrictiones huiusmodi indultis apponi, e. g. conceditur indultum pro una sola Missa quolibet die; nonnulla festa principaliora excipiuntur, in quibus Missa prohibetur; Missa non potest celebrari nisi praesente indultario etc. Sedulo igitur attendendae sunt omnes istae clausulae et restrictiones; quae si nimis restrictivae videntur, a S. Sede sat facile obtineri potest largius indultum, si subsistat rationabilis causa. Solet ordinarie extendi indultum ad cognatos et affines indultarii usque ad quartum gradum; pariter ad eius famulos actu necessarios; demum ad nobiles hospites. Sub nomine *hospitum* veniunt etiam illi, qui ad solum prandium sunt invitati; famuli autem censentur actu necessarii omnes ii, qui necessarii sunt pro convenienti decore indultarii.

Quaeritur: Si indultarius oratorii privati nequit adire ecclesiam aut oratorium publicum ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam, teneturne uti privilegio suo, Missam procurando in suo oratorio privato? Respondetur cum distinctione: Si indultarius nequit procurare Missam sine magno incommodo, non tenetur uti privilegio suo. Ita omnes. Sin autem Missa procurari potest sine incommodo, adhuc nonnulli auctores[2] docent, indultarium non teneri uti suo privilegio, quia omne privilegium est favor, quo nemo tenetur uti. Rectius autem alii cum S. Alphonso[3] affirmant obligationem utendi privilegio; quia quilibet tenetur sub gravi audire Missam diebus praeceptis, nisi excusetur ob notabile incommodum. Iamvero in hoc casu non adest notabile incommodum. Ergo indultarius tenetur procurare Missam dicendam in oratorio suo privato. A fortiori sacerdos habens privilegium altaris portatilis et valens celebrare sine incommodo, videtur esse obligatus ad celebrandum, si secus ipse (et alii) non audiat Missam diebus de praecepto, e. g. aliquis sacerdos claudus habens privilegium altaris portatilis et omnia parata ad Missam, non tamen valens ire ad ecclesiam parochialem longinquam, peccaret, si non diceret Missam diebus de praecepto[4].

Causae excusantes ab obligatione audiendi Missam possunt 486
reduci omnes ad impotentiam physicam et moralem; vel ut alii dicunt: Ab obligatione audiendi Missam excusant necessitas, caritas et officium. — Cum praeceptum audiendi Missam non computetur inter maiora praecepta iuris divini et potius pertineat ad ius ecclesiasticum, «excusat

---

[1] S. C. R. d. 8 Maii 1907 (Decr. auth. n. 4201)

[2] Ita *Noldin*, De praeceptis n. 267; Ballerini in notis ad *Gury*, Comp. Theol. mor. I, n. 348. [3] Theol. mor. l. 3, n. 319 et 324.

[4] Cf. supra I, n. 267. Pro ampliore doctrina de oratoriis vide canonistas, e. g. *Many*, Praelect. de locis sacris n. 65 sqq; nostrum Man. iur. eccl. I, q. 140 sqq.

quaevis causa mediocriter gravis, scil. quae involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi»[1].

a) **Ratione necessitatis** excusantur:

1. Aegroti et convalescentes, qui ob corporis debilitatem aliquod detrimentum sanitatis prudenter timent ex assistentia Missae. In dubio sufficit iudicium medici, confessarii aut alterius hominis prudentis et religiosi. Infirmis in hoc puncto aequiparandi sunt hysterici, praegnantes aliaeque personae, quae aerem ecclesiae respirare difficulter possunt.

2. Qui longe distant ab ecclesia, ita ut sine notabili labore aut expensa nequeant ecclesiam adire. Quaenam autem sit distantia longa excusans, nequit mathematice determinari, quia hoc multum dependet ex particularibus circumstantiis personae, loci, temporis, inclementiae aeris etc. Sic iter unius horae non est grave incommodum pro plerisque, quando tempus est serenum et via plana ac facilis; est vero causa excusans, si in nive, sub pluvia et frigore, vel per viam asperam progrediendum est. Pariter excusantur facilius senes aliique homines debiles quam iuvenes robusti, ut per se patet.

Hic breviter notare praestat, illos catholicos, qui degunt in locis infidelium aut acatholicorum longe a qualibet ecclesia catholica, non quidem peccare omittendo auditionem Missae, cum versentur in morali impotentia adeundi ecclesiam; debere tamen pro viribus conari, ut quantocius deserant tales regiones, quia, tristi experientia testante, secus periclitantur in fide orthodoxa atque paulatim omnia exercitia religiosa negligunt. Viatores per se non excusantur ab auditione Missae, nisi iter ex iusta et proportionata causa susceptum sit. Cum hodiernis temporibus quam plurimi viatores solius recreationis causa itinera peragant, hortandi sunt, ne propter huiusmodi excursiones omittant audire Missam diebus de praecepto. Cf. tamen, quae supra I, n. 237 dicta sunt de causis excusantibus a lege humana.

3. Qui iacturam honoris merito timent, v. g. illi, qui carent vestibus congruis; puellae ex delicto praegnantes, nisi tamen earum delictum iam publice notum est. Si alicubi censeatur indecorum, puellam assistere Missae, in qua eius sponsalia proclamantur, talis consuetudo quidem vituperanda est, sed ea vigente puellae excusari videntur a praecepto audiendi Missam.

4. Uxores et filii ob gravem indignationem mariti vel parentum. Si tamen talis indignatio unice oritur ex odio religionis, oportet omnibus viribus resistere, neque est per se sufficiens causa excusans. — Idem dicendum est de militibus, qui excusantur ab audienda Missa, si inde graves vexationes ducum et commilitonum pati debent.

487 b) **Ratione caritatis et officii** excusantur:

1. Qui infirmis assistere debent tempore Missae; qui sperant, se posse sua praesentia impedire gravia peccata aliorum; e. g. servus suspicatur, suum conservum facturum esse peccatum luxuriae cum aliqua ancilla tempore Missae, a quo peccato illum impeditum iri, si ipse domi maneat et non vadat ad ecclesiam. In hoc casu licet omittere Missam ad praecavendum grave peccatum alterius.

2. Matres et nutrices, quae parvulos nec solos relinquere nec secum ferre possunt ad ecclesiam.

---

[1] Ita *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 324.

3. Milites, custodes urbium, gregum, plures officiales in via ferrea, nonnulli laboratores in fabricis, qui debent machinas curare et supervigilare.

4. Generatim omnes, qui ex auditione Missae notabile damnum materiale subirent, e. g. aurigae, nautae, tonsores, pistores etc. Licet autem isti quandoque excusentur ab audienda Missa, tamen *non semper;* unde aut relinquant officium suum, si id fieri potest, aut saltem aliquoties assistant Missae diebus ferialibus. Cum enim eucharistia sit maximum donum mundo concessum, haud immerito putant aliqui auctores, auditionem Missae non solum ex iure ecclesiastico, sed etiam aliquando ex iure divino praescribi, sicuti etiam unusquisque sacerdos aliquando tenetur ex iure divino celebrare Missam. Quapropter qui diebus dominicis et festivis numquam potest assistere Missae, saltem aliquando tenetur hoc facere diebus feriatis[1].

Monitum practicum. Fideles instanter hortandi sunt, ut diebus de praecepto diligenter assistant Missae. Etiamsi enim omissio Missae aliquando non est peccatum propter causas excusantes, tamen, experientia testante, omissio repetita solet pessimos effectus producere: paulatim enim fides et religio tepescunt; homo immergitur rebus terrestribus; debilis evadit in tentationibus; facile ruit in multa peccata.

§ 4.

De cessatione ab operibus servilibus.

Praeceptum sanctificandi dies dominicas et festivas est affirmativum 488
simul et negativum. Prout est affirmativum, praecipit debitum cultum Deo exhibendum per auditionem Missae, sicut hucusque explicatum est. Quatenus vero negativum est, iubet vacare a quibusdam operibus impedientibus cultum Dei.

Distinctiones. In praesenti materia quadruplex genus operum distinguitur: opera servilia, liberalia, communia, forensia.

1. *Opera servilia* sunt illa, quae a) potissimum labore corporali perficiuntur, b) immediate ordinantur ad utilitatem corporis, et c) antiquitus a servis fieri solebant[2]. Talia opera sunt e. g.: *opera ruralia,* ut fodere, arare, serere, metere etc.; *opera mechanica,* ut nere, suere, muros exstruere, calceos perficere etc. Valde notandum est pro praxi, opera servilia diiudicanda esse *ex fine operis,* minime autem ex fine operantis, neque ex mora temporis neque ex fatigatione coniuncta cum opere. Ergo opus, quod potissimum labore corporali perficitur et immediate inservit commodo corporali, non desinit esse servile, si fiat recreationis causa, vel sine remuneratione, vel ex sancto fine, vel per breve tempus. Hinc e. g. mulier, quae net aut suit ad conficiendas vestes pro pauperibus, revera facit opus servile et peccat, nisi adsit causa excusans, de qua infra n. 496 sermo erit.

2. *Opera liberalia* dicuntur ea, quae a) a viribus animae praecipue procedunt, b) animum excolendum immediate spectant et a) a liberis

[1] Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 724, qui putat, saltem ter quaterve in anno hominem teneri ex iure divino audire Missam.

[2] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 272.

hominibus fieri solebant, ut legere, docere, canere, organa pulsare, scribere, delineare etc. Talia opera remanent liberalia, etsi cum magna defatigatione perficiantur et pro mercede obtinenda suscipiantur. Hinc e. g. licet diebus dominicis et festivis docere, canere etc., etiamsi hoc fit remunerationis causa.

3. *Opera communia* (vocantur etiam media et naturalia) sunt ea, quae a liberis et servis promiscue exercentur et praesertim ad quotidianum corporis cultum inserviunt, ut manducare, ludere, venari, iter facere.

4. *Opera forensia* sunt ea, quae includunt duplex genus actionum: a) actiones fori iudicialis, ut iudicare in tribunali, accusare, defendere reum etc.; b) actiones fori mercatus, ut emere, vendere, locare etc.

489 **Nota.** Plura sunt opera, quorum indoles est dubia et quae non certo inter opera liberalia aut servilia recenseri possunt. Ad solvendum huiusmodi dubium attendere oportet non solum ad naturam operis, sed etiam *ad aestimationem hominum.* Ideo fieri potest, ut opus ex se servile propter aestimationem hominum habeatur licitum diebus dominicis et festivis. E. g. remigare, equos ducere tamquam auriga ex se sunt opera servilia; sin autem fiunt recreationis causa diebus festivis, ex communi aestimatione hominum habentur ut licita. Rosaria facere, scapularia suere sunt ex se opera servilia, sed ex aestimatione satis communi habentur ut licita diebus de praecepto, dummodo fiant devotionis et non lucri causa.

490 Specialia dubia sunt de sequentibus operibus:

1. *An liceat scribere et transcribere die festo?* Respondetur: Scribere licet, etiam ope machinae; cum hoc sit opus liberale, in quo praecipue mens agit. Ita omnes. Transcribere (aliquando saltem) certo videtur esse opus liberale, e. g. si fit causa iuvandae memoriae vel docendi, addiscendi, concionandi etc., quia tunc servit ad excolendam mentem. Sin autem quis tamquam merus amanuensis transcribit, et praesertim *ope machinae,* ad lucrum faciendum, difficulter tale opus inter liberalia recenseri potest[1], cum multi transcribant ea, quae prorsus non intelligant. In praxi attendenda est communis aestimatio in aliqua regione exsistens. Cum huiusmodi amanuenses saepe paupertate premantur, benigne sunt iudicandi, si per paucas horas diebus festivis lucri causa transcripserunt. — Transcriptioni simile est componere characteres, quia hodie ope machinae solet fieri aeque transcriptio ac compositio characterum; ideoque S. Alphonsus[2] licitum putat componere characteres diebus festivis; sed iuxta communem aestimationem in nostris regionibus ars typographica habetur ut mechanica, et componere characteres consideratur ut opus servile, unde id non licet diebus dominicis et festivis sine necessitate aut alia causa excusante.

2. *An delineare, penicillo pingere, sculpere sint opera servilia?* Respondetur: Delineare *(zeichnen, draw, dessiner)* est opus liberale, dummodo fiat artificioso modo; quia potius mente quam corpore perficitur. Sin autem fiat modo mechanico *(mit der Schablone)*, tunc valere videtur idem, quod de transcriptione dictum est. Talis enim delineatio haud dissimilis est tran-

[1] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 6, a. 3. [2] Theol. mor. l. 3, n. 279.

scriptioni. — Penicillo pingere *(malen, paint, peindre)* videtur esse opus liberale, dummodo fiat artificioso modo, neque cum magno apparatu. Si enim scribere est opus liberale, a fortiore pingere artificiose penicillo est opus liberale, quippe quod inserviat ad exprimendos conceptus mentis. Pingere modo potius mechanico quam artificiali est opus servile. Hinc illi, qui dealbant parietes aut pingunt modo decorativo super muros, non possunt hoc licite facere diebus de praecepto; et in nostris regionibus verum scandalum oriretur, si quis pictor lucri causa arte sua decorativa ornaret e. g. muros alicuius ecclesiae diebus de praecepto. — Sculpere communiter inter artes mechanicas habetur [1], sed sculpere modo valde artificioso opus iam fere perfectum, merito censetur opus liberale, quia talis perfectio operis fere nullum laborem corporalem, sed magnam attentionem spiritualem exigit.

3. *An diversa opera manualia, quae a mulieribus solent modo plus minusve artificiali perfici, sint opera servilia?* Respondetur: Hoc dependere videtur ab arte aut saltem ab attentione requisita ad ista opera. Si enim in aliquo opere perficiendo fere nulla ars aut specialis attentio mentis necessaria est, tale opus est mechanicum et servile, ut e. g. acu texere *(stricken, häkeln)*; sin autem requiritur specialis attentio et ars, tale opus censetur esse liberale, ut e. g. acu pingere artificiose *(Kunststickerei)*. Generatim dici potest: Illa opera manualia mulierum, quae ope quoque machinae (licet non ita perfecto modo) perfici possunt, habentur tamquam opera mechanica et servilia, ut nere, suere, texere etc.: illa autem opera, quae necessaria sunt *manufacta*, possunt considerari ut liberalia. Ceterum dicetur infra n. 496, quomodo opera manualia muliebria possint in praxi permitti diebus de praecepto.

4. *An photographiae, phototypiae aliaeque reproductiones ope luminis perfectae sint opera servilia?* Respondetur: Si huiusmodi opera exigunt magnam attentionem mentis et parvum laborem corporalem, possunt considerari ut opera liberalia; secus ut opera mechanica et servilia. In praxi sat facile adest sufficiens causa ad permittendam photographiam aliasque similes artes diebus de praecepto.

Subdivisio operum servilium. Opera, quae diebus dominicis 491
et festivis praecipue prohibentur, vocantur servilia iuxta illud praeceptum Veteris Testamenti: «Omne opus servile non facietis in eo.» [2] Sub lege iudaica opera servilia prohibita in particulari enumerabantur; in Nova autem Lege longe mitior praxis exsistit. Optime animadvertit S. Thomas [3]: «Opus servile dicitur a *servitute*. Est autem triplex servitus: una quidem, qua homo servit peccato, secundum illud: Qui facit peccatum, servus est peccati [4]. Et secundum hoc *omne opus peccati* dicitur servile. Alia vero servitus est, qua homo servit homini; est autem homo alterius servus non secundum mentem, sed secundum corpus, et ideo opera servilia secundum hoc dicuntur opera corporalia, *in quibus unus homo alteri servit.* Tertia autem est servitus Dei, et secundum hoc opus servile posset dici opus latriae, *quod pertinet ad Dei servitium.*»

Principium 1. *Diebus dominicis et festivis prohibetur opus ser-* 492
vile in primo et secundo sensu acceptum; opus autem servile in tertio

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 281. [2] Lv 23, 7.
[3] S. theol. 2, 2, q. 122, a. 4 ad 3. [4] Io 8, 34.

sensu (licet sit coniunctum cum labore corporali) nullo modo prohibetur, sed potius commendatur.

a) Opera servilia in primo sensu accepta, i. e. peccata (praecipue externa et publica) maxime repugnant sanctificationi diei dominicae et festivae atque cultui divino. Quare Angelicus Doctor[1] docet: «Quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati quam per opus licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc praeceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Unde Augustinus[2] dicit: Melius faceret iudaeus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus exsisteret; et melius feminae eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis suis impudice saltarent.» — Propterea omnes theologi docent, *peccatum externum* diebus de praecepto commissum esse gravius quam si idem peccatum sit factum alio die. Ita saltem obiective; nam subiective plures fideles non animadvertunt differentiam dierum. — Licet autem huiusmodi peccatum externum sit gravius, tamen circumstantia temporis sacri non constituit novam speciem moralem, ita ut hoc debeat explicari in confessione; saltem si deest specialis ratio gravis scandali. Ita probabilius docent Caietanus[3], Silvester Prierias[4], Sylvius[5], Billuart[6], S. Alphonsus[7] et communiter omnes auctores moderni contra Concinam[8] et plures antiquos ab illo citatos. Etenim licet omne peccatum sit magis contra cultum Dei quam quodcumque aliud opus corporale, tamen non potest vocari opus servile nisi *in sensu metaphorico* seu mystico[9]; in tertio autem praecepto Decalogi prohibentur opera servilia in sensu litterali tantum. Deinde praeceptum vitandi peccata est praeceptum *generale,* dum praeceptum sanctificandi diem dominicam et dies festos est praeceptum *particulare.* Demum idem constat ex universali praxi tum confessariorum cum poenitentium timoratorum, quorum neque hi solent se accusare, neque illi interrogare de circumstantia temporis sacri, nisi adfuerit specialis ratio gravis scandali, ut e. g. in publica et scandalosa ebrietate. Quodsi S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus aliique graves auctores dicunt, peccata esse contra observantiam sabbati, hoc verissimum est, in quantum virtus religionis maxime imperat, ne peccata committantur tempore sacro, cum non solum impediant cultum Dei, sed etiam sint contra *finem* et *spiritum* praecepti tertii Decalogi. Sed exinde minime sequitur, ut per peccata istis diebus commissa virtus religionis laedatur *modo specifice diverso.* Unde bene agunt confessarii et praedicatores proclamantes sanctificationi diei festivae et dominicae valde obstare peccata luxuriae, ebrietatis, rixarum etc.; sed minime doceant, inde committi peccatum duplex specifice diversum, quod necessario declarari debeat in confessionali.

b) Opus servile in secundo sensu acceptum, i. e. quod potissimum viribus corporeis perficitur et necessitatibus corporis immediate inservit, directe prohibetur diebus dominicis et festivis; quia absorbet applicationem operantis eumque impedit, quominus mentem ad divina erigat. Praeterea tale opus

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 122, a. 4 ad 3.
[2] Sermo 9 (al. 96) de tempore, c. 3. [3] Comm. in 2, 2, q. 122, a. 4.
[4] Summa Summ., s. v. «Confessio» I, n. 11. [5] In Suppl. 9, a. 2.
[6] De relig. diss. 6, a. 2. [7] Theol. mor. l. 3, n. 273.
[8] De praec. Eccl. l. 1, diss. 2, c. 2.
[9] Ita etiam *S. Thomas* 3, dist. 37, a. 5, sol. 2 ad 2.

servile magnam defatigationem corporalem solet causare atque percipi ab aliis, qui inde scandalum facile patiuntur. Quapropter ex operibus servilibus sine necessitate tempore sacro peractis inducuntur omnia incommoda moralia et socialia, quae oriuntur ex violatione tertii praecepti, de quibus supra n. 475 dictum est. Sane per opera quoque liberalia tempore sacro peracta homo potest impediri a cultu Dei (ut si quis e. g. per totum diem dominicum attente legeret librum profanum); tamen id non ita frequenter accidit neque tam malum influxum exercet super alios, quippe qui id non tam facile percipiant. Unde potius *per accidens* quam per se impediunt cultum dei opera liberalia, quae proinde non prohibentur in tertio praecepto Decalogi. Nihilominus certo peccaret ille, qui etiam propter opera liberalia negligeret cultum divinum tempore sacro.

c) Opus servile in tertio sensu acceptum est licitum, quia per illud mens nedum abstrahitur a cultu divino, sed potius ad honorandum Deum inducitur. Requiritur autem, saltem communiter, ut ista opera *proxime* deserviunt cultui divino atque fiant *gratuito et sine mercede materiali*; quia secus eorum finis principalis non esset cultus Dei, sed merces materialis obtinenda. Huiusmodi opera servilia sunt: diebus dominicis et festivis gestare cruces, imagines, vexilla, pulsare campanas, ornare altaria sertis et candelabris, lavare purificatoria, conficere paramenta etc. Quodsi sacristanus aut alii propter ista opera mercedem recipiunt, iam accedunt illa ad opera servilia stricte dicta et non sunt licita, nisi propter necessitatem vel cultus vel operantis. Opera servilia, quae *non proxime sed remote* serviunt ad cultum Dei, ut ecclesiam verrere, serta pro altaribus componere, lapides aut ligna ad ecclesiam construendam caedere aut vehere, calices fabricare, mappas altaris lavare etc. graviter prohibita sunt, nisi excuset necessitas aut legitima dispensatio, quae satis facile concedi potest, si ecclesia est ita pauper, ut nequeat congruam mercedem impendere, ut huiusmodi opera diebus ferialibus peragantur.

Principium 2. *Praeter opera servilia supra enumerata prohibentur diebus dominicis et festivis etiam opera forensia.* 493

Ita ex iure Decretalium statuente: «Omnes dies dominicos a vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari et ab omni illicito opere abstinere, ut in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad poenam iudicetur, nec sacramenta [i. e. iuramenta] nisi pro pace vel alia necessitate praestentur.»[1] — Quamvis haec lex nondum sit expresse revocata, tamen in multis regionibus contrariae consuetudines legitimae invaluerunt. **Sequentia videntur hodie statuenda:**

1. Abstinentia ab operibus forensibus iam non obligat a vespera ad vesperam, sed a media nocte ad mediam noctem, e. g. a media nocte sabbati ad mediam noctem diei dominicae.

2. Sub nomine *mercatus* intelliguntur non solum nundinae (sive annuae sive hebdomadariae[2]), sed etiam omnes alii privati actus mercandi, e. g. contractus emptionis, venditionis, locationis etc.

Ex hodierna autem consuetudine legitima videntur *liciti* sequentes actus: a) Nundinae, in quibus parvae res veneunt, ut flores, parvae imagines, nonnulla comestibilia, ut poma, pira, cerasa, uvae etc.; attamen ista res non die festo, sed pridie debent ad locum nundinarum afferri, saltem si sunt maioris quantitatis. b) *Privati contractus* emptionis, venditionis etc. in emporiis. Hinc con-

---

[1] c. 1, X 2, 9. [2] *Jahr- und Wochenmärkte.*

suetudo universalis habet, ut res ad quotidianum usum necessariae emantur et vendantur etiam diebus de praecepto, e. g. butyrum, panis, carnes etc. Item rustici, qui prae continuo labore non solent urbem adire nisi diebus festivis, licite sibi emunt in emporiis calceos, vestes, aliasque res minoris momenti[1]. Item licet operarios conducere, locare domos, immo iuxta nonnullos auctores[2], emere iumenta, vendere equos. Hoc ultimum tamen non potest licite fieri, nisi ubi talis consuetudo universalis exsistit. — Feliciter statutum est per leges quoque civiles multarum regionum, ut officinae et emporia mercantilia claudi debeant diebus de praeceptis, vel saltem ne aperiantur nisi paucis horis.

Illiciti videntur esse sequentes actus: a) Publicae venditiones sub hasta rerum maiorum. Talis enim subhastationes solent fieri cum magno clamore, qui parum congruit requiei dominicali. Exsistente rationabili causa permitti potest, ut parvae res sub hasta vendantur diebus de praecepto. b) *Contractus sollemnes* venditionis, emptionis, locationis etc., qui scil. perficiuntur coram auctoritate publica et cum instrumentis a notariis confectis.

3. Sub nomine *placiti et iudicii* intelliguntur iudiciales processus, ut partes audire, testes interrogare, exigere iuramentum, sententiam ferre etc., si tamen isti actus fiant cum strepitu iudiciali, uti dicunt. Actiones enim, quae sine strepitu fiunt, ut consulere advocatum, appellationem interponere, non sunt prohibiti. Duobus tamen in casibus omnes actus iudiciales liciti sunt (ita ipso iure statuente), scil. si necessitas urgeat aut si pietas suadeat. Actiones iudiciales non solum prohibentur diebus de praecepto, sed etiam annullantur, ut statuit Gregorius IX[3]. — Hodie neque in iuribus civilibus neque in iure ecclesiastico fiunt actus iudiciales diebus dominicis et festivis.

494 **Principium 3.** *Praeceptum abstinendi ab illicitis operibus servilibus et forensibus est ex genere suo grave, admittit autem parvitatem materiae.*

Ita docent omnes. Quaenam autem sit materia gravis in transgressione huius praecepti non concordant auctores. Salmanticenses[4] septem diversas opiniones in hac controversia afferunt, quas longum est hic enarrare. Duae extremae sententiae sunt haec: 1. Non est gravis transgressio, nisi quis tertiam partem totius diei in laboribus servilibus insumat; seu non peccat mortaliter nisi ille, qui sine ulla causa excusante laborat per *octo horas*. 2. Est peccatum grave, si quis *per unam integram horam* opera servilia perficit. Utraque sententia est evidenter falsa. Hodie communiter docent theologi, gravem esse materiam ac proinde grave peccatum, si quis sine ulla causa excusante *ultra duas horas* (sive continue, sive positis intervallis, et partibus laboris coalescentibus ad duas horas) opera vere servilia fecerit. Sin vero labor non est ita servilis, sed potius levis aut aliqualiter liberalis, *spatium trium horarum* videtur constituere gravem materiam[5]. In operibus autem forensibus gravitas materiae non tam ex mora temporis quam a) ex qualitate operis desumitur[6] et b) ex scandalo inde orto. — Ecclesia hucusque nihil determinavit de hac controversia. In praxi ad diiudicandam gravitatem transgressionis oportet attendere etiam, num scandalum ortum sit, num nec

---

[1] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 6, a. 2.
[2] Ita *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 285. [3] c. 5, X 2, 9.
[4] Curs. theol. mor. tr. 23, c. 1, n. 319.
[5] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 305. [6] Cf. ib. n. 307.

minima causa excusans adfuerit, num operans versetur in conscientia erronea. Sic e. g. dominus, qui iubet decem operarios perficere opera servilia per unam horam, non quidem peccat mortaliter transgrediendo praeceptum positivum requiei dominicalis, quia opera opificum ad materiam gravem efformandam non uniuntur, et unaquaeque materia singulariter sumpta est materia levis[1]; facile autem potest committere grave peccatum propter scandalum vel contemptum. Sin vero idem dominus iubet, ut unus operarius per decem horas laborat, absque dubio peccat graviter, cum mandaverit opus graviter malum. In primo igitur casu dominus mandavit decem peccata venialia; in altero vero casu iussit unum peccatum mortale.

Causae excusantes ab hac lege possunt reduci ad tres cate- 495
gorias, quae sunt: 1. *necessitas propria aut aliena;* 2. *consuetudo legitima;* 3. *dispensatio legitima.* Nonnulli auctores inter causas excusantes enumerant quoque pietatem erga Deum. Permittuntur enim opera servilia, quae *proxime* ad cultum divinum ordinantur, ut pulsare campanas, vexilla portare etc. Supra n. 492 in primo principio probavimus ex S. Thoma, huiusmodi opera nedum avertere mentem a cultu Dei, sed potius adducere, ac proinde esse licita. Si tamen talia opera servilia *remote* tantum ad cultum divinum conducunt, ut e. g. parietes ecclesiae dealbare, ecclesiam aedificare, lapides et ligna vehere etc., tunc non sunt per se licita; permittuntur autem aliquando a legitima auctoritate, si fiant gratuito pro ecclesiis pauperibus.

1. **Ratione necessitatis propriae aut alienae,** sive haec sit 496
corporis sive sit spiritus, excusantur:

a) Agricolae, qui ob praeteritam vel imminentem pluviam statim colligere debent segetes aut fructus. In praxi melius est, ut parochus loci in his circumstantiis publice declaret, labores agrorum permitti tali die. Sic enim vitatur tum scandalum tum periculum deceptionis.

b) Sartores, sutores aliique artifices, qui debent conficere aut reparare vestimenta prorsus necessaria, e. g. pro nuptiis vel funeribus imminentibus. Iidem excusantur, si secus magnum damnum pati deberent.

c) Pauperes, qui sine labore facto diebus de praecepto se suosque sustentare nequeunt.

d) Famuli, uxores, filii, qui a hero, marito, parentibus laborare coguntur, dummodo tamen talis coactio non procedat ex odio religionis.

e) Operarii, qui vigilare debent in magnis fabricis super machinas. Restauratores pontium, viae ferreae etc., si periculum est in mora. Deinde omnes, qui praeparant *proxime* cibos necessarios ad manducandum diebus dominicis et festivis. Si enim homo non tenetur ieiunare istis diebus, habet quoque ius, ut sibi praeparentur cibi necessarii. Hinc liciti sunt labores coqui eiusque coadiutorum. Non autem liciti sunt labores, qui necessarii sunt ad *remotam* praeparationem ciborum, e. g. occidere bovem ad habendas carnes.

f) Aliqualis necessitas etiam exsistit, si adest periculum peccandi ex otio. Hinc confessarius facile potest permittere, ut feminae diebus

[1] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 6. a. 2, et *S. Alph.* l. c. n. 306.

de praecepto levia quaedam opera manualia cum acu aliisque instrumentis perficiant; pariter, ut iuvenes faciant photographias. Aliquae tamen clausulae sunt ponendae; scil. ut tales labores non durent per nimis longum tempus; ut inde nullum scandalum oriatur; ut tales laborantes pie assistant Missae aliisque exercitiis religiosis; ut laborantes inde nullam mercedem materialem percipiant. Quibus conditionibus adimpletis, multo melius est, ut quis levem laborem diebus de praecepto peragat, quam ut tempus terat otio periculoso, aut lectione librorum romanensium, aut ludis conversationibusque periculosis, aut frequentatione cauponae. Neque quis dicat, istos homines posse incumbere aliis operibus liberalibus licitis aut piis lectionibus, et sic otium excutere; nam hoc aliquando moraliter est impossibile propter diversas circumstantias. Ceterum omnis difficultas evanescit, si feminae istae conficiant ornamenta pro ecclesiis pauperibus aut vestes pro pauperibus [1], quia tunc semper adest causa excusans pietatis.

497 2. **Ratione consuetudinis** excusantur:

a) Barbitonsores, sive propriam sive alienam barbam radunt. Pariter licet in officinis barbitonsorum, ut capilli praecidantur, laventur etc.

b) Aurigae sive curruum publicorum [2] sive etiam curruum privatorum ad vehendas personas, non autem (saltem in nostris regionibus) ad ducendos currus onustos mercibus, nisi necessitate cogente. Tempore S. Alphonsi [3] videtur mitior praxis exstitisse in Italia.

c) Venditores rerum minoris momenti in publicis viis, e. g. qui percurrunt vias ad vendendas ephemerides, flores, fructus, cartas postales etc.

498 3. **Dispensare** in hac lege abstinendi ab operibus servilibus possunt Summus Pontifex pro tota Ecclesia, Ordinarii locorum pro ipsorum districtu, praelati regulares pro suis subditis. Semper autem requiritur tum ad validitatem tum ad liceitatem dispensationis rationabilis causa, quoniam ista lex non est mere ecclesiastica, sed etiam partim divina. Parochus non potest quidem propria auctoritate dispensare in hac lege, cum ipsi nullibi in iure talis dispensandi potestas collata sit; valet vero in casibus dubiis legem interpretari et concedere, ut sui parochiani necessarios labores serviles peragant.

499 **Scholion. De oblationibus, primitiis et decimis.** S. Thomas [4] inter actus religionis et cultus enumerat quoque oblationes, primitias et decimas datas pro cultu divino peragendo vel pro ministris Ecclesiae sustentandis. Latius de hac re agunt canonistae. Sequentia brevissime notentur tamquam ad Theologiam moralem pertinentia.

Oblatio generatim est alicuius rei non petitae largitio; oblatio autem, de qua hic agitur, est spontanea largitio ad cultum divinum et sustentationem sacrorum ministrorum. Oblationes, quae hodie sunt in usu, praesertim sunt sic dictae «collectae» pro piis causis factae et stipendia manualia Missarum. —

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 302. [2] Vulgo *Kutscher, cocher.*
[3] Cf. l. c. n. 276. [4] S. theol. 2, 2, q. 86 et 87.

Primitiae sunt primi fructus terrae et animalium, qui in signum reverentiae et gratitudinis erga Deum offeruntur pro cultu divino. Hodie fere nullibi huiusmodi primitiae usuveniunt. — *Decimae* (ecclesiasticae) vi nominis sunt decima pars fructuum tribuenda ministris Ecclesiae pro eorum congrua sustentatione. Cum autem non semper decima, sed aliquando duodecima aut vigesima pars redituum pro hoc fine sit expendenda, decimae melius dicuntur quaedam vectigalia imposita fidelibus pro sustentatione congrua cleri pastoralis [1]. Ista vectigalia seu subsidia secundum substantiam praescribuntur ab ipso *iure naturali* et *divino;* secundum vero determinatam quantitatem sunt iuris positivi humani. Wicleff docuit, decimas non esse stricte debitas, sed meras eleemosynas, quas fideles ad libitum possent denegare; sed haec doctrina damnata est a Concilio Constantiensi [2]. Ipsum enim *ius naturale* praecipit cultum externum Dei, ut supra n. 327 probatum est. Iamvero cultus externus nequit convenienti modo haberi sine ecclesiis, ornamentis, ministris etc. Ergo fideles oblationibus tenentur procurare, ut necessaria pro cultu externo habeantur. Unde S. Thomas [3] scribit: «Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat; sicut et his, qui communi utilitati invigilant, scil. principibus et militibus et aliis huiusmodi, stipendia victus debentur a populo. Unde et Apostolus hoc probat per humanas consuetudines dicens: ‚Quis militat suis stipendiis umquam? aut quis plantat vineam, et de fructibus eius non edit?'» — *Ius* vero *divinum* expresse praescribit, ut ministris altaris debita sustentatio tribuatur a fidelibus: «Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.» [4] Hinc etiam Waldenses redeuntes in gremium Ecclesiae debuerunt profiteri: «Decimas, primitias et oblationes ex praecepto Domini credimus clericis persolvendas.» [5] — Ex quibus sequitur, ut ii, qui vectigalia ad cultum divinum necessaria defraudant, duplex peccatum, scil. irreligiositatis et iniustitiae committant, ac proinde, stricte loquendo, ad restitutionem teneantur, nisi Ecclesia sponte renuntiet huic restitutioni exigendae. Licet autem in nonnullis regionibus speciale praeceptum ecclesiasticum latum sit de decimis aut aliis oblationibus pro cultu necessariis solvendis [6], tamen Ecclesia non videtur ius suum urgere, aut saltem renuntiat restitutioni exigendae ob defraudata vectigalia ecclesiastica; immo non facile arguendi sunt fideles negantes hoc subsidium aut vectigal de gravi peccato commisso, nisi tamen inde sacerdotes cogantur ad egestatem et ceteri fideles ad nimias largitiones. Unde Kenrick [7] merito dicit: «Quamdiu nulla certa lege onus iniungitur et definitur, non audemus peccati mortalis damnare eum, qui omittit aequam portionem conferre, quoties non est periculum, ne sacerdotes ea de causa indigeant, vel alii fideles nimis graventur.» Notatu dignissima sunt verba

---

[1] Vulgo *Kultussteuer, dénier du culte.*

[2] Damnata fuit propositio 18: «Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre» (*Denz.* n. 598).

[3] S. theol. 2, 2, q. 87, a. 1. [4] 1 Cor 9, 13 sq; cf. Mt 10, 10.

[5] *Denz.* n. 427.

[6] Concilium Baltimorense III iussit catechismo inseri tamquam quintum Ecclesiae praeceptum: Subsidium aliquod conferre ad congruam pastorum sustentationem. — In Germania exsistunt vectigalia ecclesiastica *(Kirchensteuer).*

[7] Theol. mor. tr. 4, n. 64.

S. Thomae[1] de hac materia: «Ministri Ecclesiae maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum; et ideo Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino tradita, ut scil. acciperet stipendia victus ab his, quibus evangelium praedicabat, ne daretur aliquod impedimentum evangelio Christi.»

CAPUT III.

De vitiis oppositis virtuti religionis.

500 **Praenotamen.** Cum religio sit virtus moralis, quae in medio consistat, ut supra I, n. 462 declaratum est, duplex vitium religioni opponitur: alterum per excessum, scil. *superstitio;* alterum per defectum, scil. *irreligiositas.* Si tamen superstitio vocatur opposita religioni per excessum, hoc non ita intelligendum est, quasi Deus infinitae maiestatis nimis coli possit a creatura — id enim est impossibile — sed excessus superstitionis consistit aut in circumstantiis cultus, scil. si Deus modo incongruo colitur, aut in obiecto cultus, si nempe falsi dii coluntur. — Omissa irreligiositate de qua sufficienter iudicari potest ex supradictis de diversis actibus religionis, dividitur praesens caput in decem articulos: 1. de superstitione in genere; 2. de idololatria; 3. de divinatione; 4. de vana observantia; 5. de magia et maleficio; 6. de magnetismo, hypnotismo, spiritismo; 7. de tentatione Dei; 8. de blasphemia; 9. de sacrilegio; 10. de simonia.

ARTICULUS I.

De superstitione in genere.

501 **Notio. Superstitio**[2] definitur a S. Thoma[3]: **«vitium exhibens cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet».** Quae quidem definitio magis clarescit, si attenditur ad diversas species superstitionis.

Species superstitionis sunt duae, quae tamen iterum plures subdivisiones admittunt.

a) Prima species superstitionis est *cultus indebitus veri Numinis* seu Dei. In hac igitur superstitione colitur quidem verus Deus, sed cultu et modo incongruo contra Ecclesiae consuetudinem et legem. Haec species superstitionis duplici modo peragitur, scil. 1. per *cultum falsum* seu perniciosum; 2. per *cultum superfluum.*

Cultus *falsus* veri Dei diversis modis fieri potest, e. g. si quis velit colere Deum caerimoniis iudaicis, quae significant Christum adhuc venturum, ut esu agni paschalis, circumcisione etc.; si quis non sacerdos celebret Missam aut absolvere a peccatis praesumat; si quis falsa miracula aut falsas revelationes proponat ad confirmandam fidem; si quis

[1] S. theol. 2, 2, q. 87, a. 1 ad 5.

[2] *Aberglaube, δεισιδαιμονία.* De etymologia verbi superstitionis non concordant auctores. Alii derivant hoc nomen a «superstare», quia superstitio stat super seu extra verum cultum; alii putant hoc nomen esse desumptum a verbo «superstes», quia superstitio est pars paganismi superstitis. Cf. *Wirthmüller,* Die moral. Tugend der Religion § 87.

[3] S. theol. 2, 2, q. 92, a. 1.

falsas reliquias venerationi fidelium exhibeat. — Haec superstitio falsi cultus est ex genere suo peccatum grave, quia gravem iniuriam et irreverentiam irrogat Deo primae veritati; admittit autem parvitatem materiae. Sic e. g. contionator, qui in historia miraculosa quasdam exaggerationes scienter narret, aut etiam qui integram historiam fingat ad magis commovendum populum ad bonum opus, non peccat nisi venialiter, tum quia hoc verae religioni non multum praeiudicat, saltem si falsitas non detegitur, tum quia ipsa falsitas non immediate adhibetur ad colendum Deum [1]. Attamen tales narrationes sunt omnino vitandae, quoniam est prorsus dedecens, quod praedicator veritatis etiam in parva materia mentiatur.

Cultus *superfluus* veri Dei est ille, qui fini religionis non est conveniens. Porro finis religionis est, ut homo det gloriam Deo, cui se subicit mente et corpore. Unde «si aliquid sit, quod quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiae moderate refrenentur; aut etiam si sit praeter Dei et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem, totum hoc reputandum est superfluum et superstitiosum, quia, in exterioribus solum consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet.» [2] — Eiusmodi cultus superfluus est e. g. velle orare cum certo numero, situ, colore candelarum, velle audire Missam alicuius sacerdotis, qui vocatur Petrus, et alii sexcenti modi vani cultus [3]. — Superstitio cultus superflui est ex genere suo peccatum veniale, quia materia est levis et actio in se non est mala. Bona fides et simplicitas agentis aliquando ab omni prorsus peccato excusant; econtra propter scandalum aut Ecclesiae contemptum aut malam intentionem agentis haec superstitio potest evadere peccatum mortale. Ab omni autem labe superstitionis immunes sunt modi colendi Deum ab Ecclesia approbati, ut e. g. devotiones novendiales, triduanae, Missae Gregorianae etc.

b) Secunda species superstitionis est *cultus falsi numinis,* seu cultus divinus exhibitus alicui creaturae et praesertim diabolo. Subdividitur in idololatriam, divinationem et vanam observantiam, ad quam reducuntur magia et maleficium; de quibus omnibus nunc singillatim agendum est.

ARTICULUS II.

De idololatria.

Notio. Idololatria est latria seu adoratio idoli. Idolum 502
autem, prout hic sumitur, est effigies falsi numinis. Sic e. g. loquimur de idolo Iovis, Mercurii, Solis, Lunae etc. Ut per se patet, cultus divinus non attribuitur ipsi effigiei, sed personae aut rei repraesentatae

---

[1] Ita *Noldin,* De praeceptis n. 149. [2] S. theol. 2, 2, q. 93, a. 2.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 22 de observ. et evit. in celebr. Missae; cf. etiam const. «Officiorum et munerum» Leonis XIII, n. 13.

per effigiem. Unde idololatria nihil aliud est nisi adoratio alicuius creaturae sive animatae sive inanimatae[1]. Idololatria tamen aliquando sumitur in sensu metaphorico pro omni peccato mortali, quia in quolibet peccato mortali homo quasi cultum divinum exhibet creaturae, quoniam illam praefert Deo optimo maximo. In hoc sensu S. Paulus dicit: «Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi; . . . *quorum Deus venter est.*»[2] De hac idololatria metaphorica hic non est sermo. — Perfectam et formalem idololatriam committunt ii, qui ex odio Dei aut ex obstinata infidelitate colunt daemonem per sic dictas «missas nigras aut diabolicas» aut per alios modos prorsus nefarios. Pariter omnes, qui negant exsistentiam Dei personalis, et tamen diversos actus colendi ipsorum divinitatem peragunt.

503 **Distinctiones.** 1. Idololatria alia est *materialis* (simulata, externa), alia *formalis* (interna).

Prior fit solummodo exterius ex metu, iussu aliisque motivis, quin homo interius velit creaturam adorare, e. g. quando christianus horrore torturae et mortis tus adolet ante idolum paganum; interius autem despicit idolum. — Altera fit cum vera intentione interna adorandi creaturam, e. g. si quis cum plena deliberatione adorat diabolum.

2. Idololatria *perfecta* et *imperfecta.*

Ita subdividitur idololatria formalis. Prior est creaturae adoratio praestita ab eo, qui reapse putat, hanc creaturam esse Deum. Talis idololatria semper coniuncta est cum infidelitate, et hodie adhuc exsistit apud multos paganos. Posterior idololatria, scil. imperfecta, committitur ab eo, qui clare sciens idolo nullam inesse divinitatem, tamen nihilominus ex pravo affectu (e. g. ex odio Dei, ex cupiditate aliquid a daemone impetrandi) illi cultum divinum defert. Quae quidem imperfecta idololatria in aliquo sensu est gravius peccatum quam perfecta idololatria, quippe quae coniuncta sit cum ignorantia plus minusve invincibili, cum econtra imperfecta idololatria procedat ex mera malitia voluntatis.

504 **Malitia moralis.** Omnis idololatria, sive materialis sive formalis, sive perfecta sive imperfecta, est gravissimum peccatum.

Nam a) strictissime prohibita est in primo praecepto Decalogi: «Non habebis deos alienos coram me, . . . non adorabis ea [idola], neque coles.» Ideoque semper gravissime punita est tum a Deo in populo iudaico[3], tum ab Ecclesia, quae lapsis in idololatriam durissimam poenitentiam imponere solebat[4]. b) Idololatria est aperta rebellio contra Deum. — De gravitate huius peccati scribit S. Thomas[5]: «Gravitas alicuius peccati potest attendi dupliciter: uno modo ex parte ipsius peccati; et sic peccatum idololatriae gravissimum est. Sicut enim in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat quam vero regi, quia quantum in se est, totum reipublicae perturbat ordinem; ita in peccatis, quae contra

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 94, a. 1. [2] Phil 3, 18 sq. [3] Cf. Ex 22, 8—35.

[4] Sic e. g. Concilium Nicaenum I, can. 12, lapsis in idololatriam imposuit septem annos durissimae poenitentiae (*Mansi*, Ampliss. coll. Conc. II 703).

[5] S. theol. l. c. a. 3.

Deum committuntur, quae tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturae impendat: quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum. — Alio modo potest attendi gravitas peccati ex parte ipsius peccantis: sicut dicitur gravius esse peccatum eius, qui peccat scienter, quam eius, qui peccat ignoranter. Et secundum hoc nihil prohibet gravius peccare haereticos, qui scienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quam idololatras ignoranter peccantes. Et similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccantis.» — Idololatria quoque *materialis et simulata* semper habita est grave peccatum; etenim a) laedit virtutem religionis exhibendo exterius creaturae honorem, qui ab aliis hominibus aestimari debet divinus; b) est plenissimum mendacium in cultu religionis et saepe coniuncta cum gravi scandalo populi; c) est contra grave praeceptum profitendi fidem. Unde numquam licet exterius et simulate adorare idolum, etiam ad mortem vitandam[1]. — Ad materialem quoque idololatriam reducitur ac proinde graviter illicitum est scienter exponere venerationi aut pro communione tradere hostiam non consecratam. Hinc ille parochus, qui oblitus est consecrare hostiam maiorem, et ad populi admirationem vitandam exposuit in ostensorio hostiam maiorem non consecratam, cui tamen occulte coniunxit hostiam parvam consecratam, male egit[2]. Pariter male egit alius parochus, qui distribuendo s. communionem, dedit hostiam non consecratam sponso non ieiuno, ne sponsa aliique circumstantes sinistrum quid ex parte sponsi suspicarentur.

Scholion. De poenis contra idololatras. Ex hodierno iure ecclesiastico non habetur poena latae sententiae contra idololatriam. Cum autem illa fere semper coniuncta sit cum haeresi saltem in iis, qui valide baptizati sunt, poenae contra haereticos latae applicandae sunt. Insuper saepe cum vitio idololatriae coniunguntur peccata et poenae Francomuratorum aliarumque societatum similium. 505

ARTICULUS III.

De divinatione.

Notio. Divinatio proprie dicta[3] **est praenuntiatio seu praenotio futurorum modo indebito, id est, per media a Deo non instituta.** Divinatio saepe sumitur latius pro cognitione aut enuntiatione quarumcumque rerum occultarum, quae naturali modo cognosci non possunt, neque a Deo sunt revelatae. Cum autem cognitio huiusmodi rerum non habeatur neque per naturales vires hominis, neque per Deum, neque per bonos angelos aut sanctos (quia Deus non permittit, ut angeli et sancti modo indebito manifestent res occultas) reliquum est, ut divinatio fiat ope daemonis. Quapropter divinatio simpliciter definiri potest: *superstitio, qua invocatur explicite aut saltem implicite daemon ad res occultas ope eius cognoscendas.* 506

De cognitione rerum futurarum et occultarum iuxta doctrinam Angelici Doctoris[4] sequentia sunt animadvertenda: Res futurae dupliciter cognosci

---

[1] Hinc etiam sic dicti «Libellatici» graviter puniti sunt in antiqua Ecclesia.

[2] Cf. Cas. consc. *Prosperi Lambertini*, postea Benedicti XIV, I 280 (ed. Leodii 1853).

[3] *Wahrsagerei.* [4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 95, a. 1.

possunt, scil. in suis causis et in seipsis. Causae autem futurorum se habent: Quaedam causae producunt suos effectus *semper et* e. g. motus terrae circa solem necessario producit diversa tem] Quaedam causae autem producunt suos effectus non quidem necess semper, sed tamen *ut in pluribus,* e. g. ex semine nascitur arbor. demum causae non sunt determinatae ad unum effectum produce possunt diversos effectus producere, sicut e. g. voluntas humana] ducere actus bonos et malos. Si quis igitur ex cognitis causi secundi generis praedicit effectus, non committit divinationem, praedicit indebito modo, sed sequitur ductum rectae rationis. (ex cognitis causis liberis et contingentibus conatur praenuntia effectus (nisi Deo revelante), divinat; quia indebito modo agit, usu quod est solius Dei cognoscentis omnia futura contingentia. — non possunt cognoscere futura contingentia, nec etiam res prorsı et praesertim secreta cordium[1]; sed nihilominus longe plura quaı cognoscunt de futuris aliisque rebus occultis ob varias rationes: intellectiva naturalis angelorum est multo perfectior quam inte minis. Porro ista vis intellectiva naturalis non fuit diminuta in d per peccatum. 2. Quia per experientiam tot saeculorum satis p gnoscunt, quid soleat in certis circumstantiis evenire etiam ex cat gentibus. 3. Quia, utpote spiritus fortissimi et vaferrimi, valent, mittente, instigare causas quoque liberas ad certos effectus produc tamen cum omnimoda certitudine).

Omnis vera divinatio fit ope daemonis, et quidem vel per *exp* invocationem seu, ut dicitur, cum pacto explicito daemonis; qı daemon conceptis verbis invocatur, ut velit aliquam notitiam cor e. g. quaenam sors in loteria habitura sit maximum praemium; vocationem *implicitam,* quando quis ad obtinendam aliquam noti mediis ineptis, quae scil. novit neque ex natura sua neque ex vol aut Ecclesiae habere vim producendi effectum intentum. Daen libenter se immiscet huiusmodi mediis ineptis, quia tunc homo, r cultu Dei, paulatim in errores perniciosos labetur.

507 **Divisiones.** Divinatio dividitur in duas species, scil. a) cum expressa invocatione diaboli, et b) divinatio cum implic tione diaboli. Utraque species in multas partes subdividitur, brevissime enumerantur:

a) Novem sunt modi divinationis *cum expressa invocatione dial*

1. *Praestigium* habetur, quando ipse daemon sensibili signo a legitur in evangelio de tentatione ipsius Christi, et in vitis sanctorum.

2. *Oniromantia* sive divinatio somniorum habetur, quando diabolu revelat in somno res petitas. S. Thomas[3] recte docet, quattuor niorum causas, scil. duas internas et duas externas. Prima causa *animalis,* scil. cogitatio vel vivida affectio habita in vigilia. Nam constat, hominem saepe de eis somniari, de quibus ante somniur cogitavit. — Secunda causa interna est *corporalis,* scil. interna corporis. Sic e. g. affectio cordis producit somnia timoris, affect

---

[1] Cf. S. theol. 1, q. 57, a. 3 et 4. [2] Cf. ib. 2, 2, q. 95, a. 3. [3]

genitalium producit somnia libidinosa. — Prima causa externa, eaque corporalis, est *impressio materialis* ab extrinseco causata, durante somno. Sic e. g. qui dormit in loco graveolente, patitur somnia taediosa aut molesta. Luna plena splendens quosdam homines excitat ad somnia particularia (somnambulismus). — Altera causa externa est *Deus* vel *diabolus*. Deum revera quandoque somnia immittere, manifeste patet ex multis exemplis S. Scripturae[1]. Diabolum autem etiam valere causare somnia, patet ex eo, quod potest excitare phantasmata in homine. Phantasia est enim vis corporalis, in quam diabolus suum influxum exercere valet. Si Deus somnia immittit (quod raro nostris temporibus videtur accidere), simul solet praebere signa haud dubia, ipsum esse auctorem istorum somniorum. Talia signa sunt: a) si res in somno percepta est bona, Deo digna et ad virtutem impellens; b) si anima remanet tranquilla et ad pietatem inclinata, non autem perturbata et pertinax in suis propositis. — In dubio, utrum somnium sit a Deo necne, consulendus est legitimus superior ecclesiasticus. Quodsi certum est, somnium esse a Deo immissum, diligenter oboediendum est directionibus in somno acceptis. In omnibus autem aliis casibus, sive somnia processerunt ex causis naturalibus sive a diabolo, non licet fidere somniis; quoniam hoc esset velle cognoscere res occultas modo indebito, immo et expresse a Deo prohibito. Iam in Vetere Testamento prohibitum fuit observare somnia[2]. Unde graviter peccat, qui desiderat in somno doceri a daemone, aut — quod multo peius est — certa signa externa aut certum situm corporis adhibet, ut subeat influxum diaboli in somno. In praxi omnes deterrendi sunt ab observatione somniorum, etiamsi quis expresse excludit quemlibet interventum diabolicum. Credentes somniis habitis saepe non graviter peccant tum propter eorum bonam fidem, tum quia agitur de rebus minimi momenti. Sic e. g. ille, qui non vult equum ascendere, quia praecedenti nocte somniavit, se casurum esse ex equo, moneri potest de inani suo timore, sed non est arguendus de peccato gravi[3].

3. *Necromantia* est divinatio, in qua diabolus rogatur, ut velit suscitare aliquem mortuum, qui ad interrogationes respondeat. Haud dissimilis est modernus Spiritismus (de quo infra n. 523).

4. *Pythonismus*, quando daemon per homines vivos a se obsessos occulta manifestat, sicuti legitur de muliere pythonissa in Endor, quam adivit Saul[4].

5. *Geomantia* est divinatio, in qua daemon docet per figuras aut signa apparentia in aliquo corpore terrestri[5], puta in ligno vel ferro vel lapide polito. Ad geomantiam reducitur a) oraculum, quando scil. daemon consultus respondet per idola; b) tabulae rotantes, quando daemon dat responsa mediantibus tabulis rotantibus. Rotatio ipsa seu motus tabularum sub influxu nervorum eorum, qui tangunt tabulam, nondum est necessario actio diabolica; pariter, si tabula dat responsa per determinatum numerum ictuum, unus autem ex tangentibus tabulam cognoscit responsa danda, adhuc forte possibilis est naturalis explicatio ictuum et responsionum; sin autem responsio est prorsus occulta et omnibus ignota, tunc profecto non bono spiritui, sed diabolo est attribuenda.

---

[1] Gn 28, 12; Iud 7, 13; 1 Reg 3, 10; Dn 2, 19; Mt 1, 20 et 2, 12.

[2] Dt 18, 10; Ier 29, 8. [3] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 156.

[4] 1 Reg 28, 7 sqq.

[5] Sane aqua, aer, ignis etc. sunt etiam corpora terrestria, sed divinatio in istis rebus facta habet specialia nomina.

6. *Hydromantia,* si daemon docet per signa in aqua. Hodie usuvenit sic dicta cristallomantia, in qua quis aspicit in cristallo au insolitas figuras.

7. *Aeromantia,* si daemon docet per signa in aere.

8. *Pyromantia,* si daemon docet per signa in igne.

9. *Haruspicium,* si daemon docet per signa apparentia in visce malium immolatorum in aris daemonum; qualiter accidebat apu Romanos.

508 b) Septem modi divinationis *cum implicita invocatione diaboli* sole

1. *Astrologia iudiciaria*[1], quando quis conatur cognoscere futur sideratione situs et motus siderum. Huc pertinent genethliaci vel hoı ponentes[2]. Astrologia haec iudiciaria nihil commune habet cum aut astronomia scientifica.

2. *Augurium,* quando quis ex vocibus avium divinat.

3. *Auspicium,* quando quis ex volatu avium futura praedicit.

4. *Omen,* quando quis ex casu fortuito asserit res certas ess e. g. ex occursu funeris, ex assistentia 13 personarum in tabula.

5. *Chiromantia,* si quis ex lineamentis manus divinat; qualit diebus saepe fieri solet a zingaris.

6. *Physiognomia,* si divinatio fit ex lineamentis vultus vel alteriu corporis.

7. *Sortilegium,* si quis praesumit cognoscere futura ex signis electis, e. g. ex chartis, ex iactu taxillorum, ex figuris in plum facto etc.

509 **De moralitate sortium.** Tres sunt species sortium[3]: α) *Sortes* quae adhibentur communi consensu ad discernendum, quid alicui si dum, sive illud sit res possessa dividenda, sive sit honor, sive sit di Utilitate aut necessitate exigente istae sortes sunt plane licitae et tatae. Hinc licet sorte dividere hereditatem, quando alius modus divi est ita facilis; licet tempore pestis sorte determinare, quinam ex m beat remanere ad curandos aegrotos. Etiam in nonnullis codicibu expresse permittitur usus sortium ad dirimendas controversias[4]. I autem usus sortium in electionibus ecclesiasticis[5]. — β) *Sortes co* quae adhibentur ad investigandum, quid agere quidve omittere o rebus dubiis, e. g. utrum talis contractus dubie utilis sit faciendus; bivio sit progrediendum ad dexteram aut ad sinistram etc. Sort toriae per se sunt illicita tentatio Dei, nisi adhibeantur a) ex in Dei, ut factum est in electione apostoli Matthiae; b) ex sufficie causa necessitatis aut utilitatis, quando alia media ordinaria deficiu autem praemittendae sunt preces ad Deum, ut velit dirigere so illud: «Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.»[7] — *divinatoriae,* quae adhibentur ad obtinendam cognitionem rei occu sunt gravis superstitio, si citra speciale mandatum Dei serio fiun enim tales neque ex natura sua neque ex institutione Dei poss festare veritatem occultam. Ergo veritatis manifestatio exspectatur

---

[1] *Sterndeuterei.* [2] *Horoskop- oder Nativitätssteller.*

[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 95, a. 8, et *Billuart,* De relig. diss. 7, a. 3, § [4] Cf. Cod. civ. Germ. § 659 752; Cod. civ. Austr. § 835 841; Cod. civ. [5] c. 3, X 5, 21. [6] Cf. S. theol. l. c. [7] Prov 16, 33.

monis, qui proinde implicite saltem invocatur. Si sortes adhibentur ex speciali inspiratione Dei, ut factum est ad detegendum delictum Achan[1], plane licitae sunt, ut per se patet; sin autem adhibentur ex mero ioco aut aliqua curiositate, quin firma fides praestetur casui sortium, non sunt quidem graviter peccaminosae, sed nihilominus vitandae, quia sunt iocus non ita decens. — In iure canonico saepe et graviter prohibitum fuit sortilegium[2].

Scholion. De ordaliis et de usu virgae divinatoriae. Ad sortilegia 510 reducuntur etiam sic dicta *ordalia seu purgatio vulgaris* et *usus virgae divinatoriae*. *Ordalia* saepe adhibita sunt temporibus Medii Aevi. Iam S. Thomas illa illicita esse docuit, neque umquam Summi Pontifices illa approbaverunt. Quidam tamen pii homines iis usi sunt ex conscientia erronea, aut forte ex speciali instinctu Spiritus Sancti. Ordalia fieri solebant multis modis, praesertim autem per iudicium ferri candentis vel aquae ferventis; de quo S. Thomas[3] dicit: «Huiusmodi iudicium illicitum redditur, tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quae divino iudicio reservantur, tum quia huiusmodi iudicium non est auctoritate divina sancitum.» Et revera talia iudicia aeque continent illicitam tentationem Dei, a quo miraculum exspectatur, ac peccaminosam superstitionem.

Virga divinatoria[4] est virga, quae ex ligno coryli aut salicis solet caedi, et quae adhibetur ad res occultas inveniendas. Communiter docent auctores, usum huiusmodi virgae divinatoriae esse licitum ad quaerendum aquam vel metalla, dummodo fiat protestatio contra omnem influxum diabolicum. Ratio est, quia satis probabiliter explicari potest inclinari virgam ad aquam aut ad metalla ex viribus magneticis et electricis; unde etiam viri probi aliquando utuntur virga divinatoria ad hunc effectum. Sin autem virga illa adhibetur ad inveniendas res amissas cuiuslibet generis, tunc hoc illicitum est, quia nulla causa naturalis tales effectus producere valet[5].

Malitia moralis. 1. Divinatio, quae fit cum *expressa* daemonis 511 invocatione, est peccatum mortale *ex toto genere suo*.

Ratio est, quia

a) per illam exhibetur cultus divinus diabolò;

b) hoc modo habetur manifestissimum commercium cum infenso hoste Dei;

c) facile oritur periculum apostasiae aliorumque gravium peccatorum, immo et aeternae damnationis; nam sicut consuetudo cum angelis est quaedam incohatio vitae aeternae, ita commercium cum diabolo est initium quoddam aeternae damnationis.

2. Divinatio per *implicitam* daemonis invocationem est quidem peccatum mortale ex genere suo, quia est aliquale commercium cum diabolo; fit tamen peccatum veniale: a) ex ignorantia et simplicitate agentis; b) ex ioco et levitate, qua peragitur; c) ex eo, quod istis vanis signis non adhibetur firma fides.

---

[1] Iosue 7, 12.

[2] Cf. c. 7, C. 26, q. 5; pariter ib. c. 8 9 10; cf. etiam constutionem Sixti V «Coeli et terrae» a. 1586, in qua non solum sortilegium, sed etiam alii modi superstitionis graviter prohibentur.

[3] L. c. ad 3.

[4] *Wünschelrute, Zauberrute, die aus Haselnuß oder Weide geschnitten wird.*

[5] Etiam divinatio per cartas *(Kartenschlagen)* ad sortilegium divinatorium reduci potest.

Quapropter fideles instanter quidem monendi sunt, ne adeant divinatores exercentes chiromantiam, sortilegium etc., sed non ita facile damnandi sunt de peccato gravi commisso.

512 **Malitia specifica** divinitationis. Communiter quidem theologi docent, omnes diversas divinationes, sive fiant explicito sive implicito pacto cum diabolo, non distingui specifice in genere moris; quia omnes *ad cultum falsi numinis* reducuntur; sed nihilominus ob duas rationes in confessione declarari debet, num divinatio sit facta per explicitum pactum cum diabolo: 1. quia sic confessarius facilius iudicare potest, utrum peccatum commissum sit grave necne; divinatio enim cum pacto explicito diaboli est semper peccatum mortale, ut dictum est; 2. quia cum divinatione per invocationem expressam diaboli solent coniuncta esse quam plurima alia peccata, e. g. blasphemiae, sacrilegia, abusus rerum sacrarum etc.

ARTICULUS IV.

De vana observantia.

513 **Notio. Vana observantia[1] est species superstitionis, qua ad obtinendum certum effectum adhibentur media, quae nec ex natura sua nec ex Dei aut Ecclesiae ordinatione ad eum finem sunt idonea.**

Vana observantia differt a divinatione eo, quod huius finis est *cognitio* rerum futurarum aut occultarum; vana autem observantia ordinatur ad obtinendos alios effectus externos. Differentia igitur exsistit in solis effectibus, media autem adhibita, scil. interventus diaboli, sunt eadem.

514 **Divisio.** Vana observantia triplex solet a veteribus auctoribus distingui:

1. *Ars notoria*, quae est quaedam ratio adipiscendi scientiam repente et sine labore per media prorsus inepta.

E. g. inspiciendo quasdam figuras, proferendo quaedam ignota verba et alia huiusmodi. Ex quibus apparet differentia inter divinationem et artem notoriam; etenim per divinationem quaeritur notitia rerum futurarum aut occultarum; per artem autem notoriam quaeritur *infusio alicuius scientiae*[2]. S. Thomas[3] merito inculcat omnimodam inefficaciam huius artis notoriae. Etenim solus Deus potest scientiam infundere modo supernaturali: «ad daemones autem non pertinet illuminare intellectum . . . et ideo nullus umquam per daemones scientiam acquisivit.»

2. *Observantia sanitatum* est ratio curandi morbos, adhibitis mediis prorsus ineptis.

E. g. per sic dictam sympathiam, per amuleta, per ensalma etc. Haec medicina magica omnibus temporibus et apud omnes populos etiam excultos

---

[1] *Zauberei.*

[2] Ars notoria nostris temporibus exercetur a quibusdam sectis falso mysticismo deditis. In conventibus eorum aliquando etiam homines rudes subito surgunt, et quasi pleni Spiritu Sancto sermones faciunt de rebus moralibus et religiosis.

[3] S. theol. 2, 2, q. 96, a. 1.

viguit atque adhuc viget. In modernis ephemeridibus tales medici magici suum adiutorium haud raro offerunt. In praxi saepe difficillimum est distinguere, utrum aliquis modus medendi sit naturalis an magicus; quoniam effectus vere mirandi obtineri possunt in corpore humano per sic dictam *suggestionem*. In dubio adhibenda sunt ea criteria, quae infra n. 516 indicantur ad discernendam omnem vanam observantiam.

3. *Observantia eventuum* est ratio ex observatione fortuiti eventus coniectandi aliquid fausti vel infausti, et inde suas actiones moderandi.

E. g. si quis putat, sibi aliquid infausti obventurum esse, quia anus vetula ipsi mane occurrit; vel quia cum 13 convivis assedit mensae etc. Observantia ista eventuum valde affinis est divinationi quae vocatur omen; differt nihilominus ab ea, quia in divinatione quaeritur notitia futurorum; in observantia autem eventuum petitur directio operationum.

Malitia moralis et specifica vanae observantiae eadem est ac divinationis. 515

Ratio est, quia in utraque laeditur eodem formali modo virtus religionis, cum per invocationem explicitam aut implicitam diaboli quaeratur effectus. Nulla autem moralis differentia inducitur, utrum cognitio rei occultae an aliquis alius effectus externus petatur. Unde ea, quae supra dicta sunt de malitia morali divinationis, etiam de vana observantia valent. In praxi opus est magna patientia et prudentia ad fideles deterrendos a vanis observantiis, cum multi iique pii fideles nihil mali in huiusmodi actionibus percipiant. De vanitate igitur talium actionum prudenter instruendi sunt, quin tamen statim dicatur, eas esse in se graviter peccaminosas.

Criteria ad dignoscendam vanam observantiam sunt potissimum tria: 1. Insufficientia causae adhibitae ad effectum producendum. Hinc manifesta superstitio est, si quis recitando brevem formulam putat se inde sanitatem esse recuperaturum. 2. Adiectio vanae vel falsae circumstantiae tamquam necessario requisitae ad effectum obtinendum, e. g. abscidere septem crines ex collo ad sanitatem obtinendam. 3. Infallibilis exspectatio effectus ex istis vanis mediis. — In dubio, utrum effectus aliquis provenerit ex causa naturali an non, ordinarie tribuendus est viribus naturalibus, quia nihil praeternaturale adstruendum est, nisi de eo constat. Insuper efficacia causarum naturalium nobis saepissime ignota est. Sin autem constat, effectum non esse productum a causa naturali, et dubium oritur, utrum sit a Deo an a diabolo, miraculum non est praesumendum, sed potius diabolicus interventus. 516

ARTICULUS V.

De magia et maleficio.

Notiones. Magia in sensu generali sumpta est *ars operandi mira per causas occultas*. Distinguitur *magia alba* seu naturalis [1], quae est ars operandi per media naturalia; et *magia nigra* [2] seu superstitiosa, quae est ars operandi mira ope daemonis. — Magia, quae adhibetur 517

[1] *Taschenspielerkünste.* [2] *Schwarzkunst.*

ad nocendum aliis, vocatur *maleficium*. Antiqui distinguebant duplex maleficium, scil. maleficium *amatorium* seu philtrum, quod est excitatio vehementissimi amoris vel odii erga aliquam determinatam personam; et maleficium *veneficum*, quod alicui personae damnum infert in corpore aut in bonis ope daemonis. In iure canonico maleficium aliquando sortilegium vocatur, eo quod mala sors contingit illis, qui maleficio sunt affecti. Pariter magi et sagae vocantur sortiarii et sortiariae [1].

518 **Malitia moralis.** 1. *Magia alba* per se licita est.

Etenim exercetur viribus naturalibus, sagacitate et dexteritate hominum. Per accidens autem etiam magia alba potest illicita evadere, quia nimis excitantur videntes et audientes, atque facile credunt, ad miros effectus producendos intercedere vires praeternaturales.

2. *Magia nigra* est grave superstitionis peccatum, quod non differt nisi accidentaliter a divinatione et vana observantia.

Ratio est, quoniam in unaquaque habetur invocatio saltem implicita diaboli. Proinde oportet applicare eadem, quae supra dicta sunt de malitia divinationis et vanae observantiae.

3. *Maleficium* duplicem malitiam continet: alteram contra religionem, cum sit cultus daemonis, alteram contra caritatem et iustitiam, quia proximo damnum iniustum infert.

Daemonem posse revera homini nocere in maleficio tum amatorio tum venefico, per se patet, quia tales effectus producuntur per actiones corporales, quae non excedunt potestatem daemonis; nihilominus daemon nequit tollere libertatem humanam, ac proinde actus ab homine commissi sub influxu diaboli remanent imputabiles, nisi tamen ratio fuerit totaliter perturbata. In praxi non facile credendum est, in aliquo casu adesse magiam nigram aut maleficium diabolicum. Tristis enim historia sagarum demonstrat, quantae atrocitates iniustissimae fuerint commissae ex eo, quod homines nimis creduli fuerunt in istis rebus [2]. Tamquam regula certa et a nemine negata haberi debet: Quotiescumque dubium rationabile remanet, utrum effectus aliquis proveniat a causa naturali an a daemone, viribus naturalibus tribuendus est. Ratio est, quia a) vires naturales quam plurimae sunt adhuc nobis ignotae. Si quis e. g. phaenomena plura moderna, telephonii, phonographi, electricitatis etc. antiquis temporibus subito protulisset, forte tamquam sortiarius diabolicus habitus fuisset. Fere in dies novae vires naturales deteguntur, quae producunt effectus stupendos. b) Nonnulli homines sunt maxima dexteritate et sagacitate praediti atque solis viribus naturalibus producunt effectus, qui sunt prorsus inexplicabiles pro hominibus aspicientibus. c) Influxus diaboli videtur esse nunc valde coarctatus per omnipotentiam divinam, atque in nullo casu est praesumendus, sed semper clare probandus. Quae quidem valde attendenda sunt praesertim a sacerdotibus, ne citius aliquem insolitum et inexplicabilem effectum diabolo tribuant, atque postea ab omnibus merito derideantur.

---

[1] Cf. totam q. 5, C. 26. [2] *Hexenwahn.*

ARTICULUS VI.

De magnetismo, hypnotismo et spiritismo.

Magnetismus est vel *mineralis* vel *animalis*. Prior est aliqua 519
vis physica valde similis et affinis electricitati inhaerens nonnullis mineralibus et metallis. Quamvis intima natura huius magnetismi adhuc nos lateat, tamen de die in diem magis ac magis adhibetur in utilitatem generis humani. De hoc magnetismo tractare pertinet ad scientias naturales, non autem ad theologiam moralem. Magnetismus *animalis*, qui et mesmerismus vocatur a primo inventore, medico Francisco Mesmer († 1815), est vis quaedam forte in nervis hominis subsistens, apta ad curandos morbos sola attrectatione externa, vel aliis mediis potius psychologicis quam materialibus. Magnetismus animalis nostris diebus saepe exercetur a sic dictis magnetopathis, et *obiective consideratus* nihil illiciti in se continet. Est enim nihil aliud nisi unus e diversis modis curandi morbos; et sicut electropathia, homoeopathia, hydropathia etc. obiective licita sunt, ita etiam mesmerismus, qui revera, testantibus in arte peritis, bonos effectus producit. Per accidens tamen mesmerismus haud raro illicitus est, quia exercetur ab hominibus, qui carent debita scientia, bonis moribus et recto fine agendi. Circa usum magnetismi S. Officium[1] statuit tamquam regulam generalem: «Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.» — Magnetismus minime confundendus est cum hypnotismo, de quo infra agetur. In magnetismo enim numquam amittitur usus rationis et libertatis; quod tamen in hypnotismo aliquando accidit.

De tabulis rotantibus. Ope magnetismi animalis forte etiam explicari 520
possunt «*tabulae rotantes*». En modus agendi earum: Plures homines, sive viri sive feminae (satis raro accidit, ut unus solus possit producere eosdem effectus), tangunt summis digitis (determinato modo ordinatis) aliquam tabulam. Post aliquod tempus tabula incipit moveri et praesertim pedibus agitari. Si tunc statuitur inter praesentes e. g. ut unus ictus significet: affirmative, et duo ictus significent: negative, tabula respondet ictibus pedis ad responsa posita. Quae quidem responsa vera sunt, dummodo unus ex tangentibus tabulam cognoscat quid sit respondendum; secus autem semper falsum dicit. Quidam auctores asserunt, tabulam subito cessare rotationem facere, quando res benedicta ei superponatur, vel tabulam dare responsa in rebus quoque prorsus occultis; quod tamen merito ab aliis negatur, cum viri omni suspicione maiores ex propria experientia firmiter contendant, tabulam numquam dare verum responsum, quando nemo tangentium rem interrogatam cognoscat, et a fortiori tabulam numquam revelare aliquid prorsus ignotum[2]. Phaenomena, quae

---

[1] Die 28 Iulii 1847. [2] Cf. *C. Gutberlet*, Der Kampf um die Seele (1903) 582.

enarrantur e. g. a Gury-Ballerini [1], certo non occurrunt in sexcentis experientiis factis, et si casu raro occurrant, saepe nihil aliud sunt nisi producta per dexteritatem maximam magnetizatoris. Cum igitur nondum certo constet, quid accurate per tabulas rotantes producatur, cum magna cautione iudicandum est de illis. Sequentia videntur esse dicenda:

1. Simplex rotatio tabulae aliqualiter explicari potest ex viribus naturalibus nervorum aut alicuius fluidi electrici, cuius natura tamen nos adhuc latet.

2. Responsio tabulae ad quaesita nota uni aut pluribus tangentium, non est necessario tribuenda viribus praeternaturalibus; etenim sicut nervi tangentium possunt producere probabiliter ipsam rotationem, sic nihil obstare videtur, quominus iidem nervi causent iuxta voluntatem tangentium etiam determinatum numerum ictuum [2].

3. Si revera tabula dat responsa de rebus vere occultis, tunc hoc attribuendum est diabolo. Nam absque omni dubio tabula materialis nullum responsum dare potest per se ipsam; praeterea assistentes non valent responsum dare, cum agatur de re occulta, ut supponitur; demum neque Deus neque bonus angelus huiusmodi responsa dant ad interrogationes saepe frivolas. Ergo reliquum est, ut diabolus se immisceat.

4. Etiam exclusis responsis tabulae de rebus occultis, fideles deterrendi sunt ab experimentis tabularum rotantium, quia, etiamsi nullus interventus diabolicus tunc probabilius adest, tamen huiusmodi experimenta nedum ullam utilitatem producunt, sed potius plura damna solent causare: etenim excitant curiositatem malesanam, fovent superstitionem, haud raro laedunt honestatem et caritatem.

521 **Hypnotismus.** Etsi quidam auctores hypnotismum nihil aliud esse volunt nisi gradum superiorem magnetismi animalis, rectius distinguitur realiter ab illo. Etenim magnetismus animalis solis attrectationibus corporalibus fieri potest; hypnotismus vero multis aliis modis producitur, e. g. aspectu fixo corporis lucidi aliisque mediis mechanicis; immo sunt homines, qui quadam autosuggestione se ipsos in somnum hypnoticum transferre valent.

Effectus, qui ope hypnotismi producuntur, sunt multi et diversi. Dr. Joire [3], professor Instituti psychologici Parisiensis, enumerat quinque categorias effectuum, scil. activam suggestionem, passivam suggestionem, somnambulismum, katalepsim, lethargiam; sed ipse fatetur, omnes istas categorias non esse plane diversas, sed saepe inter se permixtas. Effectus plane stupendus hypnotismi est somnambulismus, in quo persona hypnotizata in omnibus subicitur voluntati et imperio hypnotizantis, et quamvis videatur esse orbata sensibus externis, nihilominus vidit et audit hypnotizantem, cui oboedit ad nutum.

Nostris diebus hypnotismus saepe adhibetur, et quidem:

1. a medicis ad varios morbos, praesertim nervorum, curandos;

2. ab artificibus, e. g. a pictore ad comparandum sibi exemplar [4], quod diu eundem situm immobiliter retinet, aut diu eundem vividum affectum internum exprimit compositione oris vultusque;

3. a iudicibus, ut ab accusatis aut testibus eliciant confessiones utiles aut necessarias;

---

[1] Comp. Theol. mor. I, n. 273 sqq.

[2] Ita etiam *Tanquerey*, De virt. relig. n. 913.

[3] Handbuch des Hypnotismus, deutsche Übers. (1908) 40 sqq.

[4] *Modell.*

4. a parentibus et magistris ad iuvandam educationem et ad habitus pravos exstirpandos; quae enim hypnotizato suggesta sunt, etiam cessante hypnosi, vi cuiusdam propensionis inditae saltem per aliquod tempus solet ille exsecutioni mandare (status posthypnotici);

5. ab hominibus curiosis ad recreationem propriam et alienam.

Quamvis nonnulla phaenomena hypnotismi sint difficillima explicatu, tamen omnino non est necessarium recurrere ad interventum diabolicum. Quae ab aliquibus auctoribus narrantur de locutione linguarum ignotarum, de scientiis et notionibus prorsus extraordinariis a personis hypnotizatis habitis, sunt merae fabulae aut saltem non certo constant. Aliquis medicus tum scientia tum bonis moribus praeclarissimus, qui ipse cum bono effectu saepissime adhibuit hypnotismum, quique illum vidit adhibitum saepe ab aliis, narravit mihi, neque se neque aliquem alium umquam potuisse ope hypnotismi obtinere aliquem effectum excedentem vires naturales personae hypnotizatae; quodsi tales effectus excedentes narrentur, eos attribuendos esse soli credulitati et simplicitati audientium atque praegrandi dexteritati hypnotizantis [1].

Liceitas hypnotismi. Principium. *Hypnotismus per se non est illicitus, saepissime tamen propter abusum evadit illicitus.* 522

Ita sententia hodie communior. *Prob. pars I:* Media adhibita in hypnotismo (eiusque finis) licita sunt. Ergo hypnotismus per se non est illicitus. Media adhibita sunt suggestiones, corpora rutilantia etc., quae sane nihil illiciti continent. Pariter fines hypnotismi supra enumerati non necessario sunt mali et repugnantes rectae rationi. Neque dicat quis, non licere se modo violento privare usu rationis, neque a fortiori subicere voluntatem suam arbitrio alieno. Nam, quamquam haec vera sunt, si non adest sufficiens causa, tamen, *exsistente rationabili causa*, nihil obstat, quominus quis ad tempus renuntiet usui rationis et voluntatis. Sic e. g. quando homo se dat somno naturali vel si aegrotus in narcosim ponitur, etiam renuntiat usui rationis et voluntatis. — Est tamen aliqua difficultas de sic dictis statibus *posthypnoticis*. Nam etiam post hypnotismum peractum voluntas personae hypnotizatae remanet aliqualiter sub potestate hypnotizatoris, cuius imperia (etiam ex distantia et solum mentaliter data) sine resistentia solet adimplere. Nihilominus nequit dici, personam hypnotizatam perdidisse libertatem, cum non solum valeat resistere, sed etiam de facto resistat imperio hynotizatoris. Imprimitur ergo per hypnotismum aliqua inclinatio plus minusve vehemens, sed libertas non aufertur.

Declaratur pars II. Hypnotismus est terra adhuc satis incognita atque periculis plena. Etenim non raro ex illo sanitas corporalis nedum curatur, sed potius pessumdatur; deinde illa subiectione voluntatis, quae aliqualiter remanet etiam post hypnosim, hypnotizator facile potest abuti ad crimina perpetranda. Quae cum ita sint, non licet uti hypnotismo nisi ex causa proportionate gravi, et adhibitis omnibus cautelis,

---

[1] Merito dicit *Tanquerey* (l. c. n. 916): «Phaenomena hypnotica, quae certo constant, vires ordinis naturalis praetergredi non videntur.»

ne abusus sit possibilis. Sunt plures auctores, qui usum hypnotismi absolute interdicunt, ut Ballerini-Palmieri [1], Bucceroni [2], Aertnys [3], Marc [4]; plures autem alii, ut Berardi [5], Génicot [6], Lehmkuhl [7], D'Annibale [8], Noldin [9], Coconnier [10], sub aliquibus conditionibus illum licitum habent. Notandum est responsum S. Officii die 26 Iulii 1899 de hypnotismo: «Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali, et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis. — Quoad nova experimenta, si agatur de factis, quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione, nullam partem habere velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.» — Ex quo responso manifeste apparet, S. Sedem non condemnare hypnotismum ut simpliciter illicitum, sed determinare solummodo conditiones, sub quibus eiusmodi experimenta licite fieri possint.

Nota. A recentioribus medicis magis ac magis in dubium vocantur salutares effectus hypnotismi, saltem, si perducitur usque ad somnambulismum. Etenim nunc constat, effectus salutares obtentos per hypnotismum esse saepe parvae durationis, postea autem morbum apparenter curatum redire, et quidem in gradu vehementiore.

523 **Spiritismus** (qui et aliquando spiritualismus vocatur) sumitur aut in sensu lato, et tunc phaenomena quoque tabularum rotantium et respondentium ad spiritismum pertinent; aut in sensu stricto, et tunc est *illicita conversatio cum spiritibus alterius mundi.* Quando haec conversatio fit mediante hypnotismo — quod satis raro accidit — tunc habentur simul phaenomena hypnotismi et spiritismi. Iam supra satis dictum est de hypnotismo. In spiritismo stricte dicto evocantur spiritus alterius mundi, praesertim defuncti hominis noti. Spiritus sic evocati aliquando producunt sic dictam «materialisationem», i. e. apparent in forma sensibili et visibili, ita ut illorum photographia sumi possit. Hodiernis temporibus valde grassatur spiritismus. In Universitate Philadelphiae specialis cathedra spiritismi erecta est, et plura scripta periodica in dies divulgant spiritismum. Sic dicta *media spiritistica*, i. e. personae habentes specialem aptitudinem conversandi cum spiritibus, adhiberi solent, quae cadendo in quendam somnum artificialem (qui vocatur *Trance*) materialisationem spirituum producunt. Pluries probatum est, media celeberrima spiritistica fuisse viles impostores, qui

---

[1] Opus theol. II, tr. 6, n. 101 (ed. 1890). [2] Theol. mor. I, n. 485.

[3] Theol. mor. l. 3, n. 32. Aertnys permittit tamen, ut hypnotismus adhibeatur a medico fido ad solos effectus naturales producendos.

[4] Instit. mor. I, n. 566. Dicit autem solummodo auctor, hypnotismum esse regulariter illicitum.

[5] Praxis confess. I, n. 484. Tamen non ita constat de auctoris mente.

[6] Theol. mor. I, n. 273. [7] Theol. mor. I, n. 502.

[8] Summula Theol. mor. II, n. 43. [9] De praeceptis n. 749.

[10] L'hypnotisme franç. 260 sqq. — Prae ceteris iste auctor est consulendus in hac materia.

magna dexteritate produxerunt effectus stupendos, sed viribus solis naturalibus. Sunt qui omnia phaenomena spiritistica appellent commenta et deceptiones; et revera fortis suspicio deceptionis debet oriri ex eo, quod omnes sessiones spiritisticae solent fieri *sub luce incerta* et non clara. Quare autem spiritus ita timent plenam lucem?

Moralitas. Spiritismus stricte dictus, i. e. conversatio cum spiri- 524
tibus alterius mundi, prorsus illicitus est.

Nam phaenomena spiritismi aut sunt vera aut fictitia. In utroque autem casu spiritismus est illicitus. Nam in primo casu spiritismus nihil aliud est nisi vana observantia coniuncta cum divinatione, nempe cum pythonismo aut cum necromantia. Morali enim certitudine constat, istas apparitiones et responsiones non esse tribuendas causae naturali, sed enti praeternaturali. Porro istud ens certissime non est Deus, neque angelus bonus, neque sanctus; quia isti non cooperantur spiritisticis vanitatibus et impietatibus, praesertim cum haud raro res religioni et bonis moribus contrariae proferantur. Ergo apparitiones spiritisticae, si sint verae, reapse diabolicae sunt, ac proinde commercium illicitum cum daemone causant. — Sin autem phaenomena sunt falsa — ut in pluribus accidit — adhuc spiritismus videtur esse illicitus: quia solet grave scandalum praebere, multos in errorem inducere, verae religioni nocere et prorsus nihil utilitatis afferre, neque ullam veram utilitatem hucusque attulit. Propterea numquam licet experimenta spiritistica instituere, quamvis excludatur omnis conventio cum daemone et intendatur solum commercium cum bono spiritu. Huc pertinet responsio S. Officii die 1 April. 1898 [1].

A fortiori non licet in experimentis spiritisticis inservire tamquam *medium*. Absente scandalo et cooperatione omnique exclusa approbatione spiritismi, non videtur esse grave peccatum aliquando spectare experimenta spiritistica, etiam ex mera curiositate [2]. Etenim constat, quam plurima istorum experimentorum esse producta ex dexteritate hominum; econtra non certo constat, vel ullum phaenomenon esse productum a diabolo. Ergo iuxta regulam superius a S. Congregatione datam, in dubio, utrum aliquis effectus sit a causa naturali an a praeternaturali, phaenomena spiritismi possunt adscribi causis naturalibus. Si quis autem homo probus et eruditus absque scandalo assistit sessionibus spiritistarum hoc solo fine, ut detegat veram naturam spiritismi, nullo modo peccat, sed bene agit [3].

---

[1] «Titius exclusa omni conventione cum spiritu maligno, evocare solet animas defunctorum. Ita procedit: Dum solus reperitur, quin aliquid aliud praemittat, precem dirigit ad ducem militiae coelestis, ut ab ipso obtineat facultatem communicandi cum spiritu talis determinatae personae Aliquantulum exspectat; tunc ipse praeparatam manum dum praebet ad scribendum, persentit illam moveri, ex quo certior fit de praesentia spiritus. Ipse exponit, quae scire cupit, et manus scribit responsa hisce quaesitis. Quae responsiones quadrant omnes cum catholica fide et doctrina Ecclesiae relate ad vitam futuram. Plerumque spectant statum, in quo reperitur anima alicuius defuncti, necessitatem suam de recipiendis suffragiis, quaerimonias eiusdem circa ingratitudinem parentum etc. Estne licita agendi ratio Titii? Resp.: Uti exponitur, non licere. Sanctissimus approbavit» (Collect. de Prop. Fide n. 1994). — Concilium Baltimorense II, n. 41 prudenter statuit: «Hortamur eos in Christo, ut nulla, vel indirecta ratione, spiritismo faveant, et ne quidem ex curiositate eius circulis umquam assistant.»

[2] Ita etiam *Noldin*, De praeceptis n. 170.

[3] Ita etiam *Tanquerey*, De virt. relig. n. 918.

ARTICULUS VII.

De tentatione Dei.

Praenotamen. Hucusque dictum est de peccatis contra re *excessum;* nunc tractandum est de irreligiositate, quae religio: *per defectum,* in quantum ex ipsa natura sua aliquid cultui divinc scil. irreverentiam et contumeliam, continet. Sane etiam supers species irrogant irreverentiam Deo, sed non ita immediate ac (irreligiositas, quae versatur directe contra Deum aut res sacra excipias idololatriam). Contra Deum est tentatio et blasphemia sacras est sacrilegium et simonia. De singulis separatim agendı

525 **Notio. Tentatio Dei est dictum vel factum, explorat, num Deus aliquam perfectionem habea erceat,** e. g. scientiam, potentiam, misericordiam [1]. Ten est igitur nihil aliud nisi experimentum sumere sine sufficien aliquo attributo divino vel exspectare insolitam Dei manifest: Duplex solet distingui tentatio: altera *probationis,* altera *s* Tentatio seductionis ad peccatum causatur a diabolo, a n propria concupiscentia; Deus autem neminem tentat ad Tentatio probationis intendit manifestationem alicuius facti, e. g virtutis, fidelitatis, amicitiae etc. Hoc modo Deus non : sanctos, e. g. oboedientiam Abrahae [4], patientiam Tobiae e haec tentatio probationis dicitur *activa,* si ipse Deus sic hom dicitur autem *passiva,* si Deus tentatur ab hominibus, qui perimentum sumere de aliqua eius perfectione; et de hac ul tione nunc sermo est.

526 **Divisio.** Distinguitur tentatio Dei *formalis* (expressa, et *virtualis* (interpretativa).

Prior adest, si quis per ea, quae facit aut dicit, expresse plorare aliquam Dei perfectionem aut eius voluntatem. Quo se de Israelitis: «Tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus non?» [6] et in Psalmis dicitur: «Tentaverunt Dominum in cordibus s quid poterit Deus parare mensam in deserto?» [7] — Talis quoc formalis adesset, si quis dubitans de Dei potentia ab ipso peteret vel si quis se in puteum proiceret cum animo experiendi, si Dei miraculose salvare. — Altera tentatio adest, quando quis non qui intendit experimentum sumere de Deo, sed tamen aliquid facit ad nihil aliud utile nisi ad probandam Dei vel potestatem vel ut si quis non quidem dubitaret de Dei potestate et bonitate, se exponeret periculo mortis sperans miraculosum Dei adiutorium. tatio, scil. formalis, solet procedere ex infidelitate aut saltem du aliqua Dei perfectione; altera tentatio, scil. virtualis, oritur pl praesumptione aut nimia confidentia. Ad explicandam naturam

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 97, a. 1; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 29.
[2] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 8, a. unic., et supra I, n. 385.
[3] Cf. Iac 1, 3. [4] Cf. Gn 22, 1. [5] Cf. Tob 2, 12.
[6] Ex 17, 7; cf. Hebr 9, 3 et 9. [7] Ps 77, 18 sq.

tionis scribit Angelicus Doctor[1]: «Quasi interpretative Deum tentat, qui, etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem vel cognitionem; sicut cum quis equum currere facit, ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere; sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur quam experimentum sumere de equi velocitate. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare; dicitur enim: ‚Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.'[2] Quando vero hoc agitur *absque utilitate et necessitate,* hoc est interpretative tentare Deum.»

Malitia moralis. *Tentatio formalis Dei est peccatum mortale ex toto genere suo, quod proinde numquam evadit veniale nisi ob imperfectionem actus; tentatio autem interpretativa est peccatum mortale ex genere suo (non autem ex toto genere suo).* 527

Declaratur. Tentatio formalis includit duplex grave peccatum, scil. infidelitatis et gravis irreligiositatis; supponit enim saltem dubium de aliqua perfectione Dei, et deinde exspectat, ut Deus miraculose producat vanum et inutilem effectum; quod profecte est valde irreverentiosum erga eius maiestatem. Unde etiam Christus indignabundus respondit diabolo petenti miraculum: «Non tentabis Dominum Deum tuum.»[3] — Tentatio interpretativa est etiam directe contra virtutem religionis, ac proinde peccatum mortale ex genere suo. Accedit, quod saepe est coniuncta cum gravi laesione caritatis erga se ipsum, ut si quis se proicit in puteum cum periculo vitae, sperans miraculosam salvationem. Plerumque autem talis tentatio interpretativa est solum peccatum leve, quia non agitur nisi de levi materia ac levi periculo. Hinc leviter peccat, qui in levi morbo recusat medicinam sumere et a Deo sanitatem exspectat. Num clericus graviter peccet, qui ex negligentia imparatus ad contionem accedat sperans a Deo speciale auxilium, non solum pensandum est ex tentatione Dei commissa, sed praesertim *ex scandalo,* quod huiusmodi contiones non praeparatae solent causare, si ab audientibus percipitur negligentia oratoris sacri.

Scholion. De ordalibus. Iam supra n. 510 dictum est, ordalia, vel sic dicta iudicia Dei, fuisse obiective graviter illicita, cum pertineant ad sortes divinatorias. Insuper sunt illicita, quia sunt tentatio interpretativa Dei. Unde plures Summi Pontifices, ut Nicolaus I[4], Stephanus VI[5], Coelestinus III[6], Innocentius III[7], Honorius III[8] huiusmodi iudicia tamquam tentationes Dei prohibuerunt. Unde est calumnia dicere S. Sedem approbasse mediaevalia iudicia Dei. 528

ARTICULUS VIII.

De blasphemia.

Notio. Blasphemia[9] solet definiri: **locutio contumeliosa in Deum.** 529

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 97, a. 1. [2] 2 Par 20, 12. [3] Mt 4, 7. [4] c. 22, C. 2, q. 5. [5] c. 20 ib. [6] c. 1, X 5, 35. [7] c. 9, X 3, 50. [8] c. 3, X 5, 35.

[9] Nomen blasphemiae videtur desumptum ex verbis graecis βλάπτω et φήμη, quae significant laesionem famae. Fama autem Dei nequit laedi detractione et calumnia, cum

Dicitur: locutio, quia blasphemia proprie et stricte dicta solis verbis fit; sub nomine tamen blasphemiae concluduntur quoque alia quaecumque signa contumeliosa in Deum. Immo sunt auctores, qui distinguunt blasphemiam cordis, oris et operis. Blasphemia *cordis* sunt cogitationes Deo contumeliam inferentes. Blasphemia *oris* est locutio Deo contumeliosa. Blasphemia *operis* est opus externum significans contumeliam in Deum, e. g. spuere in coelum, crucifixum pedibus conculcare, hostiam consecratam pedibus terere etc. Verum blasphemia in stricto sensu est locutio Deo contumeliosa, ideoque si blasphemia est in aliqua dioecesi peccatum reservatum aut si plectitur aliis poenis, intelligitur sola blasphemia oris.

S. Thomas tractat de blasphemia inter peccata, quae opponuntur confessioni debitae fidei, quia sicut per confessionem fidei asseritur aliquid conveniens divinae excellentiae, ita per blasphemiam exteriorem asseritur cum quadam affectus detestatione aliquid repugnans divinae excellentiae [1]. Verumtamen omnis blasphemia opponitur quoque virtuti religionis, cum religio habeat pro obiecto cultum et honorem Dei, blasphemia autem prorsus contrarium facit, nempe Deo contumeliam infert.

530 **Divisiones.** Blasphemia distinguitur: 1. *haereticalis* et *non-haereticalis*.

Blasphemia haereticalis continet veram haeresim, sive formalem sive materialem; e. g. Deus est tyrannus, aut si Calvinista dicit: Deus est causa peccati. Quando homo blasphemans revera credit haeresim prolatam, est haeresis formalis; sin autem solummodo hoc exterius profert sine interiore assensu, est haeresis materialis, ut si quis catholicus ex desperatione diceret: Deus plane oblitus est mei. — Blasphemia non-haereticalis nullam haeresim, sed solam imprecationem aut contumeliam Dei continet, et solet subdividi in blasphemiam *simplicem (probrosam)* et *imprecativam*. Prior est simplex contumelia seu derisio. Hoc modo blasphemabant iudaei dicentes de Christo: «Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas, salva temetipsum.» [2] Altera est blasphemia *imprecativa*, qua Deo malum exoptatur; e. g. pereat Deus! Quae si fiat vere deliberate, coniuncta est cum odio Dei, quod est simpliciter gravissimum omnium peccatorum.

2. Blasphemia *immediata* et *mediata*.

Prior est, quae inhonorat directe Deum ipsum; altera inhonorat sanctos aut res sacras, non quidem secundum se, sed in quantum habent arctam relationem ad Deum. Sic e. g. si quis diceret de B. Virgine, illam esse Venerem impudicam, committeret blasphemiam mediatam, dummodo in B. Virgine vellet dehonorare Deum. Sin autem idem diceret, unice intendens dehonorationem B. Virginis, ut est homo, esset peccatum contra hyperduliam, non autem proprie peccatum blasphemiae [3].

531 **Malitia.** *Blasphemia est peccatum mortale ex toto genere suo, ideoque non potest fieri veniale ex parvitate materiae, sed solummodo ex imperfectione actus.*

Deus sit ubique praesens. Restat sola contumelia, quae profertur in praesentem. Sicut autem contumelia prolata in hominem praesentem illum graviter laedit, ita contumelia illata Deo omnipraesenti per blasphemiam est gravis offensa Dei.

[1] S. theol. 2, 2, q. 13 [2] Mt 27, 40.

[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 76, a. 2.

Malitiam enormem blasphemiae iam licet suspicari ex gravissima mortis poena illi in Vetere Testamento inflicta: «Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.»[1] Etiam in iure (tum canonico tum civili) graves poenae infliguntur blasphemantibus, e. g. interdictum personale, privatio sepulturae ecclesiasticae, excommunicatio, infamia[2]. S. Pius V statuit, ut blasphemis possit perforari lingua[3]. Etiam nonnulla moderna iura civilia graviter puniunt blasphemos[4]. — Ratio autem intrinseca, quare blasphemia sit tam grave peccatum, est eius hostilis oppositio tum ad caritatem Dei, tum ad virtutem religionis, tum saepe ad fidem theologicam. Unde quoties adest blasphemia vere voluntaria et deliberata, semper est peccatum mortale[5].

Propter imperfectionem actus verba blasphematoria saepe non sunt peccata gravia. Etenim non raro in blasphemantibus deest sufficiens advertentia et intentio. Ex ira vel subitis affectibus vel ex consuetudine non prorsus voluntaria homines praesertim rudes prorumpunt in verba blasphematoria, quin ullo modo intendant contumeliari Deum aut res sacras. Si quis habet malam consuetudinem proferendi verba blasphematoria, debet pro viribus illam deponere; secus actus ex consuetudine producti ipsi imputantur, licet non attendat ad malitiam singulorum. Cf. quae supra I, n. 90 dicta sunt de influxu habitus in moralitatem actuum humanorum.

Regulae practicae ad discernendum, num in aliquo casu par- 532
ticulari adsit blasphemia graviter peccaminosa.

Ad tria praesertim attendere oportet:

1. ad intentionem loquentis vel agentis;
2. ad sensum naturalem verborum;
3. ad communem aestimationem in loco.

Quando constat, loquentem aut agentem revera voluisse blasphemare, res clara est, cum prava intentio omnem actum humanum deturpet. Sin autem non clare constat, loquentem aut agentem voluisse contumeliam Deo inferre, immo potius apparet, illum aliud intendisse, tunc oportet attendere ad naturalem sensum verborum et imprimis ad communem aestimationem in loco vigentem. Secundum naturalem sensum verborum est blasphemia, si a) Deo aliquid verum denegatur aut aliquid falsum imputatur; e. g. blasphemiae sunt locutiones sequentes: Deus non est iustus, Deus est crudelis, Deus non curat de me; b) si creaturae attribuitur aliquod attributum divinum; e. g. si quis dicat: Hoc tam bene facere possum sicut Deus; vel si amasius *serio* vocat amasiam Deam; communiter tamen huiusmodi locutiones potius sunt exaggerationes et non serio intentae; nihilominus semper sunt sedulo vitandae, ut per se patet; c) si quis profert res contumeliosas contra

---

[1] Lv 24, 15 sq.

[2] Cf. c. 1 et 2, X 5, 26 et *Hollweck*, Die kirchl. Strafgesetze § 127.

[3] Const. «Cum pridem» a. 1566.

[4] Cf. Deutsches Strafgesetzbuch § 166 et Staatslexikon, s. v. «Religionsverbrechen».

[5] Cf. S. theol. 2, 2, q. 13, a. 2 et 3, ubi Angelicus Doctor dicit: «Cum blasphemus intendat nocumentum inferre honori divino, simpliciter loquendo, gravius peccat quam homicida», et cum S. Augustino dicit: «Peius est blasphemare quam peierare.»

Ecclesiam a Christo fundatam, contra sacramenta, contra cultum Dei etc. — Imprimis autem attendenda est *communis aestimatio* in loco vigens; etenim verba blasphematoria saepe sunt truncata: in aliquo loco habentur ut blasphematoria, in alio vero non. Sic e. g. verba Neerlandica: «God dom» antiquitus habebantur ut blasphema, nunc autem iam desinit ista acceptio. Num idem dicendum sit de simili verbo Anglico: «Goddam», non audeo affirmare. Expressiones Germanicae: «Tausend Sakrament», «Tausend Herrgott», sicut etiam locutio Gallica: «Mille noms de Dieu», iuxta communem aestimationem non sunt blasphemiae, sed vanae assumptiones rei sacrae. Nam illi, qui tales locutiones adhibent, minime intendunt aut intelligunt, esse mille sacramenta, mille Deos, mille nomina Dei.

Remedia contra blasphemias.

533 1. Si agitur de blasphemiis plene deliberatis, serio monendi sunt blasphematores non solum, quam grave peccatum sit blasphemia, sed etiam, quam insulsum et stultum sit velle contumeliam inferre Deo altissimo. Sicut enim dementiae esset velle nocere soli aut lunae, ita adhuc magis irrationabile est velle aliquid agere contra Deum. Optime enim dicit Psalmista: «Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania?... Qui habitat in coelis irridebit eos.» [1]

2. Si agitur de blasphemiis, quae solent proferri ex subitanea ira, vel ex aliis affectibus vehementibus, inculcandum est, quam vanae sint istae locutiones et quam facile causent scandalum. Si omnes monitiones fuerint infructuosae, valde salutare remedium contra habituales blasphemias sunt quaedam *poenae conventionales*, e. g. toties eleemosyna elargienda, quoties blasphemia prolata fuerit, vel etiam post quamlibet blasphemiam pia oratio iaculatoria dicenda in reparationem.

A blasphemia clare distingui debet *maledictio* et *vana usurpatio divini nominis* aut rerum sacrarum, licet ista duo non raro a simplicibus confundantur cum blasphemia.

534 **Maledictio** *est malum alteri imprecari.* Potest autem quis malum imprecari a) Deo aut rebus et personis sanctis, b) creaturis rationalibus, c) creaturis irrationalibus, d) diabolo.

a) Maledicere Deo aut rebus personisque sanctis, est blasphemia, ut supra explicatum est.

b) Maledicere creaturis rationalibus ordinarie adversatur soli caritati aut iustitiae, ac proinde S. Thomas tractat de maledictione inter peccata opposita iustitiae [2]. Huiusmodi maledictiones saepe effutiuntur ex subitanea ira sine seria intentione, et tunc sunt peccata solummodo venialia, e. g. si quis iracundus exclamat: Diabolus te arripiat! fulgura te percutiant! utinam cervices frangas! etc. Tales maledictiones sunt praesertim vitandae a parentibus aliisque superioribus, tum quia inde solet scandalum oriri, tunc quia sunt praeter exspectationem efficaces.

[1] Ps 2, 1 4. [2] S. theol. 2, 2, q. 76.

Accidit enim, ut illud malum quod parentes ex ira filiis imprecantur, postea revera eveniat. Hinc dicitur: «Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.»[1] — Maledictiones serio prolatae contra proximum procedunt *ex odio,* et sunt graviter vel leviter peccaminosae iuxta gravitatem odii et mali exoptati.

c) Maledicere creaturis irrationalibus, e. g. ventis, equis, pluviis etc. non est blasphemia, quia tunc minime solet attendi et intendi aliqua relatio ad Deum. Est communiter nihil aliud nisi peccatum leve impatientiae. Immo si est finis honestus, tales maledictiones nullum sunt peccatum, quemadmodum fit in exorcismo. Sic etiam David maledixit montibus Gelboe, Iob et Ieremias diei nativitatis. Immo ipse Christus maledixit ficulneae[2].

d) Maledicere diabolo, ut inimico Dei et generis humani, licet[3].

Exclamationes, sicut: diabolus, coelum, fulgura *(Donnerwetter!)* etc. nihil aliud solent esse nisi eruptiones subitaneae vividi affectus; in se non sunt peccaminosae, evadunt autem per accidens illicitae, si inde scandalum oriatur, ut si sacerdotes, parentes, magistri eis saepe utantur. Praesertim monendi sunt fideles, ne saepius nomen diaboli, infensissimi hostis nostrae salutis, eloquantur.

Vana assumptio nominis Dei specialiter interdicitur in secundo 535
praecepto Decalogi: «Ne assumes nomen Domini Dei tui in vanum»[4], quo quidem praecepto prohibemur vane, i. e. irreverentiose eloqui non solum nomen Dei, sed etiam nomina sanctorum et rerum sanctarum. Vanae tales assumptiones nominis Dei aut sanctorum sunt e. g.: Mi Deus! Iesus, quam turpe est hoc! Sacramentum! Crux! etc. Praeciso scandalo huiusmodi vanae assumptiones sunt peccatum veniale contra virtutem religionis. Nam irreverentiae hoc modo Deo illatae non sunt tam graves, ut constituant peccatum grave, cum neque ex earum significatione neque ex intentione loquentium directe impugnent honorem Dei. Nihilominus omnes, praesertim autem sacerdotes et religiosi, debent sedulo vitare tales exclamationes, utpote ad nihil utiles, aliquando scandalum praebentes, et vere semper venialiter malae.

ARTICULUS IX.

De sacrilegio.

Cum iste articulus sit sat longus, dividitur maioris claritatis causa in quattuor paragraphos: 1. de sacrilegio in genere; 2. de sacrilegio personali; 3. de sacrilegio locali; 4. de sacrilegio reali.

§ 1.

De sacrilegio in genere.

Notio etymologica. Sacrilegium secundum vim nominis signi- 536
ficat sacrum legere. Verbum autem legere sumitur pro sibi sumere

[1] Eccli 3, 11. [2] Cf. S. theol. l. c. a. 2. [3] Cf. ib. a. 1 ad 4. [4] Ex 20, 7.

seu indebite arrogare et rapere, ita ut sacrilegium significet: sacrum sibi indebite arrogare. Quare in lingua Germanica sacrilegium recte vocatur *Gottesraub*.

537 **Definitio.** A S. Thoma[1] sacrilegium definitur: **violatio rei sacrae** (formaliter ut est sacra). In lato sensu quodcumque peccatum contra virtutem religionis aliquando vocatur sacrilegium, sed in stricto sensu sacrilegium non est, nisi laeditur seu indigne tractatur res vere sacra. Sub nomine autem rei sacrae comprehenditur etiam persona sacra et locus sacer; et haec tria vocantur sacra, *si ritu publico et Dei Ecclesiaeve auctoritate ad cultum divinum sunt dedicata*. Ita sententia communis. Ratio autem est, quia non quilibet potest pro libitu eximere res, quas mavult, e numero profanarum rerum iisque characterem sanctitatis imprimere, sed ad hoc requiritur auctoritas Ecclesiae. Sunt tamen nonnulli auctores, e. g. Caietanus[2], qui putant sufficere quodlibet votum aut propositum privatum devovens rem cultui divino ad illam sacram reddendam, ac proinde violationem cuiuslibet voti privati, e. g. ieiunii, eleemosynae etc., esse sacrilegium. In praxi ista controversia est parvae utilitatis; etenim ille, qui votum privatum violavit, debet hanc violationem in confessione declarare; parum autem refert, utrum haec violatio vocetur sacrilegium an alio nomine. — Violatio, quae in sacrilegio committitur, non necessario est physica, sed *moralis, eaque gravis*. Non enim quaecumque levis tractatio indigna rei sacrae solet vocari sacrilegium; secus enim etiam confabulationes in ecclesia, irreverentia externa levis contra sacramenta etc. deberent appellari sacrilegia; quod tamen usu non est receptum. Insuper notandum est, non quamcumque etiam gravem violationem rei sacrae esse sacrilegium, sed solam violationem illam, quae laedit rem *formaliter ut est sacra*. Quapropter oportet advertere, ad quid res sit sanctificata, et utrum contra id praecise agatur. Sic e. g. persona sacerdotis est sanctificata et est res sacra, non autem eius honor, fama, bona materialia. Proinde qui laedit personam sacerdotis percutiendo, trahendo ad tribunal civile, cogendo ad servitium militare, fornicando, committit sacrilegium; qui vero bona privata sacerdotis furatur, qui eum diffamat, non committit sacrilegium, licet forte gravius peccet[3].

538 **Divisio.** Triplex distinguitur sacrilegium: *personale, locale, reale;* prout triplex est genus rerum sacrarum: personae sacrae, loca sacra, res sacrae. Lessius[4] aliique adiungunt sacrilegium temporis sacri, e. g. facere opera servilia diebus Dominicis et festivis, graviter peccare die communionis, se inebriari die Parasceves. Rectius autem hoc sacrilegium temporis sacri non adoptatur tamquam species distincta; nam

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 199. [2] Cf. supra n. 403.

[3] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 10, a. unic.

[4] Forte potius verbis quam re Lessius a communi sententia dissentit, quia docet violationem temporis sacri ad imperfectam rationem sacrilegii reduci (De iust. et iure l. 2, c. 45, n. 18).

licet circumstantia temporis sacri augeat malitiam peccati, non tamen videtur constituere novam et distinctam speciem sacrilegii, quia huiusmodi actus non violant tempus quatenus et formaliter ut est sacrum.

Disputant theologi, utrum tres species sacrilegii enumeratae sint species *infimae*, an econtra in unaquaque specie adhuc sint species inferiores, e. g. utrum graviter verberare sacerdotem non solum sit aliud peccatum, sed etiam aliud specie distinctum *sacrilegium*, ac cum illo luxuriose agere. Omnes quidem docent, actus ipsos esse diversa peccata, ac proinde in casu esse distincte declarandam verberationem et luxuriam; sed hos actus non esse *specie diversa sacrilegia*, videtur docere S. Thomas[1] dicens: «Nihil prohibet aliqua duo esse secundum aliquid unius speciei, et secundum aliud diversum.... Possibile est, aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie secundum rationem formalem sacrilegii; puta si quis sanctimonialem violaverit verberando vel concumbendo.» S. Alphonsus[2] vocat hanc sententiam probabiliorem. Unde in confessione explicandum est quidem, utrum commissum fuerit sacrilegium personale an locale an reale, sed aliae circumstantiae non sunt necessario declarandae, dummodo actus materiales sint sufficienter explicati. Quare si quis in longa confessione singulos actus peccaminosos secundum alias suas specificas malitias iam declaravit, oblitus autem est declarare circumstantiam sacrilegii, ad nihil aliud tenetur nisi ut subiungat: Insuper tot gravia sacrilegia personalia, aut localia, aut realia commisi[3].

Malitia moralis et specifica sacrilegii. *Sacrilegium est peccatum ex genere suo grave contra virtutem religionis.* 539

Ratio est, quia personae, res, loca Deo sacra merentur specialem reverentiam, quam violat sacrilegium. Huiusmodi autem violatio ex se gravem irreverentiam irrogat Deo; nam sicut laeditur honor heri, si eius famulus formaliter ut famulus dehonoratur, aut si eius domus aut res deturpantur, ita a fortiori Deus dehonoratur, si personae, loca, res ipsi dedicata indigne tractantur. — Sacrilegium admittit parvitatem materiae, sed non est in usu vocare sacrilegia laesiones valde parvas rerum sacrarum, ut e. g. si quis in ecclesia irreverentiose confabulatur (cf. supra). — Sacrilegia personalia, localia et realia specie inter se differunt, ut iam supra dictum est. — Sacrilegia omnia non sunt eiusdem gravitatis, sed, ceteris paribus, sacrilegium personale est peius; deinde venit sacrilegium locale et ultimo sacrilegium reale. Ad rem optime scribit Angelicus Doctor[4]: «Secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quod sacrilegii species distinguantur. Tanto enim sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem.... Sanctitas loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Dei exhibet. Dicitur enim: ‚Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.'[5] Et ideo gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum.»

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 99, a. 3 ad 2.
[2] Theol. mor. l. 3, n. 34.
[3] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 521.
[4] L. c. a. 3. [5] 2 Mach 5, 19.

§ 2.

De sacrilegio personali.

540 **Notio.** *Sacrilegium personale est violatio personae sacrae.* Porro persona fit sacra et a profanis separatur duobus modis, scil. a) per statum clericalem; b) per statum religiosum.

Modi. Sacrilegium personale committi potest quattuor modis:

1. Suadente diabolo violentas manus iniciendo in clericos vel personas religiosas utriusque sexus. Brevius dici potest: Sacrilegium committitur per laesionem *privilegii canonis.*

2. Illicite trahendo easdem personas ad tribunal saeculare. Brevius: Sacrilegium committitur per laesionem *privilegii fori.*

3. Exigendo indebite ab iisdem personis tributa, vectigalia, servitium militare. Brevius: Sacrilegium committitur per laesionem *privilegii immunitatis.*

4. Committendo actus luxuriae cum persona obstricta voto publico castitatis (sive illud votum sit simplex sive sollemnizatum sive sollemne).

541 **Quantum ad 1.** De privilegio canonis (sic dicto quia continetur in Iure canonico c. 29, C. 17, q. 4) latius agunt canonistae [1]. Breviter sequentia notentur: a) Sacrilegium committitur per omnes peccaminosas violentias *reales* (non autem verbales), quae infliguntur personae, vel etiam rebus ita personae inhaerentibus, ut violentia redundet in ipsam personam clerici aut religiosi. Tales violentiae sunt e. g. verberare, conspuere, luto aliisque sordibus inquinare, crines evellere, vestem lacerare etc. — b) Ad sacrilegium requiritur, ut istae violentiae factae fuerint *suadente diabolo,* seu cum gravi peccato. Etenim si tales violentiae factae fuissent licito modo, e. g. ob legitimam defensionem, ob iustam correctionem, ex ioco, ex ignorantia, non adest neque sacrilegium neque censura ecclesiastica. — c) Privilegio canonis gaudent α) omnes clerici, i. e. qui clericalem tonsuram habent, et β) omnes personae ecclesiasticae utriusque sexus, quae in approbatis ordinibus et congregationibus habitum religiosum portant. Adverte tamen, regulares et clericos, qui sacris ordinibus non sunt initiati, eo ipso absque monitione canonica et sententia iudicis declaratoria amittere privilegium canonis (et fori), quando habitum ecclesiasticum et tonsuram non deferunt [2]. Alii casus, in quibus clerici et regulares amittunt privilegia canonis, fori et immunitatis, hodie rarissime eveniunt [3]. De censura contra violatores privilegii canonis vide infra in tractatu de censuris.

542 **Quantum ad 2.** Privilegium fori est exemptio personarum ecclesiasticarum a iurisdictione fori saecularis. A tribunalibus quidem civilibus hodiernis hoc privilegium iam non solet agnosci, sed nihilominus exsistit. Ideo S. Officium d. 23 Ian. 1886 hanc edidit declarationem: «In iis locis, in quibus fori privilegium per Summos Pontifices derogatum non fuerit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, teneantur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forum laicorum con-

---

[1] Cf. nostrum Man. iur. eccl. II, q. 218.

[2] Ita ex decreto Pii IX d. 20 Sept. 1860.

[3] Cf. *Ferraris,* Prompta Bibl., s. v. «Clericus», a. 2.

venire possint; eamque Ordinarii numquam denegabunt, tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem aut iudices laicos, vel clericum sine venia Ordinarii vel episcopum sine venia Apostolicae Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem fori, si id expedire in Domino iudicaverit.» — Pius X in motu proprio d. 9 Oct. 1911 statuit, ut omnes (etiam privati homines), qui sine permissu competentis potestatis ecclesiasticae vocant ad tribunal laicorum ibique adesse publice compellunt personas quasvis ecclesiasticas in causa sive civili sive criminali, incurrant excommunicationem speciali modo Romano Pontifici reservatam[1]. — In aliquibus tamen regionibus privilegium fori est abolitum vi Concordati aut vi consuetudinis legitimae. Ibi igitur haec excommunicatio non incurritur.

Quantum ad 3. Privilegium immunitatis est triplex: locale, reale, per- 543
sonale. Immunitas *localis* est ius alicui loco sacro concessum, vi cuius inibi prohibentur quaelibet actiones, quae laedunt reverentiam isti loco debitam. Laesio huius immunitatis pertinet ad sacrilegium locale, de quo infra. Immunitas *realis* est ius, quo bona ecclesiarum et clericorum sunt libera a iurisdictione laicali atque a tributis et actionibus civilibus. Laesio istius immunitatis pertinet ad sacrilegium reale, de quo etiam infra. Immunitas *personalis* est exemptio a muniis civilibus et praesertim a servitio militari obeundis. Plura gubernia moderna hanc immunitatem clericorum non agnoscunt. Romana Curia sapientes ordinationes edidit pro clericis et regularibus, qui coguntur ad obeundum servitium militare[2].

Quantum ad 4. Violatio voti sollemnis castitatis (idem valet de voto 544
sollemnizato in susceptione subdiaconatus) certo est sacrilegium. Ita omnes. Ratio est, quia per tale votum homo consecratur tamquam persona sacra et a profanis prorsus separata. Luxuria sacrilega committitur, si a persona sacra vel cum illa perpetratur quodcumque peccatum grave contra sextum aut nonum praeceptum Decalogi. Etiam peccata interna commissa a persona sacra, e. g. delectationes morosae, desideria, esse vera sacrilegia docet sententia verior et communior[3].

Quaeritur, an sacerdos regularis sollemniter professus peccans graviter contra castitatem committat duo sacrilegia, cum habeat duo vota: alterum religionis et alterum ob susceptum subdiaconatum. S. Alphonsus[4] merito vocat sententiam negantem veriorem; quia quamvis talis sacerdos ex duplici praecepto obligetur ad castitatem, tamen haec duo praecepta non sunt nisi *materialiter* diversa; quoniam procedunt ex eodem motivo, scil. cultus divini. Ideoque licet talis sacerdos regularis laedendo castitatem peccet gravius, non tamen committit duo sacrilegia distincta, ac proinde in confessione non tenetur dicere, se esse sacerdotem regularem, sed sufficit alterutrum confiteri: aut votum sollemne emissum aut subdiaconatum susceptum.

Probabilius etiam laesio voti *simplicis sed publici* castitatis emissi in congregationibus approbatis aut in ordinibus religiosis stricte dictis (triennio

---

[1] Cf. Acta Ap. Sedis III 556.

[2] Cf. S. Offic. d. 1 Sept. 1904; S. C. de Relig. d. 29 Dec. 1909.

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 454. Cf. etiam quae supra I, n. 397 dicta sunt de delectatione morosa.

[4] L. c. n. 455.

ante professionem sollemnem) est verum sacrilegium. Ratio est, quia personae isto voto obstrictae deputantur ad cultum divinum ex publica Ecclesiae auctoritate; ac insuper separantur a personis profanis, sicut sollemniter professi. Contrarium docent nonnulli auctores, e. g. Haine [1], qui citat Sporer. Violationem voti simplicis castitatis esse peccatum perfidiae et non sacrilegii, asserit Palmieri-Ballerini [2].

Laesio voti *privati* castitatis non videtur esse sacrilegium in proprio sensu, cum per tale votum homo minime efficiatur persona sacra. Hinc coniuges, qui ex mutuo consensu emiserunt votum castitatis, et nihilominus matrimonio usi sunt, peccant quidem contra religionem, sed sacrilegium proprie dictum non committunt. Ita sententia longe communior [3].

§ 3.

De sacrilegio locali.

545 **Notiones.** *Sacrilegium locale est violatio loci sacri vel immunitatis localis.* Locus sacer in stricto sensu dicitur ille, qui Ecclesiae auctoritate ad cultum divinum est perpetuo consecratus aut saltem benedictus [4]. Talia loca sacra sunt: ecclesiae, oratoria publica et coemeteria benedicta. A locis sacris distingui debent loca *religiosa* et loca *pia*. Loca *religiosa* sunt illa, in quibus opera pietatis et misericordiae habitualiter et ex officio exercentur, et quae cum auctoritate aut expressa licentia episcopi sunt erecta. Talia loca religiosa sunt monasteria, hospitalia auctoritate Ecclesiae erecta, seminaria clericorum, palatium episcopi etc. Istis locis religiosis, quae aliquando vocantur sacra in latiore sensu, solet competere ius asyli et privilegium immunitatis. — Loca *pia* illa sunt, quae sine *interventu Ecclesiae* deputata sunt ad opera pia exercenda, e. g. oratoria privata, orphanotrophia civilia, coemeteria civilia etc.

546 **Actiones,** quibus in locis sacris sacrilegium committitur, sunt sequentes:

1. *Peccata, quibus locus sacer polluitur,* nempe:

a) *Iniusta et copiosa effusio sanguinis humani.*

Ergo si quis e. g. propter levem alapam in ecclesia receptam e naribus effundit sanguinem, neque pollutio neque sacrilegium locale adest, quippe quod non oriatur nisi ex gravi et iniusta vulneratione [5].

b) *Iniustum homicidium* etiam sine sanguinis effusione, e. g. strangulatione.

Quaelibet occisio (etiam suicidium) patrata cum plena deliberatione in ecclesia, nisi fiat ob iustam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, est sacrilegium. Ut autem dicatur occisio *patrata in ecclesia,* requiritur et

---

[1] Elem. Theol. mor. I, de pecc. q. 30.

[2] Opus theol., de praec. Decal. tr. 6, n. 140.

[3] Cf. *Laymann,* Theol. mor. l. 4, tr. 10, c. 7, n. 5, et *Billuart,* De relig. dist. 10, a. unic.

[4] Nonnulli auctores, ut Laymann et Billuart (l. c.), non exigunt, ut loca sacra sint benedicta. In praxi autem semper requiritur benedictio.

[5] c. unic. in VI°, 3, 21; cf. etiam *Many,* Praelect. de locis sacris n. 32.

sufficit, quod causa *proxima* mortis, v. g. vulnus, venenum, accipiatur in ecclesia, licet mors extra ecclesiam accidat [1].

c) *Effusio graviter peccaminosa seminis humani,* sive haec fiat peccato solitario sive copula carnali peccaminosa cum alia persona habita.

Unde e. g. si quis etiam secreto modo pollutionem peccaminosam sibi in ecclesia procuraverit, debet necessario declarare in confessione circumstantiam loci sacri. Contraria opinio, quam Göpfert [2] vocat probabilem, non est tuta in praxi, et fere ab omnibus auctoribus reicitur. Num autem alia peccata gravia externa luxuriae in loco sacro commissa (tactus, aspectus, sermones turpes), praeciso periculo pollutionis, sint vera sacrilegia in stricto sensu, controvertitur. S. Alphonsus [3] vocat sententiam affirmantem probabiliorem; atque certo multo melius declaratur circumstantia loci sacri in istis peccatis, quia saepe inde exortum est scandalum, et quia secus confessarius non potest bene iudicare de statu poenitentis. Huiusmodi actus non esse sacrilegia stricte dicta, tamquam probabile habetur a pluribus auctoribus [4]. Peccata *mere interna* luxuriae patrata in loco sacro non sunt sacrilegia in stricto sensu. — Quod auctores veteres dicunt de licita copula coniugali in loco sacro, nostris temporibus vix accidere potest.

d) *Sepultura* hominis excommunicati vitandi aut non baptizati adulti, nisi tamen ille non baptizatus sit catechumenus.

Catechumeni enim, licet nondum acceperint baptismum fluminis, sunt tamen voluntate et desiderio iam membra Ecclesiae. — Specialis controversia exsistit de infantibus nondum baptizatis. Ab omnibus quidem admittitur, quod infans *nondum natus,* in casu quo mater moritur, sepeliendus sit cum matre, cuius adhuc censetur esse pars. Pariter docent omnes, parentum *infidelium* infantes non posse sepeliri in loco sacro. Si autem agitur de sepultura infantium non baptizatorum, qui a parentibus *catholicis* sunt geniti, omnes quidem docent, illos non posse licite sepeliri in loco sacro, sed quidam auctores docent, ex tali sepultura locum sacrum non pollui. — Sacrilegium videtur etiam esse sepelire in loco sacro excommunicatum toleratum, e. g. haereticum.

Nota. Omnes actiones enumeratae polluunt locum sacrum ac reconciliationem illius exigunt, dummodo tamen fuerint *notoriae.* Deficiente notorietate, non causatur quidem pollutio, sed remanet sacrilegium.

2. *Actiones plures profanae,* quae aut ex natura sua aut ex speciali 547
prohibitione Ecclesiae adversantur sanctitati loci sacri.

A Concilio Lugdunensi II recensentur tales actiones: iudicia saecularia tum civilia tum criminalia, negotiationes, nundinae, profani ludi theatrales, publici conventus societatum profanarum, convivia etc.[5]

Occasione exsequiarum aut festivitatum non debent in ecclesia admitti vexilla prorsus profana. Etiam vexilla sic dicta nationalia non sunt toleranda

---

[1] c. 4, X 3, 40 et *Many* l. c. n. 31. [2] Moraltheol. I 402.

[3] Theol. mor. l. 3, n. 459.

[4] Ita *Noldin,* De praeceptis n. 178; *Tanquerey,* De virt. relig. n. 933, et plures veteres auctores citati a *S. Alphonso* l. c.

[5] c. 2, in VI° 3, 23.

in ecclesia, nisi secus magna incommoda timeantur. Si in pompa funebri afferuntur vexilla, quae prae se ferunt emblemata manifeste impia vel perversa, clerus inde recedat[1].

Valde laedunt sanctitatem loci sacri stabulationes equorum, humanae spurcitiae, choreae. Privatim autem aliquid manducare in locis sacris, non excedit peccatum veniale; immo accedenti rationabili causa (e. g. si opifices laborant in ecclesia nec facile exire possunt) nullum est peccatum. Vendere cereos vel devotionalia in coemeterio aut in atrio ecclesiae toleratur in aliquibus regionibus. Facilius possunt huiusmodi actiones permitti in coemeterio quam in ecclesia. Sin autem coemeteria non sunt benedicta, sed civilia — ut hodie saepe accidit — tunc iam non sunt loca sacra.

548 3. *Furtum grave in loco sacro commissum.*

Sic enim statuitur in Decreto Gratiani[2]: «Sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.» — *Sacrum de sacro* aufertur e. g. si quis calicem consecratum furatur ex ecclesia. *Non sacrum de sacro* auferunt isti pessimi homines, qui ad ecclesiam plenam populi accedunt, ut furta committant circa fideles ibi commorantes[3]. Plures autem auctores, e. g. Lugo[4], Tamburinus[5], Lessius[6], Noldin[7], putant, tunc solum furtum in loco sacro commissum esse grave sacrilegium, si res ablata speciali aliquo vinculo sit coniuncta cum loco sacro, atque ideo aut ad locum sacrum pertineat aut saltem eius custodiae sit concredita. Sententia opposita, quam S. Alphonsus[8] vocat probabiliorem et quae est conformior textui Iuris canonici[9] supra citato, docet, omne grave furtum commissum in loco sacro esse verum sacrilegium. Unde si quis furatus est crumenam hominis divitis in ecclesia, debet in confessione declarare circumstantiam loci sacri.

Si quis furatur *sacrum de non sacro,* puta calicem consecratum in domo laicali, non committit sacrilegium locale, sed reale.

549 4. *Laesio immunitatis localis.*

Immunitas localis est privilegium alicui loco concessum, vi cuius in illo prohibentur plures actiones profanae et conceditur *ius asyli.* Privilegium immunitatis competit non solum locis sacris, sed etiam locis religiosis[10]. Cf. supra. — Ius asyli iam apud antiquos populos, et praesertim apud Hebraeos fuit moribus et legibus receptum[11]. Tunc temporis hoc ius valde utile fuit, cum iustitia criminalis esset aliquando nimis severa. Medio aevo plura crimina indicata sunt, quae ius asyli non potuerunt sibi arrogare, e. g. blasphemia, periurium, usura etc. Ius asyli in se est valde conveniens, praesertim quantum ad loca sacra. Etenim hoc modo fit protestatio publica reverentiae istis locis debitae, atque iustitia terrena quasi inclinat se reverenter ante iustitiam divinam, quae omnes reos iudicat in aequitate. Nostris temporibus ius asyli ecclesiastici fere nullibi agnoscitur a guberniis civilibus. Fere unica exceptio est palatium Vaticanum, quod adhuc habet privilegium exterritoriali-

---

[1] Cf. S. Offic. d. 4 Apr. 1887 et d. 24 Nov. 1897.
[2] c. 21, C. 17, q. 4. [3] *Taschendieb, pickpocket.*
[4] De sacr. poenit. disp. 16, n. 470. [5] Method. conf. l. 2, c. 8, n. 5.
[6] De iust. et iure l. 2, c. 45, n. 14. [7] De praeceptis n. 178.
[8] Theol. mor. l. 3, n. 39; cf. etiam *Billuart,* De relig. diss. 10, a. unic.
[9] Textus citatus non est quidem a Ioanne VIII, ut videtur supponere Gratianus, sed ab Ivone Carnot; cf. *Berardi,* Gratiani Canones genuini etc III 344 (ed. Taurini 1752).
[10] Cf. c. 21, C. 17, q. 14. [11] Cf. Ex 21, 13; Dt 19, 2 sqq.

tatis. Licet autem Pius IX in bulla «Apostolicae Sedis» excommunicatione plectat «immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes», tamen consuetudo contraria fere universalis permittit, ut rei capiantur etiam in locis asyli ecclesiastici. Nihilominus lex asyli est saltem quoad substantiam servanda etiam nostris diebus, in quantum hoc est possibile[1], ac proinde pro viribus curandum est, ne homo criminosus tempore officiorum divinorum in ecclesia per violentiam capiatur. Quam praxim etiam observant quaedam gubernia civilia. — Mirabile dictu! Cum ius asyli *ecclesiastici* fere ubique non agnoscatur, ius asyli *civilis* adhuc sub diversa forma exsistit. Sic e. g. domus consulatus in exteris urbibus exsistentes habent ius asyli, saltem pro criminibus politicis; si quis fugit in navim armatam[2] alterius nationis, non potest capi nisi praevio consensu gubernii, ad quod pertinet navis armata[3].

Nota. Actiones in tribus prioribus numeris indicatae non causant 550
sacrilegium, nisi patratae sunt stricte in loco sacro, i. e. *intra ambitum loci sacri,* seu si agitur de ecclesiis, in spatio, quod circumincluditur a parietibus, pavimento et lacunari ecclesiae. Ergo sacrilegium non adest, si e. g. effusio sanguinis facta est in sacristia, aut in porticu, aut in crypta subterranea, aut in turri, aut supra lacunar etc. — Actiones in quarto numero indicatae, seu laesio immunitatis, constituunt sacrilegium, etiamsi facta sunt non stricte intra spatium loci sacri, sed etiam in locis attingentibus. Ceterum sacrilegium propter laesionem immunitatis hodie raro accidit, ut dictum est.

§ 4.

De sacrilegio reali.

Notio. *Sacrilegium reale est violatio seu indigna tractatio rei* 551
sacrae.

Modi. Sacrilegium reale fit duobus modis: 1. res sacras indigne tractando; 2. bona sacra usurpando. — Quidam addunt: etiam illicite emendo aut vendendo res sacras; sed hoc potius est simonia, de qua infra n. 555 sqq agetur.

Omnes res sacrae possunt reduci ad tres categorias, scil. 1. sacramenta et sacramentalia; 2. vasa sacra et ornamenta ecclesiastica; 3. bona ecclesiastica.

1. *Sacramentorum indigna tractatio* est principale sacrilegium reale. 552

Inter omnes indignas tractationes sacramentorum pessimum sacrilegium est susceptio et consecratio eucharistiae in statu peccati mortalis, quia sacramentum eucharistiae omnia alia praecellit dignitate[4]. Ad malitiam sacrilegii reducuntur aliae quoque irreverentiae contra eucharistiam, e. g. si species sacrae non renovantur tempore debito cum periculo corruptionis earum; si ante altare, in quo asservatur eucharistia, lampas non ardet per longum tempus (integro die); si ad Missae sacrificium adhibentur vasa non decentia,

---

[1] Cf. S. Offic. d. 22 Dec. 1880. [2] *Kriegsschiff.*

[3] Cf. Staatslexikon, s. v. «Asylrecht».

[4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 99, a. 3; 3, q. 73, a. 1 ad 2.

vestes lacerae aut indignae, linteamina sordida; si eucharistia administra a ministro in statu peccati mortalis exsistente. De omnibus illis speciali agetur in tractatu de eucharistia. Aliorum quoque sacramentorum indig susceptio, confectio et tractatio est sacrilegium. Probabiliter non sunt sac legia *specifice diversa* diversorum sacramentorum indigna susceptio, confec et administratio. Nonnulli tamen auctores excipiunt indignam tractationi eucharistiae, quam volunt esse sacrilegium specie distinctum a sacrileg commissis per indignam tractationem aliorum sacramentorum, saltem si iniuriosa tractatione eucharistiae peccatum blasphemiae accedat[1]. In pra omnino consulendum est, ut a poenitente distincte declaretur, contra quodna sacramentum sacrilegium commiserit. — Indigna tractatio *sacramentaliu* item reducitur ad sacrilegium; raro tamen constituit peccatum grave, deest contemptus formalis. Sane peccatum esset, si quis aquam benedicta in latrinam proiceret. Adhibere autem res simpliciter benedictas (benedi tione invocativa) ad usus profanos decentes licet ex causa rationabili. Si e. g. deficiente alio lumine, licet adhibere candelam benedictam ad habei dum lumen pro studio; pariter licet adhibere sal benedictum ad condiendc cibos, aquam benedictam ad temperandum vinum[2].

553 2. *Vasa sacra consecrata*, e. g. calicem consecratum, adhibere a usus profanos sine maxima necessitate est grave sacrilegium.

Licet tamen iuxta praesentem disciplinam huiusmodi vasa aliasque re benedictas ad usum profanum adhibere, si prius earum forma est *penitus* de structa, e. g. si calix fusione metalli ad communem materiam fuerit redactus Nihilominus iste usus profanus est pro viribus vitandus. Sic e. g. dedece linteamina sacra etiam lacerata et concisa adhibere ad camisiam faciendam. In praxi multo melius et decentius est, partes, quae ad res sacras pertinebant, iterum adhibere ad conficiendas alias res sacras, aut eas comburere[3]. Mala et vituperabilis est etiam praxis quorundam sacerdotum, qui vendunt vetera ornamenta ecclesiastica benedicta aut etiam consecrata iudaeis aliisque veteramentariis. Experientia enim constat, pro rebus sic venditis obtineri saepe pretium prorsus insufficiens, ac insuper illas nonnumquam postea irreverentiose tractari. Ceterum non apparet (si agitur de materia gravi), quomodo huiusmodi alienatores agentes sine praevia licentia auctoritatis competentis effugiant excommunicationem latam contra alienantes bona ecclesiastica[4]. — Vasa et ornamenta ecclesiastica, quae non benedicuntur, ut candelabra, sedilia, scamna, aulaea etc., possunt ex rationabili causa adhiberi pro fine profano, dummodo talis finis nihil inhonesti secum ferat. Pariter ligna et lapides ecclesiae dirutae ad usus profanos videntur posse adhiberi, quia consuetudo universalis mitigavit veteres canones severiores in hac re[5].

554 3. *Usurpatio rerum sacrarum et bonorum ecclesiasticorum* in iure canonico passim vocatur sacrilegium[6].

---

[1] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 522. [2] Cf. *Noldin*, De praeceptis n. 179.

[3] Cf. S. theol. 3, q. 83, a. 3 ad 3; c. 39 de consecr. D. 1; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 41.

[4] Cf. de hac censura infra in tractatu de censuris.

[5] Cf. c. 38 de consecr. D. 1; *D'Annibale*, Summula Theol. mor. III, n. 16.

[6] Cf. Pii IX allocutionem «Quibus luctuosissimis» d. 5 Sept. 1851. Verbum usurpationis hic sumitur pro furto, detentione vel defraudatione; non autem in illo stricto sensu, sicuti adhibetur in tractatu de censuris.

Bona ecclesiastica censentur illa (sive mobilia, sive immobilia), quae pertinent ad instituta ecclesiastica, e. g. ad ecclesias, seminaria clericalia, monasteria etc., et quorum administratio ex iure pertinet ad Ecclesiam; seu ut dicit S. Alphonsus[1] post S. Thomam: «Quae pertinent ad ornatum ecclesiae et ministrorum; deinde ea, quae sunt deputata ad sustentationem ministrorum.» — Bona vero *privata* clericorum aliarumque personarum ecclesiasticarum non sunt bona ecclesiastica. — Defraudatio decimarum ecclesiasticarum ab aliquibus auctoribus habetur verum sacrilegium; ab aliis autem vocatur peccatum *irreligiositatis*[2]. — De poenis latis contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum agetur in tractatu de censuris.

Sunt adhuc plures actiones, quae plus minusve malitiam sacrilegii habent, e. g. abusus verborum S. Scripturae[3] ad facetias, irreverentiosa tractatio reliquiarum, praesertim furtum reliquiarum, irreverentiosa tractatio sacrarum imaginum etc. Gravitas malitiae in his casibus pensanda est ex gravitate irreverentiae voluntarie et scienter illatae.

ARTICULUS X.

De simonia.

Claritatis causa dividimus hunc articulum in quattuor paragraphos: 1. de natura, divisione et malitia simoniae; 2. de simonia iuris divini; 3. de simonia iuris ecclesiastici; 4. de poenis simoniacorum.

§ 1.

De natura, divisione et malitia simoniae.

Notio etymologica. Simonia dicta est a crimine Simonis Magi[4]. 555
Quamvis plures iam in Vetere Testamento hoc vitio polluti fuerint, ut Giezi, qui a Nahaman precibus prophetae Elisaei mundato, mercedem petiit; et Balaam, qui sancta vendere regi Balac studuit, tamen in Novo Testamento Simon Magus primus omnium simoniam commisit et debitam poenam suscepit.

Definitio. Simonia definitur a S. Thoma[5]: **«studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum»**[6].

Explicatur definitio. Dicitur 1°: *studiosa*, i. e. deliberata voluntas, 556
quia ad essentialem malitiam simoniae non requiritur, ut pactum mutuo consensu vel re ipsa perficiatur, sed sufficit interior deliberata voluntas alterutrius emendi aut vendendi res spirituales. Labes igitur simoniaca adesse potest, si quis solummodo interius intendit pacisci.

---

[1] L. c. n. 42. [2] Cf. *S. Alph.* l. c. et auctores ibi adductos.

[3] Scite animadvertit *Noldin* (l. c.): «Cavendum, ne sensus iocosus subiciatur verbis S. Scripturae, quae in Missa et Officio divino occurrunt, ne detur ansa distractionibus inter orandum orituris.»

[4] Cf. Act 8, 18 sqq.

[5] S. theol. 2, 2, q. 100, a. 1. Immerito impugnat hanc definitionem tamquam insufficientem *A. Leinz*, Die Simonie, Frib. Brisg. 1902, 40.

[6] Simonia reducitur ad sacrilegium reale, quia est indigna tractatio rei sacrae. Solet autem separatim de ea tractari tum propter amplitudinem, tum propter gravitatem eius.

Dicitur 2°: *emendi vel vendendi.* Quibus verbis indicatur non solum contractus emptionis-venditionis, sed quicumque contractus onerosus, e. g. locationis, conductionis etc. Contractus igitur gratuitus simoniam non inducit[1], nisi hoc in aliquo casu per legem ecclesiasticam statutum sit. — Ad magis explicandam naturam simoniae, a nonnullis auctoribus additur: *pretio temporali.* In hoc enim consistit essentia et malitia simoniae (saltem iuris divini), ut pretium temporale habeatur tamquam aequivalens compensatio pro re spirituali. Pretium temporale, quod in pacto simoniaco offertur, iam a S. Gregorio Magno[2] distinctum fuit triplex: *munus a manu, a lingua, ab obsequio. Munus a manu* est pecunia omnisque alia res, quae pecunia aestimari potest, ut remissio debiti, locatio etc. — *Munus a lingua* est favor, laus, commendationes, intercessiones, defensiones et generatim quodvis patrocinium, quod apud alium fit ex conventione pro remuneratione alicuius rei spiritualis obtinendae. — *Munus ab obsequio* est servitium temporale pro re spirituali acquirenda praestitum; quod multis modis fieri potest, e. g. inserviendo, assistendo, instruendo, docendo etc. Tale munus ab obsequio praeberet clericus, qui instructionem conferret filio patroni eo pacto, ut ipse praesentaretur ad parochiam vacantem. Notat Angelicus Doctor[3] non esse minus simoniacum dare vel accipere munus a lingua aut ab obsequio tamquam pretium pro re spirituali, quam munus a manu. Et Urbanus II[4] dicit: «Quisquis res ecclesiasticas non ad quod institutae sunt, sed ad propria lucra munere linguae vel indebiti obsequii vel pecuniae largitur vel adipiscitur, simoniacus est.»

Dicitur 3°: *aliquid spirituale vel spirituali annexum* ad designandam materiam simoniae. Res spiritualis intelligitur in hac materia omne id, quod vel ex se vel ex institutione Ecclesiae aut Dei ad salutem supernaturalem animae ordinatur, e. g. gratia sanctificans, gratia gratis data, sacramenta, sacramentalia, potestas ordinis et iurisdictionis, dispensatio, absolutio etc. Spirituali rei annexum dicitur aliquid tripliciter: *antecedenter, concomitanter, consequenter.*

Antecedenter rei spirituali est annexum temporale, quando temporale praeexsistit, cui deinde res spiritualis accedit, e. g. calix, vasa sacra, rosarium, fundus, cui inhaeret ius patronatus etc. Omnes istae res praeexsistunt ut temporales, et deinde aliquid spirituale ad eas accedit, nempe consecratio, benedictio, ius patronatus.

Concomitanter rei spirituali est annexum temporale, si simul et modo quasi parallelo utrumque est coniunctum. Quodsi haec coniunctio est essentialis et insolubilis, vocatur res temporalis coniuncta spirituali: concomitanter *intrinsece;* secus concomitanter *extrinsece.* E. g. labor in dicenda Missa est res temporalis concomitanter Missae annexa intrinsece. Sin autem Missa cantata aut in loco longinquo dicenda est, tunc

---

[1] S. theol. 3, q. 83, a. 3 ad 5. [2] c. 114, C. 1, q. 1.
[3] S. theol. l. c. a. 5. [4] c. 1, C. 1, q. 3.

talis labor est res temporalis annexa Missae concomitanter quidem, sed *extrinsece*.

Consequenter annexa vocatur res temporalis, si supponit rem spiritualem tamquam causam, a qua dependet, e. g. reditus parochiales sunt quid temporale, sed supponunt aliquid spirituale tamquam causam, scil. officium ipsum parochiale; nam iuxta commune adagium: «Beneficium datur propter officium.»

Corollarium. Ex hucusque dictis de natura simoniae sequitur, 557
ut essentia simoniae consistat in contractu oneroso, qui causat *permutationem rei spiritualis cum temporali*. Proinde simonia non est dare spirituale pro spirituali, aut spirituale annexum pro spirituali annexo, e. g. simonia non est, si sacerdos dicit Missam pro alio, qui dixit rosarium, vel si quis applicat indulgentiam pro sacra reliquia obtinenda, vel si quis dat calicem consecratum pro ciborio benedicto. Nihilominus etiam huiusmodi permutationes aliquando graviter prohibentur ex speciali statuto legis positivae, ut infra dicetur.

Divisiones. 1. Simonia *iuris divini* et *iuris ecclesiastici*. 558

Prior adest, quando res pro pretio data est ex ipsa natura sua spiritualis vel spirituali rei annexa. Hinc vocatur etiam simonia iuris naturalis. Talis simonia est solutio pecuniae pro s. ordine obtinendo. — Simonia iuris ecclesiastici habetur, quando non quidem res spiritualis venditur pro re temporali, sed quando fiunt commutationes rerum ecclesiasticarum contra graves prohibitiones Ecclesiae, e. g. quando unum beneficium datur pro alio. Quae quidem prohibitiones sunt iustissimae, cum excludant graves abusus, qui secus facile evenirent, atque cavent grave periculum simoniae iuris divini. Nonnulli auctores putant, simoniam iuris ecclesiastici non esse simoniam nisi in latiore sensu, ac proinde dant eius specialem definitionem, nempe: simonia iuris ecclesiastici est contractus circa spirituale aut spirituali annexum, qui ab Ecclesia est graviter prohibitus, intuitu religionis[1].

2. Simonia *mentalis, conventionalis, realis, confidentialis*. 559

Simonia *mentalis* adest, quando pactum simoniacum est pure mentale, i. e. quando aliquid temporale exhibetur ea intentione, ut alter moraliter obligetur ad dandum spirituale; aut vicissim datur spirituale cum intentione alterum obligandi ad dandum temporale. Intentio autem permutandi non manifestatur exterius. Simoniam mentalem committit e. g. clericus, qui servit episcopo aut patrono pro nullo aut exiguo salario hac intentione occulta, sed nullo signo externo manifestata, ut ab eo in recompensationem praestiti servitii sibi conferatur parochia. Eandem simoniam committit episcopus, qui confert parochiam alicui clerico ea occulta intentione, ut clericus sibi suisve consanguineis largiatur pecuniam. — A canonistis subtiliter distinguitur haec simonia mentalis, quae *actu* dat aut temporale aut spirituale cum intentione simoniaca, a simonia pure interna seu intentionali, quae nondum actu dedit, sed solummodo *proponit* dare temporale aut spirituale. Haec distinctio est

---

[1] *Reiffenstuel* (Ius can. l. 5, tit. 3, n. 26 sqq) recte defendit, simoniae iuris ecclesiastici competere eandem definitionem ac simoniae iuris divini. Optime quoque *Billuart* (De relig. diss. 11, a. 21) hanc quaestionem tractat.

nullius momenti pro Theologia morali, quia apud districtum iudicem divinum, qui est scrutator cordium, utraque simonia est aeque culpabilis[1]. Neutra autem simonia mentalis, *utpote actus internus,* attingitur a poenis ecclesiasticis.

Simonia *conventionalis* est conventio seu pactum ultro citroque vere quidem initum, *sed nondum exsecutione mandatum,* commutandi temporale cum spirituali vel spirituali essentialiter annexo. Quodsi istud pactum *ex neutra* contrahentium parte fuit impletum per traditionem rei, vocatur simonia *pure conventionalis;* sin autem *ab alterutra* parte iam est exsecutioni mandatum, appellatur simonia *semi-realis seu mixta,* quia scil. aliquid de conventionali et aliquid de reali simonia habet.

Simonia *realis* est pactum simoniacum ex utraque parte contrahentium iam exsecutioni mandatum vel totaliter vel saltem secundum partem; e. g. aliquis solvit pecuniam ad obtinendum canonicatum, et alter contulit hoc beneficium, vel saltem chirographum institutionis transmisit[2].

Simonia *confidentialis* solummodo locum habet in beneficiis ecclesiasticis[3], et est procuratio vel collatio vel acceptatio beneficii ecclesiastici cum certa confidentiali reservatione. Quae quidem reservatio potest esse quadruplex:

a) *Per accessum,* si scil. quis utcumque tradit beneficium ecclesiasticum (proprie dictum; ergo non praelaturas regulares, nisi tamen propter bona temporalia eis annexa sint vera beneficia) ea conditione, ut vel sibi vel alteri adhuc incapaci, e. g. propter defectum aetatis, post adeptam capacitatem resignetur beneficium aut pateat accessus ad illud. E. g. episcopus tradit canonicatum Petro ea conditione, ut post aliquod tempus pateat liber accessus ad istud beneficium Caio, nepoti episcopi, quando scil. Caius sufficientem scientiam acquisiverit. Nihil refert quantum ad hanc simoniam, utrum beneficium traditum fuerit mediante praesentatione an collatione, electione, institutione collativa etc.

b) *Per ingressum,* si scil. quis beneficium sibi collatum *ante* coeptam eius possessionem alteri cedit eo pacto, ut post dimissionem beneficii quocumque demum modo factam, ipse cedens possessionem eius ingredi possit. E. g. Petro collatum est beneficium parochiale, sed ante coeptam possessionem eius renuntiat illud Paulo, hanc tamen conditionem apponens, ut si Paulus ad aliam parochiam promotus fuerit, Petrus statim possit ingredi beneficium parochiale renuntiatum.

c) *Per regressum,* scil. si quis beneficium *iam possessum* alteri resignat sub conditione, ut postea sibi aut tertiae personae pateat regressus ad illud.

d) *Per reservationem partis* seu pensionis, si quis utcumque alteri procurat beneficium, sed sub ea conditione, ut sibi tertiove cedatur pars fructuum beneficii. E. g. patronus ecclesiae parochialis praesentat in parochum Petrum sub ea conditione, ut Petrus post adeptum beneficium ex fructibus

[1] Cf. Innocentius III, c. 34, X 5, 3.

[2] Nonnulli auctores, ut *Caietanus* (Opusc. de simonia q. 2), *Dom. Soto* (De iure et iust. l. 9, q. 8, a. 1), *Salmanticenses* (Curs. Theol. mor. tr. 19, c. 1, n. 18), *Concina* (De extr. unct. et ord. l. 1, diss. 3, c. 1) putant, simoniam realem iam committi traditione rei spiritualis, licet pretium stipulatum nondum solutum sit Verum non est recedendum a sententia communissima supra explicata (cf. *Reiffenstuel,* Ius can. l. 5, tit 3, n. 20).

[3] Simonia confidentialis solummodo ratione *materiae* differt ab aliis speciebus hucusque enumeratis. Versatur enim unice in materia beneficiaria. Reapse autem potest esse vel conventionalis vel realis (cf. *Suarez,* De relig. l. 4, c. 45, n. 20).

beneficii quotannis solvat 100 marcas. — Quandonam liceat sibi reservare pensionem ex beneficiis, vide canonistas[1].

Malitia moralis et specifica. *Simonia iuris divini est peccatum ex toto genere suo mortale contra religionem; simonia autem iuris ecclesiastici est peccatum mortale ex genere suo.* 560

Prima pars huius propositionis fere ab omnibus admittitur[2], et etiam facile probatur. Etenim simoniam esse contra virtutem religionis, per se patet, cum sit indigna tractatio rerum sacrarum et reducatur ad sacrilegium reale. Simoniam iuris divini esse ex toto genere suo peccatum mortale, ita ut non admittat parvitatem materiae, deducitur ex eo, quod importat maximam iniuriam illatam rebus sacris, ac proinde ipsi Deo. Nonne est enormis vilipensio rerum sacrarum ad salutem aeternam conducentium, si quis eas aequiparat pretio temporali? Haec autem vilipensio habetur, sive agatur de magna sive de parva re spirituali; semper enim est eadem ratio et deordinatio. Unde etiam vehementissime exprobravit Simonem Magum S. Petrus dicens: «Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.»[3] — Gravissimam malitiam simoniae licet etiam suspicari ex gravibus poenis, quas Ecclesia fert in simoniacos[4]. Praeterea eius malitia apparet ex calamitosis effectibus, quos semper produxit; quapropter vocatur «pestis omnes alios morbos vincens»[5], «vulnus cancrosum»[6], «lepra»[7]. — Altera pars propositionis communiter admittitur ab auctoribus, dummodo agatur de *sola* simonia iuris ecclesiastici. Haud raro enim simonia iuris ecclesiastici coniuncta est cum simonia iuris divini, et tunc profecto est peccatum mortale ex toto genere suo, ut probatum est; sed per se sola non est nisi transgressio praecepti ecclesiastici. Iam vero transgressio praecepti ecclesiastici in se graviter obligantis admittit parvitatem materiae. Ergo simonia solius iuris ecclesiastici est quidem peccatum mortale, si agitur de gravi materia; secus est peccatum veniale. Ius autem ecclesiasticum graviter prohibuit huiusmodi simoniam propter urgens periculum simoniae iuris divini coniunctum cum ea. — Communiter docent auctores, simoniam iuris divini et iuris ecclesiastici esse peccata eiusdem speciei, cum etiam simonia iuris ecclesiastici sit vera simonia laedens virtutem religionis. Licet enim in simonia ecclesiastica non semper adsit emptio rei spiritualis pro pretio temporali, tamen semper adest proximum periculum simoniae iuris divini. Ille autem, qui culpabiliter se committit proximo periculo peccandi, et ille, qui reapse committit idem peccatum, peccatum eiusdem speciei perpetrant.

§ 2.

De simonia iuris divini.

Principium 1. *Simonia iuris divini ex sua ratione formali essentialiter requirit, ut temporale detur aut accipiatur pro spirituali tamquam pretium vel formaliter vel saltem virtualiter*[8]. 561

---

[1] Cf. nostrum Man. iur. eccl. I, q. 161. De simonia confidentiali vide const. Pii IV «Romanum Pontificem» et Pii V const. «Intolerabilis». Cf. etiam *D'Annibale*, Summula Theol. mor. III, n. 112 sqq.

[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 50. [3] Act 8, 20. [4] Cf. infra n. 565.

[5] c. 6, X 3, 5. [6] c. 7, C. 1, q. 1. [7] Ib. c. 14.

[8] Cf. *Billuart*, De relig. diss. 11, a. 3.

Pretium *formaliter* offertur aut accipitur pro re spirituali, quando quis directe et immediate intendit commutationem et *aequiparationem* inter rem spiritualem et temporalem. Pretium temporale *virtualiter* offertur aut accipitur, quando quis *per temporale* proxime et immediate intendit obtinere spirituale, neque aliud motivum verum et honestum intercedit. In utroque casu veram simoniam adesse patet ex propositionibus (45 et 46) damnatis ab Innocentio XI[1]: «Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.» «Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.» — Prima haec propositio damnata explicanda esse videtur ex secunda. Nam si temporale pro spirituali datur prorsus gratuito, iam non adest contractus onerosus, qui ad essentiam simoniae pertinet, ut supra ex S. Thoma dictum est. Unde merito dicit Billuart[2]: «Dare temporale tamquam motivum *proxime* et *immediate* obtinendi spirituale absque interventu alterius motivi veri et honesti, propter quod temporale detur aut ex quo exspectetur spirituale, est vera simonia.» Nam tunc temporale revera virtualiter saltem est pretium rei spiritualis. Sin autem temporale est solum *motivum remotum* obtinendi spirituale, atque adsunt alia motiva honesta immediata, tunc non committitur simonia, quia tunc temporale neque formaliter neque virtualiter est pretium rei spiritualis. — Ex hoc principio rite intellecto sequuntur plures applicationes practicae infra indicandae.

562 **Principium 2.** *Simonia iuris divini est emere aut vendere res temporales rei spirituali annexas consequenter vel concomitanter intrinsece; non autem antecedenter aut concomitanter extrinsece.*

Ita docet sententia communissima[3]. Ratio primae partis est, quia res temporales consequenter aut concomitanter intrinsece annexae rei spirituali censentur quasi spiritualizatae, cum sint inseparabiliter et essentialiter coniunctae cum re spirituali. Quapropter dicitur in Decreto Gratiani[4]: «Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.» — Dico autem: emere aut vendere huiusmodi res temporales esse simoniam; nam pro iis rebus licet aliquid temporale accipere tamquam *eleemosynam* aut *stipendium* in sustentationem laborantis, e. g. licet stipendium Missae dare in sustentationem sacerdotis[5]. — Ratio secundae partis principii est, quia huiusmodi res temporales sunt revera pretio temporali aestimabiles et possunt separari a spiritualibus. Hinc licet e. g. aliquid accipere etiam tamquam verum pretium pro Missa *dicenda cum speciali labore,* nempe

---

[1] *Denz.* n. 1195 sqq. [2] De relig. diss. 11, a. 3.
[3] Cf. *Billuart* l. c. a. 6 et S. theol. 2, 2, q. 100, a. 4. [4] c. 7, C. 1, q. 3.
[5] Cf. *Elbel,* Theol. mor. P. 2, n. 598.

hora tarda vel in loco longinquo. Per se etiam liceret accipere pretium pro rosario benedicto aliisque rebus benedictis, dummodo propter benedictionem adiunctam pretium rei temporalis non augeatur; quia res temporalis antecedenter est coniuncta benedictioni; sed nihilominus Ecclesia iure positivo prohibuit, ne res benedictae vendantur ad praecavendos abusus possibiles[1].

Ex duobus principiis enuntiatis quam plurimae applicationes practicae 563
deducuntur:

Colliges: 1. Obire rite officia ecclesiastica ex principali motivo acquirendi pecuniam est quidem peccaminosum, sed non simoniacum. Haec propositio obiter considerata videtur esse eadem ac propositio 46 damnata ab Innocentio XI modo citata, sed tamen revera multum ab ea differt et eius veritas facile intelligitur. Etenim tota deformitas simoniae consistit in hoc, quod res sacra terreno et vili pretio aestimetur, non autem in hoc, quod res sacra ad lucrum ordinetur[2]. Unde est quidem peccatum ordinare rem sacram ad lucrum capessendum, tamquam ad finem principalem agentis, sed non est simonia. Hinc canonicus, qui vadit ad chorum propter retributiones quotidianas percipiendas, alias non iturus, male quidem agit, sed non est simoniacus[3]; sacerdos dicens Missam propter stipendium, alias eam non dicturus, non committit simoniam. Ratio est, quia ministri Ecclesiae habent ius ad convenientem sustentationem mediantibus sacris officiis obtinendam. Ergo possunt officia sua obire ad sustentationem habendam. Pecunia igitur acquirenda in istis casibus est licitum motivum. Sane est deordinatio, quod pecunia habeatur tamquam *principale motivum*, sed exinde nondum oritur labes simoniaca. S. Alphonsus[4] vocat sententiam propositam probabiliorem et recte sic arguit: «Qui dat stipendium principaliter propter Missam, quae certe res spiritualis est, numquid dicitur simoniacus? Sic vice versa neque simoniam committit, qui dicit Missam principaliter ob stipendium. Illicitum enim non est ordinare rem spiritualem etiam principaliter ad finem temporalem honestum.»

2. Sacerdos exigens stipendium Missae supra taxam dioecesanam peccat quidem contra legem ecclesiasticam, sed non committit simoniam iuris divini, cum non vendat rem spiritualem, sed exigat medium sustentationis suae.

3. Non est simonia, si quis dat pecuniam pauperibus ex hac principali intentione, ut pro ipso orent. Ratio est eadem; nam non intendit emere orationem, sed allicere animos pauperum ad orandum pro se; vel aliis verbis: finis operis est honestus, et non deturpatur per finem operantis[5].

4. Non est simonia dare aliquid temporale sub conditione (non autem sub pacto stricte dicto), ut alter praestet rem spiritualem, in commodum

---

[1] Cf. Decr. auth. S. C. Indulg. n. 78 et 82.

[2] Cf. *Billuart* l. c., qui contra Concinam aliosque optime et victoriose hanc sententiam defendit.

[3] Contra hanc sententiam nequit allegari Angelicus Doctor dicens: «Si [canonicus] huiusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, et ita mortaliter peccat» (Quodl. 8, a. 11). Nam, sicut S. Alphonsus, Billuart, Salmanticenses aliique recte dicunt, talis canonicus utique committit simoniam, si intendat distributiones ut finem operis, non autem, si solum ut finem operantis. Etenim si distributiones considerantur ut finis operis, tunc intenduntur ut pretium virtuale, quod est simonia; sin autem ut solus finis operantis, appetuntur ut sustentatio, quod non est simonia. [4] Theol. mor. l. 3, n. 55. [5] Cf. 4, dist. 25, q. 3, a. 2, solut. 2 ad 2.

tamen *sui ipsius,* e. g. dare munera adolescenti, ut sacramenta frequentet, dare dotem puellae, ut monasterium intret. Ratio est eadem; non enim emitur res spiritualis, sed aliud adest motivum idque honestum. Unde Angelicus Doctor dicit: «Licitum est aliquem . . . provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare . . . pro ingressu monasterii.»[1]

5. Non est simonia dare temporale pro spirituali et vice versa spirituale pro temporali *ex mera gratitudine, amicitia aut benevolentia,* ita ut nullum pactum et sola donatio gratuita intercedat. Ita sententia communior et probabilior[2], quae confirmatur ex multis textibus iuris canonici[3]. Sic e. g. Innocentius III dicit de eo, qui aliquid dono dedit, ut canonicatum obtineret[4]: «Si pure ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in canonicum admittatur, . . . huiusmodi receptio fieri potest absque scrupulo simoniacae pravitatis.» Ratio autem est, quia talia dona non sunt pretium formale aut virtuale rei spiritualis. In praxi vero huiusmodi dona saepe sunt *simonia palliata.* Etenim sub pallio ementitae gratitudinis aut benevolentiae non raro vera simonia (saltem mentalis) occultatur, cum res spiritualis praestetur ex morali, licet non stricta, obligatione orta ex acceptione praevia rei temporalis. Ut melius discernatur, utrum aliquod donum revera retineat characterem doni an potius induat rationem pretii, Alexander III hanc statuit regulam[5]: «In accipiendis vel dandis muneribus tria sunt maxime attendenda: personae scil. dantis et accipientis qualitas, quantitas muneris et donationis tempus. Qualitas personarum, ut a quo et cui, videlicet an a paupere diviti, vel e converso, an a divite locupleti datum fuerit. Aestimatio vero muneris et donationis tempus, si magni vel minoris pretii res data fuerit, et an instanti necessitate seu alio tempore conferatur.» — Generatim igitur, si munera oblata sunt magni momenti relate ad dantem, neque apparet aliud evidens motivum honestum donationis, praesumptio stat pro simonia; secus si munera sunt minoris valoris. Tunc enim non adest simonia, nisi etiam hoc sit expresse prohibitum, ut in concursu a Concilio Tridentino praescripto pro obtinendo beneficio parochiali[6].

6. Non est simonia, si quis habens certum ius (sive in re sive ad rem) ad aliquid spirituale, puta officium aut beneficium, per pretium temporale se liberet a vexatione stricte iniusta. Ratio est, quia tunc non emitur res spiritualis, sed liberatio ab iniusta vexatione. Requiritur autem, ut adsit ex parte ementis strictum ius ad rem spiritualem, et ex parte alterius manifesta iniustitia. Si alterutrum deest, tale pactum est simoniacum. De hac re dicit S. Thomas[7]: «Antequam acquiratur alicui ius in episcopatu vel quacumque dignitate vel praebenda, per electionem vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere.» Hinc est simonia, si quis dat competitori suo aliquam rem temporalem cum pacto, ut desistat a competitione, et sic ipse obtinet officium aut beneficium ecclesiasticum. Emendo enim cessationem competitionis indirecte

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 100, a. 3 ad 4; cf. etiam *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 59.
[2] Ita *Billuart,* De relig. diss. 11, a. 3
[3] c. 4, C. 1, q. 2; ib. c. 103; c. 18, X 5, 3.
[4] c. 34, X 5, 3. [5] c. 18, X 5, 3. [6] Cf. infra n. 564, 1.
[7] S. theol. l. c. a. 2 ad 5.

emit rem spiritualem; quod est simoniacum. Insuper talis emptor non patitur iniustam vexationem per competitionem alterius.

7. Simonia est emere vel vendere ius percipiendi fructus beneficiales. Ratio est, quia tale ius est bonum temporale annexum rei spirituali, nempe officio ecclesiastico, consequenter [1].

§ 3.

De simonia iuris ecclesiastici.

Perpauca delibamus de hac materia, quae potius pertinet ad ius 564
canonicum, quam ad Theologiam moralem. Praecipue sequentibus modis committitur simonia iuris ecclesiastici:

1. Aliquid vel minimum dare aut accipere etiam sponte oblatum occasione examinis ad beneficium parochiale obtinendum in sic dicto concursu parochiali.

Statuit enim Concilium Tridentinum [2]: «Caveant [examinatores], ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ante nec post, accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque antea obtinebant.» Haec simonia iuris ecclesiastici est forte severissima inter omnes, tum ratione poenae inflictae tum ratione muneris etiam minimi prohibiti. In aliis casibus parvitas muneris oblati (e. g. modica esculenta et potulenta oblata, fructus pauci etc.) etiam a simonia iuris divini solet excusari, cum talia parva munera non censeantur pretium pro re spirituali [3]; in hoc autem casu vel minimum munus tamquam simoniacum pretium habetur.

2. Aliquid accipere etiam sponte oblatum pro collatione ordinum, et tonsurae clericalis, pro litteris dimissorialibus, testimonialibus vel formatis collati ordinis.

Ita ex Concilio Tridentino [4]; quod hoc modo vetustissimum abusum sic dicti «pastelli» seu modici pastus conferendi in susceptione ordinum exstirpavit [5]. Attamen permittitur, ut episcopi recipiant candelam ab ordinatis. Pariter sic dicta Taxa Innocentiana [6] permisit, ut notarii in Curia episcopali recipiant decimam partem unius scutati aurei (53 centimes) pro litteris dimissorialibus aut pro litteris attestantibus susceptum ordinem. Pro labore autem necessario ad examinandum, utrum ordinandus in subdiaconum habeat sufficientem titulum aliaque requisita, conceditur unum scutatum aureum (5,35 franci) [7].

3. Vendere vel emere officia temporalia canonice instituta ad administrationem bonorum ecclesiasticorum, e. g. oeconomi, procuratoris.

Quia secus facile oriri possent magni abusus in detrimentum Ecclesiae [8]. Circa istos administratores bonorum ecclesiasticorum iuxta vigentem praxim praesertim attendenda sunt statuta diversorum Concordatorum.

---

[1] Ib. a. 4. [2] Sess. 24, c. 18 de reform.
[3] Cf. *Pirhing*, Ius can. l. 5, tit. 3, n. 133.
[4] Sess. 21, c. 1 de reform.
[5] Cf. Bened. XIV, De syn. dioec. l. 5, c. 6, n. 1.
[6] Sic nominatur decretum S. C. C. d. 8 Oct. 1678, iussu Innocentii XI editum.
[7] Cf. *Gasparri*, De s. ordinatione II, n. 1121. [8] c. 38, X 5, 3.

4. Vendere sepulturam ecclesiasticam.

Si agatur de simplici fossa *in loco communi* coemeterii, nihil potest accipi tamquam pretium. Unde Innocentius III statuit: «Abolendae consuetudinis perversitas apud Montem Pessulanum, ut dicitur, inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium ecclesiae persolvatur. Mandamus, quatenus cum loci dioecesanus exsistas, inhibeas clericis, ne quidquam omnino praesumant exigere hac de causa.»[1] — Dixi: tamquam *pretium;* quia multis in locis exsistit consuetudo legitima aliquid exigendi alio titulo, e. g. pro conservatione coemeterii, sustentatione ministrorum etc. — Sin autem agatur de *loco determinato,* in quo quis vult construere sepulcrum pro se suisque, sententia communis confirmata per praxim fere universalem docet, non esse simoniam, si talem locum pretio determinato emat aut vendat. Etenim tunc non emitur sepultura neque locus sacer, sed tantum ius, ne alius in eodem loco sepeliri queat; quod sane est pretio aestimabile. — Num in tali emptione et venditione requirantur sollemnitates in alienatione rerum ecclesiasticarum praescriptae, et praecipue beneplacitum apostolicum, non ita constat, si agitur de pretio magno solvendo. In praxi prius est consulendus episcopus, qui solet habere amplas facultates quoad alienationem rerum ecclesiasticarum. Si vero pretium loci sepulturae est minoris momenti, non requiritur beneplacitum apostolicum[2]. — Coemeteria sic dicta civilia sunt loca profana, ac proinde inibi licet emere locum sepulturae.

5. Vendere oleum benedictum vel sacrum chrisma etiam secundum valorem mere physicum.

Statuit enim Benedictus XIV[3]: «[Patriarcha] sacra olea gratis omnino transmittat sive distribuat, et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cuiuscumque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat.» — In aliquibus tamen locis nostris temporibus exsistit consuetudo aliquid accipiendi ad compensandas expensas factas pro emptione olei eiusque transmissione.

6. Accipere aliquid pro erectione, institutione, aggregatione confraternitatum, sub poena nullitatis actus. Ita Clemens VIII, const. «Quaecumque» d. 8 Dec. 1604.

7. Vendere coronas, numismata aliasve res benedictas et indulgentiis ditatas, quae ipso venditionis facto omnes indulgentias amittunt[4]. Unde huiusmodi res prius emendae aut vendendae, et deinde benedicendae sunt.

8. Aliquid accipere aut dare pro ipsa admissione ad novitiatum vel ad professionem religiosam[5].

Status enim religiosus est aliquid spirituale; unde nullo modo licet illum emere aut vendere[6]. Nihilominus sequentia nunc licita sunt: a) Tempore novitiatus licet aliquid accipere aut etiam exigere pro sustentatione novitiorum, nisi etiam hoc sit specialiter prohibitum pro aliquo instituto religioso[7].

---

[1] c. 13, X 3, 28. [2] Cf. *Many,* Praelect. de locis sacris n. 152 sqq.

[3] Const. «Apostolica» d. 14 Febr. 1742; cf. etiam S. C. de Prop. Fide d. 8 Iulii 1774.

[4] S. C. Indulg. d. 10 Iulii 1896. Cf. de tota hac materia *Beringer,* Die Ablässe (1906) p. 361 sqq. [5] Conc. Trid. sess. 25, c. 16 de regular.

[6] Cf. S. theol. 2, 2. q. 100, a. 3 ad 4.

[7] Cf. S. C. EE. et RR. d. 30 Martii 1838.

Ratio est, quia novitii nondum proprie pertinent ad ordinem, quem quolibet die possunt relinquere, et a quo etiam quolibet die possunt dimitti. Esset autem indebita oneratio institutis religiosis imposita, si nullam compensationem possent exigere pro expensis sustentationis durante tempore probationis factis. b) Monasteria paupera (tum virorum tum mulierum) possunt aliquid exigere etiam pro sustentatione post novitiatum praestanda. c) Monasteria opulenta virorum nihil possunt exigere pro sustentatione religiosorum professorum. d) Omnia monasteria mulierum possunt et debent exigere dotem determinatam ab ingredientibus [1].

9. Vendere ipsum ius patronatus.

Licet autem vendere rem, e. g. castellum, quocum ius patronatus est coniunctum, dummodo tamen pretium rei non augeatur propter ius patronatus adiunctum. De permutatione iuris patronatus vide canonistas [2].

§ 4.

De poenis simoniacorum.

Omissis statutis antiquatis et abolitis iuxta vigentem disciplinam 565
sequentia videntur esse notanda:

1. Nulla poena ecclesiastica incurritur ex simonia mentali aut conventionali; quia tales actus sunt interni et non iudicantur ab Ecclesia.

2. Prima poena est nullitas pacti simoniaci.

Etenim simonia aut est iuris divini, et tunc pactum simoniacum est nullum et irritum, quia vendita est res spiritualis, quae est invendibilis ex voluntate Dei; aut est simonia iuris ecclesiastici, et tunc res vendita est invendibilis ex voluntate Ecclesiae. Ergo in omni casu simoniae tum res spiritualis tum pretium temporale restituendum est, nisi excuset impossibilitas, condonatio aut licentia Ecclesiae expressa vel praesumpta. De hac re docet Angelicus Doctor [3]: «Nullus potest licite retinere, id quod contra voluntatem domini acquisivit.... Dominus autem, cuius ecclesiarum praelati sunt dispensatores et ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud: ‚Gratis accepistis, gratis date.' [4] Et ideo qui muneris interventu spiritualia quaecumque assequitur, ea licite retinere non potest.» — A restitutione excusat *impossibilitas*, ut patet, quia ad impossibile nemo tenetur. Hinc ille, qui simoniace ordinatus est presbyter, est quidem suspensus ab exercitio ordinis suscepti, sed manet sacerdos in aeternum. *Condonatio* restitutionis aliquando merito praesumi potest; etenim Ecclesia non exigit redditionem rei spiritualis ante sententiam iudicis, nisi in uno casu, nempe si beneficium ecclesiasticum simoniace acceptum fuit. Tale enim beneficium ipso facto est dimittendum cum fructibus iniuste perceptis, iis solis retentis, qui correspondent labori praestito [5]. Aliae autem res spirituales simoniace acceptae non debent restitui nisi post sententiam iudicis. Hinc e. g. qui simoniace sibi comparavit reliquias, non debet illas restituere nisi post sententiam iudicis. — Pretium temporale

---

[1] Cf. «Normae» n. 91 sqq et S. C. de Rel. d. 30 Iulii 1909; nostrum Man. iur. eccl. II, q. 37. [2] Cf. nostrum Man. iur. eccl. I, q. 174.

[3] S. theol. 2, 2, q. 100, a. 6. [4] Mt 10, 8.

[5] c. 2, V 2 in Extravag. comm. — Cf. etiam *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 113; *S. Thom.*, Summ. theol. l. c. ad 3.

timoniace acceptum pariter in uno tantum casu restituendum est ante sententiam iudicis, scil. si per simoniam non tantum religio, sed etiam *iustitia commutativa* laesa fuerit. Laeditur autem in simonia iustitia commutativa, a) si pretium metu vel dolo extortum est; b) si res mere spiritualis pro pretio temporali data fuerit; c) si pro pretio temporali confertur aliquid spirituale, quod iam aliunde *ex stricta iustitia* praestari debet. Hinc e. g. confessarius, qui exigit pecuniam pro absolutione sacramentali, debet pecuniam receptam restituere; vendidit enim rem pure spiritualem. Pariter parochus, qui vi officii sui ex stricta iustitia tenetur procurare explicationem catechismi, deberet restituere pretium forte obtentum pro hoc labore. Non enim potest bis vendere eundem laborem. — In omnibus aliis casibus, in quibus per simoniam sola virtus religionis laesa est, restitutio pretii accepti non obligat nisi post sententiam iudicis. Ideo e. g. qui vendidit rosarium benedictum aut oleum sacrum, non tenetur ad restitutionem pretii ante sententiam iudicis, dummodo tamen pretium acceptum correspondeat valori rei physice consideratae.

566 *Cuinam pretium simoniacum sit restituendum,* ex dictis facile resolvitur. Etenim, a) si in simonia laesa est *iustitia commutativa,* pretium restituendum est ei, qui dedit illud; b) si res spiritualis nondum tradita est, pretium temporale forte iam acceptum restituendum est ei, qui dedit illud; c) si fructus beneficiales simoniace obtenti restituendi sunt, debent iuxta S. Thomam[1] reddi ecclesiae, in cuius iniuriam dati sunt; probabiliter tamen possunt etiam erogari in pauperes[2]. Demum d) si iudex ecclesiasticus exigit restitutionem pretii simoniaci, etiam determinabit, cuinam sit restituendum.

3. Ob simoniam realem commissam *in beneficio ecclesiastico* incurritur a) excommunicatio Summo Pontifici simpliciter reservata; b) nullitas provisionis; c) inhabilitas ad idem beneficium obtinendum, immo ad quaecumque alia beneficia assequenda[3].

4. Ob simoniam realem *in ingressu religionis* incurritur excommunicatio Summo Pontifici simpliciter reservata[4]. Probabiliter tamen haec excommunicatio non incurritur nisi post professionem sollemnem secutam.

5. Ob simoniam realem (vel saltem simoniae periculum) plectuntur excommunicatione Summo Pontifici simpliciter reservata: «colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex eis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent»[5]. — Ex decreto vero S. Congr. Concilii «Ut debita» d. 11 Maii 1904 graviter prohibetur, ne tradantur stipendia Missarum bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, qui libros aliasque merces loco stipendiorum distribuunt sacerdotibus Missas dicentibus. Transgressores huius decreti puniuntur suspensione a divinis.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 100, a. 6 ad 4.

[2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 115 sqq.

[3] Bulla «Apostolicae Sedis» n. 21; c. 23, X 5, 3; S. Pius V, Const. «Cum primum» a. 1566.

[4] Bulla «Apostolicae Sedis» n. 23. [5] Ib. n. 12.

si sunt sacerdotes; suspensione a susceptis ordinibus et inhabilitate ad alios ordines suscipiendos, si sunt clerici; excommunicatione reservata episcopo, si sunt laici. De hac re latius agetur in tractatu de sacrificio Missae.

6. Ob simoniam realem *in officiis ecclesiasticis* (quae non sunt beneficia ecclesiastica) obtentis aut collatis collatio est eo ipso nulla, et ille, qui simoniace sibi procuravit tale officium, non solum est inhabilis ad illud, sed etiam ad quaecumque alia officia ecclesiastica[1].

Hinc e. g. si quis conveniret cum aliquo electore: Tu elige me in superiorem istius domus, et tunc dabo tibi postea tales et tales favores temporales; et per hanc conventionem revera in superiorem electus esset, electio esset simoniaca et nulla.

7. De simonia in concursu parochiali eiusque poenis, de simonia in venditione rerum benedictarum, in erectione confraternitatum etc. iam supra dictum est.

Monitum practicum. Fere nihil solet causare fidelibus tantum 567
scandalum, quantum sacra auri fames clericorum. Quapropter clerici omnes, quippe qui vel in ipso limine status clericalis professi sint: «Dominus pars hereditatis meae et calicis mei», evitent vel apparentiam avaritiae et cupiditatis. Praesertim longe absit a sacramento poenitentiae quaelibet receptio pecuniae. Optimum est hac in re statutum a Concilio Baltimorensi III, art. 289: «Poenitentias pecuniarias sibi ipsis confessarii non applicent, neque a poenitentibus quidquam tamquam ministerii sui praemium petant vel accipiant. Etiam ultro quocumque nomine oblata recusent; nec vel ipsam Missae eleemosynam in hoc tribunali offerri sinant.» — Quodsi alicubi vigeat consuetudo offerendi et exigendi aliquid pro administratione sacramentorum baptismi et matrimonii, nihilominus sacerdos ne recuset administrationem horum sacramentorum, si forte quis renueret facere huiusmodi oblationes. Insuper parochi moneant fideles, oblationes factas in sepulturis, taxas impositas in quibusdam dispensationibus matrimonialibus servire ad convenientem et minime superfluam sustentationem ministrorum Ecclesiae; praeterea taxas dispensationum matrimonialium esse introductas quasi salutares poenitentias ad deterrendos fideles a petendis huiusmodi dispensationibus, quae considerantur ut vulnera legis ecclesiasticae.

QUAESTIO II.

De virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae, seu de quarto praecepto Decalogi.

Ordo dicendorum. Postquam dictum est de nobilissima parte potentiali 568
virtutis iustitiae, scil. de virtute religionis et vitiis oppositis, restat (sequendo vestigia Angelici Doctoris) tractare de reliquis partibus potentialibus iustitiae, nempe de pietate, observantia, oboedientia, gratitudine, vindicatione, veritate,

[1] Const. «Cum primum» S. Pii V.

affabilitate, liberalitate et epikeia. De veritate seu veracitate iam satis dictum est supra n. 165 sqq, quando sermo fuit de mendacio. Remanent igitur explicandae ceterae virtutes, de quibus agetur in duabus partibus, scil. 1. de pietate, observantia et oboedientia; 2. de gratitudine, vindicatione, affabilitate, liberalitate et epikeia. Ratio huius subdivisionis est, quia tres priores virtutes includunt fere ea, quae statuuntur in quarto praecepto Decalogi, et sic post explicationem trium priorum praeceptorum Decalogi, in praecedenti tractatu factam, convenienter sequitur explicatio quarti praecepti.

Separatim tractare expedit de istis virtutibus in genere et de eisdem prout observari debent a filiis, parentibus, subditis, superioribus etc. Sic enim etiam praebetur occasio disserendi de officiis nonnullorum statuum, cum non habeatur specialis tractatus de statibus hominum in hoc Manuali.

CAPUT I.

De pietate, observantia et oboedientia in genere.

ARTICULUS I.

De pietate.

569 **Distinctiones et definitio.**

Pietas sumitur in triplici sensu:

a) *Pro religione seu cultu divino,* in quantum exhibetur cultus Deo ut *patri.* Quodsi hoc fit per instinctum Spiritus Sancti, habetur donum pietatis, quod inter septem dona Spiritus Sancti enumeratur. Scite animadvertit Angelicus Doctor[1]: «Exhibere cultum Deo ut creatori, quod facit religio, est excellentius quam exhibere cultum patri carnali, quod facit pietas, quae est virtus; sed exhibere cultum Deo ut patri, est adhuc excellentius quam exhibere Deo ut creatori et domino. Unde religio est potior pietatis virtute, sed pietas, secundum quod est donum, est potior religione.» — In hoc sensu sumi potest illud S. Pauli: «Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.»[2]

b) *Pro benignitate seu misericordia,* quo sensu ipse Deus et sancti vocantur pii, e. g.: «Quoniam pius et misericors Deus.»[3] Et in Antiphona invocatur S. Dominicus: «Pie pater Dominice,... sta coram summo iudice pro tuo coetu pauperum.» — S. Augustinus[4] dicit: «More vulgi nomen pietatis etiam in operibus misericordiae frequentatur,... ex qua consuetudine factum est, ut et Deus ipse pius dicatur.»

c) *Pro morali virtute speciali,* qua parentes et patriam colimus tamquam principium exsistentiae nostrae. In hoc ultimo sensu pietas est pars potentialis iustitiae et definiri potest: «virtus moralis, per quam sanguine iunctis patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus»[5]. Vel etiam: «**Pietas est quaedam protestatio caritatis,**

---

[1] S. theol. 2, 2. q. 121, a. 1 ad 2. [2] 1 Tim 4, 8. [3] Eccli 2, 3.
[4] De civ. Dei l. 10, c. 1; cf. S. theol. 2, 2, q. 101, a. 1 ad 2.
[5] Ita *Cicero,* De invent. Rhet. l. 2, c. 53.

quam quis habet ad parentes et ad patriam.»[1] — De hac sola pietate hic sermo erit[2]. Ad cuius maiorem explicationem sequentia notentur:

Obiectum pietatis. 570

α) Obiectum materiale pietatis constituunt duo actus, qui in definitione data vocantur officium et cultus, seu, ut S. Thomas[3] dicit: obsequium et reverentia.

β) Obiectum formale seu motivum attingit obiectum materiale sub ratione debiti, quia scil. parentes et patria sunt *principium ortus nostri.* Quod quidem debitum, praecipue relate ad parentes, non potest reddi ad aequalitatem; saltem ordinarie, quia filii nequeunt ordinarie rependere omnia beneficia, quae a parentibus receperunt. In casibus autem extraordinariis filii possunt reddere hoc debitum etiam secundum aequalitatem, immo et supra aequalitatem, e. g. si filius eripiat patrem a dirissima morte, vel si convertat illum ex haeresi ad veram fidem etc. Quia pietas nequit reddere strictam aequalitatem sicut iustitia, licet reddat debitum, hinc est pars potentialis iustitiae, ut supra dictum est n. 73. — Valde expedit, ut filiis vivide proponantur omnia beneficia a parentibus accepta, atque ut eis inculcetur, ipsos numquam posse ad aequalitatem rependere omnia beneficia recepta.

γ) Obiectum cui sunt parentes, patria omnesque sanguine iuncti. Notandum tamen, actus pietatis, nempe obsequium et reverentiam, principalius dirigi ad parentes et secundario tantum ad alios. Unde dicit S. Thomas[4]: «In cultu parentum includitur cultus omnium consanguineorum, quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eisdem parentibus processerunt.» Fundamentum igitur pietatis est arctissima unio exsistens inter illos, qui sunt sanguine aut patria iuncti. Parentes quoque exercentes pietatem erga filios suos debent eosdem actus obsequii et reverentiae perficere: obsequii quidem, in quantum illis bonam educationem, procurationem status, convenientem sustentationem et sufficientem hereditatem praebent; reverentiam autem, in quantum illos non ut servos, sed ut legitimos filios tractant cum eis cohabitando et amicabiliter vivendo[5].

Corollaria sequentia ex dictis deducuntur: 571

1. Pietas est specialis virtus distincta a qualibet alia virtute et notanter a caritate proximi et iustitia legali; habet enim speciale obiectum, quod ex speciali motivo attingit. Differt autem pietas erga parentes et consanguineos ab amore proximi, quia pietas fundatur super arcta unione *communis stirpis proximi;* amor vero proximi super unione *generis humani.* Differt pietas erga patriam a iustitia legali, quia «pietas se extendit ad patriam secundum quod est nobis quoddam essendi principium; sed iustitia legalis respicit bonum

---

[1] S. theol. l. c. a. 3 ad 1.
[2] *Elternliebe, Kindesliebe, Verwandtenliebe, Vaterlandsliebe.*
[3] S. theol. l. c. a. 2. [4] Ib. a. 1.
[5] Cf. *Caietanus,* Comm. in 2, 2, q. 101, a. 1.

patriae secundum quod est bonum commune.»[1] Cum autem patri nos genuit, semper remaneat principium quoddam ortus nostri, hinc etiam ille, *qui exul a patria vivit*, debet servare pietatem erga patriar dum econtra iustitiam legalem non tenetur servare ille, qui iam non est subditus patriae.

2. Si pietas est specialis virtus, etiam peccata contra eam sunt specialia distincte ab aliis declaranda in confessione. Hinc iniuste v patrem est aliud specie diversum peccatum ac verberare hominen neum. Notandum autem est, iuxta probabiliorem sententiam, tunc modo adesse gravem laesionem pietatis, quando parentes aut filii laeduntur *in persona* vel in bono personali, e. g. in vita, in inco corporis, in honore, in fama etc. Econtra si laesio est in solis bon bus, et notanter per furtum, non est laesio pietatis; immo tale pe ceteris paribus, est levius quam si commissum est in extraneos. R quia iuxta Angelicum Doctorem[2] inter parentes et filios non est iustiti dicta, utpote constituentes aliquam communitatem bonorum; ad i autem requiritur, ut sit ad alterum. Hinc quoque furta filiorum fami ita facile sunt peccata mortalia, neque tam cito exsurgit obligatio resti ut supra n. 83 dictum est. — Laesio pietatis inter consanguineos *r gradus*, e. g. per odium, verberationem etc., est quidem circumstanti vans substantiam peccati, sed non inducit novam speciem moralem non necessario debet poenitens odio habens consobrinum declarare fessione circumstantiam consanguinitatis[3].

ARTICULUS II.

De observantia.

572 **Observantia**[4] definitur a S. Augustino[5] post Ciceronem[6]: per quam homines aliqua dignitate antecellentes quodam cultu et dignantur». Et a S. Thoma[7]: «**virtus, per quam cultus et exhibetur personis in aliqua dignitate constitutis**».

Nomen observantiae huic virtuti impositum esse videtur, quia vare est aliquid anxie speculari seu notare; unde veneratio, qua eos, qui sunt in aliqua dignitate, dicitur observantia, quia tales att servamus, num nostro obsequio indigeant[8]. — Id quod observantia in aliqua dignitate antecellenti potissimum respicit, est *gubernatio*. Sic pietas defert cultum parentibus, quia sunt *auctores vitae nostrae*, ita obs honorat superiores, quia *nos gubernant*. Nihilominus, ut scite anin S. Thomas[9], hac virtute non solum colimus nostros superiores, se omnes illos, qui scientia, virtute aliisque excellentiis praediti sunt quamvis nos reapse non gubernent, tamen casu occurrente idonei e nos gubernandos. Hinc etiam illa subscriptio in litteris usitata: «o tissimus tuus», est valde significativa et honorativa erga receptorem lit

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 101, a. 3 ad 3. [2] Ib. q. 57, a. 4.
[3] Cf. *Lugo*, De poenitentia diss. 16, n. 308.
[4] *Hochachtung, Ehrerbietung.*
[5] Liber octoginta trium quaest. q. 31. [6] De invent. Rhet. l. 2, c. 5.
[7] S. theol. 2, 2, q. 102, a. 1.
[8] Cf. *Billuart*, De virt. iustitiae annexis diss. 1, a. 3. [9] L. c. ad 2.

Distinctiones. Solet distingui triplex observantia, prout triplex 573
est dignitas, propter quam observantia exhibetur: a) observantia *civilis*, si dignitas est civilis, ut in regibus, praeceptoribus, heris etc.; b) observantia *religiosa*, si dignitas est ecclesiastica, ut in Papa, episcopo, sacerdote etc.; c) observantia *supernaturalis*, si dignitas fundatur super virtutes heroicas sanctorum. In hoc ultimo sensu observantia solet vocari dulia in stricta acceptione. Aliquando autem dulia sumitur in latiore acceptione pro honore etiam hominibus adhuc viventibus praestito.

Obligationes praecipuae, quas observantia causat, sunt honor cum 574
reverentia et oboedientia; quae quidem obligationes saepe inculcantur in S. Scriptura[1]. Per se patet, parentibus non solum deberi pietatem, sed etiam observantiam; sunt etenim simul auctores vitae nostrae et gubernatores nostri. Subtiliter animadvertit Caietanus[2], patriae deberi pietatem, cum sit quasi principium ortus nostri; econtra *principi regenti* patriam deberi observantiam solam, cum non sit principium ortus nostri, sed tantum gubernator civium.

Observantia est specialis virtus, quia habet speciale obiectum distinctum ab obiecto tum pietatis tum aliarum virtutum. Pietas enim defert debitum cultum alicui ut principium ortus nostri; observantia autem praebet debitum cultum alicui ut principio gubernationis nostrae. Observantia simili modo laeditur sicut pietas; verumtamen peccata contra observantiam sunt (ceteris paribus) leviora quam peccata contra pietatem, quippe quae arctiorem obligationem inducat. Pietas enim reddit debitum cultum personis nobis magis coniunctis, quibus proinde magis obligamur, et quarum laesio est gravius peccatum[3].

ARTICULUS III.

De oboedientia.

Oboedientia est virtus moralis, quae reddit promptam 575
hominis voluntatem ad implendam voluntatem alterius, scil. praecipientis. Ita S. Thomas[4].

Duplex distingui debet oboedientia: altera *materialis*, altera *formalis*. *Materialis* oboedientia nihil aliud est nisi exsecutio cuiuslibet actus virtuosi, e. g. si quis elicit actum fidei, quin intendat aliquod praeceptum exinde adimplere. Haec oboedientia materialis est circumstantia cuiuslibet actus virtuosi, ac proinde non est specialis virtus, sicuti etiam inoboedientia materialis non est speciale peccatum, sed invenitur in quolibet actu peccaminoso[5], quippe qui sit transgressio legis aeternae. — Oboedientia *formalis* est exsecutio operis, *in quantum est a superiore praeceptum*.

---

[1] Cf. Eccli 7, 31; Rom 13, 1—7; 1 Petr 2, 17 sq.
[2] Comm. in 2, 2, q. 102, a. 1. [3] S. theol. 2, 2, q. 102, a. 3.
[4] Ib. q. 104, a. 2 ad 3. [5] Ib. ad 1.

Disputant theologi, utrum oboedientia formalis exigat *verum praeceptum* superioris, an vero sufficiat manifestatio voluntatis citra praeceptum. E. g. Petrus cognoscit voluntatem patris sui desiderantis, quod aliquod opus ab ipso praestetur. Exercetne Petrus actum verae oboedientiae, si hoc opus adimplet, quin pater illud praeceperit? Caietanus [1], Lehmkuhl [2] aliique stant pro affirmativa sententia; Lessius [3], Billuart [4] pro negativa. Quae quidem controversia est parvi momenti. Etenim sive ille actus dicatur elicitus a virtute oboedientiae stricte dictae, sive non, est certe actus virtuosus pertinens ad *spiritum*, ut ita dicam, virtutis oboedientiae. Sane si Petrus non implet voluntatem patris sic cognitam quidem, sed manifesto praecepto non coniunctam, non peccat peccato inoboedientiae; ast Angelicus Doctor [5] merito dicit: «Voluntas superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum, et tanto videtur oboedientia promptior, quanto praeceptum expressum oboediendo praevenit, voluntate superioris intellecta.» Hinc etiam auctores ascetici solent tres gradus oboedientiae distinguere: 1. opus praeceptum tempore et modo determinato implere; 2. non tantum opus externum implere, sed etiam interius voluntatem propriam prorsus submittere, sicque idem velle idemque nolle cum superiore praecipiente; 3. non solum operis exsecutione et voluntatis submissione, verum etiam iudicii demissione in simplicitate cordis obtemperare voluntati superioris utcumque cognitae. In hoc sensu dicit S. Gregorius M. [6]: «Vera namque oboedientia nec praepositorum intentionem discutit nec praecepta discernit. . . . Nescit enim iudicare, quisquis perfecte didicerit oboedire.» — Hanc perfectam submissionem iudicii debemus praestare Deo et Ecclesiae praesertim, quando illa infallibili suo magisterio utitur; ideoque non sufficit sic dictum silentium obsequiosum [7].

576 **Obiectum oboedientiae** est praeceptum superioris vel explicitum vel tacitum vel interpretativum [8]. Cum autem istud obiectum habeat specialem rationem boni, oboedientia est etiam specialis virtus, cuius exercitium quidem imperari potest a diversis aliis virtutibus. Oboedientia enim procedit ex reverentia, quae exhibet cultum et honorem superiori; si igitur procedit ex reverentia Deo debita, pertinet ad devotionem et religionem; si procedit ex reverentia parentibus debita, continetur sub pietate; demum si procedit ex reverentia praelatorum, continetur quodammodo sub observantia [9].

577 **Excellentia oboedientiae.** Oboedientiam esse virtutem valde excellentem, patet tum ex S. Scriptura tum ex laudibus SS. Patrum tum ex ratione. — In S. Scriptura dicitur: «Melior est oboedientia quam victimae.» [10] Quae quidem verba exponens S. Gregorius M. [11] dicit: «Oboedientia victimis iure praeponitur, quia per victimas aliena caro, per oboedientiam vero voluntas propria mactatur.» S. Thomas [12] dicit:

[1] Comm. in 2, 2, q. 104, a. 2.
[2] Theol. mor. I, n. 924. [3] De iust. l. 2, c. 46, n. 22.
[4] De relig. diss. 2, a. 1. [5] S. theol. 2, 2, q. 104, a. 2.
[6] In 1 Reg. l. 2, c. 4, n. 11 (*Migne*, Patr. lat. 79, 131).
[7] Cf. Clemens XI, Bulla «Vineam Domini» a. 1715.
[8] S. theol. l. c. [9] Ib. a. 3 ad 1. [10] 1 Reg 15, 22.
[11] Moral. lib. ultim., c. 14 (*Migne*, Patr. lat. 76, 765).
[12] S. theol. 2, 2, q. 186, a. 5 ad 5.

«Nihil maius potest homo dare Deo quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subiciat.» — Propter hanc suam excellentiam oboedientia solet etiam imperare aliis virtutibus, causans e. g. nunc ieiunium, nunc actum religionis, nunc actum dilectionis etc. Si oboedientia *obiective* comparatur cum aliis virtutibus, tunc sane est inferior non tantum virtutibus theologicis, sed etiam virtuti religionis, quarum obiectum multo propius accedit ad Deum. Sin autem oboedientia consideratur ex parte eius, quod contemnit, ut inhaereat Deo, tunc praecellit alias virtutes morales. Cum enim aliae virtutes contemnant propter amorem Dei bona materialia aut corporalia, e. g. divitias, voluptates carnales, oboedientia ligat ac sacrificat propriam voluntatem in obsequium Dei[1].

Extensio oboedientiae. Cum oboedientia limitetur ex auctoritate superioris, tanta est extensio eius, quanta est superioris auctoritas. Iam vero auctoritas Dei est illimitata et infinita atque eius voluntas est sanctissima. Unde oboediendum est Deo in omnibus, et impossibilis est casus, quo imperio Dei certo cognito liceat resistere[2]. — Auctoritas vero superioris humani est limitata per legem non solum divinam, sed etiam humanam. Unde subditus nequit oboedire superiori praecipienti aliquid, quod est contra legem naturalem aut positivo-divinam. Talis enim oboedientia esset indiscreta, cum Deo magis oboediendum sit quam hominibus[3]. Si superior humanus praetergreditur quidem suam competentiam, sed nihil illiciti iubet, subditus *potest,* sed non tenetur oboedire. Sin autem dubium oritur de liceitate actus a superiore praecepti, tunc dubium hoc pro viribus est excutiendum. Quod si dubium persistat, subditus tenetur oboedire, quia praesumptio stat pro superiore, qui non censetur aliquid illiciti praecepisse, nisi id certo constet. Num superior humanus possit praecipere actus mere internos, auctores non concordant. De hac controversia dictum est supra I, n. 183 in tractatu de legibus. Num parentes possint praecipere filiis electionem alicuius status, in capite sequente dicetur. 578

Vitia opposita. Oboedientiae opponitur 1. *per excessum* servilitas seu oboedientia indiscreta, quae scil. etiam in illicitis obtemperat; 2. *per defectum* inoboedientia, quae est vel *materialis,* et tunc non est speciale peccatum, quia invenitur in laesione cuiuslibet virtutis; vel est *formalis,* quae oritur ex formali contemptu praecepti aut praecipientis. Tunc autem aliquis ex formali contemptu transgreditur praeceptum, quando voluntas eius renuit subici ordinationi, et praecise ex hoc motivo transgreditur illam. Si enim quis transgreditur praeceptum propter iram, concupiscentiam aliamve inordinatam passionem, non peccat neque ex contemptu neque ex inoboedientia formali. Contemptus formalis *praecepti* vocatur *imperfectus,* contemptus vero *praecipientis* vocatur *contemptus formalis perfectus,* et est peccatum multo gravius quam formalis contemptus praecepti[4]. Immo est peccatum ex toto genere 579

[1] Ib. q. 104, a. 3. [2] Ib. a. 4. [3] Ib. a. 5. [4] Ib. q. 105, a. 2.

suo mortale, quia est gravis iniuria contemnere superiorem et praecise ex hoc contemptu transgredi eius praeceptum, licet sit de materia in se levi[1]. Contemptus formalis *praecepti* constituit inoboedientiam formalem, et est peccatum mortale ex genere suo, admittit autem parvitatem materiae. Etenim omnis inoboedientia formalis adversatur caritati tum Dei tum proximi, quoniam caritas Dei exigit, ut eius mandatis obtemperemur. Unde Christus dixit: «Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est, qui diligit me.»[2] In praeceptis autem divinis continetur, quod etiam superioribus humanis oboedire oportet. Et «ideo etiam inoboedientia, qua quis inoboediens est praeceptis superiorum, est peccatum mortale, quasi divinae dilectioni contrarium, secundum illud: ‚Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.'[3] Contrariatur insuper *dilectioni proximi,* in quantum superiori proximo subtrahit oboedientiam, quam ei debet.»[4] — Inoboedientia admittit parvitatem materiae, ac proinde potest esse peccatum veniale. Generatim dici potest: Peccatum inoboedientiae est eo gravius, quo altior est praecipiens et quo gravius est praeceptum laesum.

CAPUT II.

De eisdem virtutibus prout observari debent a filiis, parentibus etc.

In hoc capite tractabitur de obligationibus filiorum, parentum, coniugum, dominorum, famulorum, magistrorum, discipulorum, principum, subditorum.

ARTICULUS I.

De obligationibus filiorum erga parentes.

580 Filii tenentur exhibere parentibus suis amorem, reverentiam et oboedientiam. Quae quidem obligatio oritur ex triplici praerogativa parentum: etenim parentes dederunt *exsistentiam* filiis, quibus exinde praescribitur pietas seu amor; parentes sunt *in dignitate* constituti, ac ideo illis debetur reverentia; et demum parentes sunt *gubernatores* educationis, ideoque filii debent illis oboedire. — Haec triplex obligatio ex genere suo est *gravis,* ita ut filius laedens aut amorem aut reverentiam aut oboedientiam parentibus debitam peccet mortaliter; saepissime autem propter parvitatem materiae aut imperfectionem actus non peccat nisi venialiter.

a) **Quoad amorem.** Amor parentibus debitus sit affectivus et effectivus oportet.

Amor affectivus exigit, ut filii parentibus sincere desiderent omnia bona vere utilia, ac proinde pro illis orent Deum maximum optimum. Contra

---

[1] Cf. *Billuart,* De relig. diss. 2 de oboed., a. 4.
[2] Io 14, 21. [3] Rom 13, 2. [4] S. theol. 2, 2, q. 105, a. 1.

amorem affectivum peccant filii, si parentes odio habent (odio sive abominationis sive detestationis); si gaudent de eorum adversis ac tristantur de eorum prosperis; si illis mortem exoptant; si pro illis per longum tempus non orant; si ex pravo egoismo appetunt hereditatem paternam. Hinc damnata est propositio (14) ab Innocentio XI: «Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.» [1]

Amor effectivus postulat, ut filii parentibus ostendant externa signa amoris, eos caritative alloquendo, eis pacifice cohabitando vel, si absentes sunt, frequenter visitando; ut eis subveniant in necessitatibus; ut eis senio, infirmitate aliove adverso casu laborantibus solatium et adiutorium exhibeant, in quantum hoc est moraliter possibile. Praesertim debent filii subvenire parentibus in necessitatibus spiritualibus; unde debent procurare, ut parentes morti proximi sacramenta recipiant et ut defuncti habeant suffragia. — Peccant igitur filii, si parentes exterius indebite affligunt; si eos afficiunt iniuriis, verbis contumeliosis, maledictis, verberibus. Percussio parentum iniuriosa fere semper est peccatum mortale, quia includit enormem irreverentiam. Immo in nonnullis dioecesibus iniuriosa percussio parentum est peccatum reservatum. Etiam maledictio serio prolata in parentes est peccatum mortale. Unde Deus ipse statuit: «Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.» [2] Item graviter peccant filii, si parentibus in gravi necessitate versantibus non subveniant. Hinc filii nequeunt in religionem intrare, si parentes eorum subventione graviter indigent; immo si filius iam professionem religiosam emisisset et non posset aliter subvenire parentibus in extrema aut quasi-extrema necessitate versantibus, teneretur egredi e religione. Latius de hac re agitur alibi [3].

Quaeres: Num filius teneatur solvere de suis bonis debita patris 581
solvendo incapacis?

Imprimis distinguenda est obligatio iustitiae ab obligatione pietatis. Ex *iustitia* filius tenetur solvere debita patris, si accepit bona paterna, quae adhuc supersunt. Etenim a bonis paternis, sive donatione inter vivos sive testamento acceptis, semper subtrahenda sunt debita patri incumbentia. Filius autem non tenetur reddere expensas, quas pater fecit pro ipsius educatione; filius enim habet ius, ut expensis patris debitam educationem accipiat. Ex *pietate* aliquando filius tenetur solvere debita patris, etiamsi hoc non possit ex bonis a patre perceptis; si scil. secus honor patris valde laederetur. Nihilominus ex sola pietate filius non tenetur cum suo gravi incommodo solvere debita patris. Iam supra n. 402 dictum est, quomodo filius teneatur adimplere vota realia patris.

b) **Quoad reverentiam.** Quartum praeceptum Decalogi enuntiatur 582
sub his verbis: «Honora patrem tuum et matrem tuam.» [4] Honorare autem, ut dicit Catechismus Romanus [5], «est de aliquo honorifice sentire, et quae illius sunt, maximi putare omnia». Hinc filii debent interius dignitatem parentum agnoscere illamque exterius verbis, signis et factis profiteri.

---

[1] *Denz.* n. 1164. [2] Mt 15, 4.
[3] Nostrum Man. iur. II, q. 24 sq; cf. etiam S. theol. 2, 2, q. 101, a. 4 ad 4.
[4] Ex 20, 12. [5] P. 3, c. 5, q. 3.

Peccant igitur filii 1. *verbis,* si parentes verbis asperis, iniuriosis, contumeliosis, maledicis appellant, aut de illis hoc modo loquuntur; e. g. si filius vocat patrem stupidum asinum, aut decrepitum senem; 2. *signis,* si gesticulationibus eos derident aut despiciunt; 3. *factis,* si illos percutiunt, eos e domo eiciunt, aut etiam manum contra illos attollunt; 4. *omissione,* si iuxta morem patriae consueta reverentiae signa non exhibent; e. g. si illos non salutant, coram illis non assurgunt, eos coram aliis nolunt agnoscere, nisi tamen ex agnitione sequatur filio magnum damnum sive in bonis fortunae sive in honore. Tunc enim parentes non essent rationabiliter inviti, si in istis circumstantiis exigerent agnitionem filiorum [1]. Ceterum rarissimus est casus, in quo verum damnum oritur filio ex eo, quod parentes suos etiam coram aliis agnoscit et honorifice tractat.

583 c) **Quoad oboedientiam** filii obligantur, ut parentum iussa in omnibus licitis ad ipsorum curam pertinentibus exsequantur. Unde S. Paulus [2] monet: «Filii, oboedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est.» «Filii, oboedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino.» — Quae quidem obligatio oboedientiae per se gravis est, si scil. parentes graviter et serio praecipiunt in materia gravi. Hinc S. Paulus vocat parentibus non oboedientes dignos morte [3]. Ut autem ex tali inoboedientia oriatur peccatum mortale, requiritur a) ut parentes serio praecipiant, non autem solum moneant aut exhortentur; b) ut adsit materia gravis. Quaenam autem materia sit revera gravis, difficulter potest regula generali determinari. Generatim tamen dici potest, illam materiam esse gravem, cuius omissio causat grave nocumentum aut filio aut familiae. Hinc e. g. graviter peccat filius, si non oboedit patri severe prohibenti ebrietates continuas, scortationes, conversationes valde malas in popinis etc.

Oboedientia parentibus debita etiam in rebus licitis habet duas limitationes:

584 1. *Quoad durationem.* Filii tamdiu debent parentibus oboedientiam praestare, quamdiu degunt sub paterna potestate. Ubi primum autem evaserunt maiorennes aut emancipati, iam sunt sui iuris, neque amplius tenentur oboedire.

Maior seu maiorennis filius consideratur ordinarie anno 21 suae aetatis; emancipari autem potest ante hoc tempus iuxta diversas leges civiles modernas, ut supra n. 26 sqq dictum est in tractatu de iustitia. Si filius maiorennis aut emancipatus libere remanet in domo paterna, non eximitur ab obligatione oboediendi. Filius minorennis non potest, invitis parentibus, licite extra domum paternam victum suum quaerere aut vitam etiam degere, nisi tamen id ei concessum sit a legitima auctoritate. Econtra filius maiorennis aut emancipatus licite potest vivere extra domum paternam, et tunc iam non tenetur oboedire parentibus. Nihilominus bonus filius semper conatur pro viribus obtemperare voluntati parentum. Licet autem obligatio oboedientiae aliquando cesset, *obligatio vero amoris et reverentiae* erga parentes numquam cessat et aeque incumbit filiis maiorennibus ac minorennibus.

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 334. [2] Eph 6, 11. Col 3, 20.
[3] Cf. Rom 1, 32.

2. *Quoad electionem status vitae* filii ex ipso iure naturali liberi 585
sunt, neque tenentur oboedire parentibus.

Ratio est, quia in eis, quae spectant ad individui et speciei conservationem, omnes homines sunt aequales [1], atque magna iniustitia est, proximum cogere ad aliquem vitae statum, a quo eius salus terrestris et coelestis haud raro dependet. Solent distingui duplicis generis status vitae: status *principales,* quales sunt tres, nempe status religiosus, clericalis et matrimonialis; status *secundarii,* qui potius sunt officia quam immutabiles status vitae, e. g. status sutoris, doctoris, advocati, medici etc. Omnes theologi docent, filium esse liberum in electione status principalis vitae, atque parentes peccare, si cogunt filium ad talem statum amplectendum. Unde S. Alphonsus [2] merito dicit: «Graviter peccant parentes, qui filios cogunt, etiam indirecte, invitos ad vitae statum eligendum, sive clericalem sive coniugalem; vel contra, si eos iniuste retrahunt, etiam sine vi vel fraude, a statu religioso, clericali vel coniugali, sine iusta causa.» — Propter gravem necessitatem parentum filii aliquando prohibentur intrare statum religiosum, ut supra dictum est. Sin autem necessitas est tantum levis, aut si filius est prorsus impos sublevandi necessitatem parentum, potest libere ingredi religionem. Saepe non expedit consilium parentum petere, si filius vult amplecti statum clericalem aut religiosum, cum eis sufficiens notitia harum rerum atque praesertim integra non perturbata iudicandi potestas deesse videatur. Antequam autem filius (post seriam deliberationem factam) reapse amplectatur statum religiosum aut clericalem, debet parentum petere consensum, qui si indebite negetur, praetermitti potest. Tunc enim magis oboediendum est Deo vocanti quam parentibus renitentibus, cum Christus dicat: «Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.» [3] — Sin autem agitur de matrimonio cum certa persona contrahendo, tunc filii tenentur consilium et ordinarie etiam assensum petere parentum, quia ita exigit (saltem communiter) tum prudentia tum etiam pietas et reverentia. Saepe enim filii vesano amore obcaecati volunt contrahere matrimonium, quod certo verget in ipsorum perniciem et in familiae dedecus. Quodsi parentes irrationabiliter recusent assentiri matrimonio contrahendo, filius iam non tenetur oboedire; ipsi parentes autem matrimonium filii indebite impediendo aut etiam differendo facile peccant graviter, cum saepe sint causa multorum peccatorum incontinentiae et odii aut etiam desperationis.

Quantum ad electionem *status secundarii* vitae, seu professionis, uti dicunt, e. g. artis medicinae, artis sutoriae etc., filii debent aliqualiter oboedire parentibus. Hinc peccant filii, qui contra voluntatem parentum volunt amplecti professionem periculis plenam aut conditionis suae inconvenientem; sed tamen ex alia parte etiam peccant parentes, qui ex motivis insufficientibus cogunt filium ad aliquam artem exercendam, quae illi taedium affert aut eius facultatibus minus idonea est.

Scholion. De obligatione filii illegitimi. Filius extra legitimum torum 586
natus (nisi postea sit legitimatus) nec eadem iura nec easdem obligationes habet quas filius legitimus. Moderna iura civilia solent accurate determinare iura et obligationes tum filii illegitimi tum parentum ipsius. Amorem, reverentiam et oboedientiam debet praestare alterutri parenti, ei scil. qui eius educationem procurat. Alteri parenti, qui nihil curat de eius educatione,

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 104, a. 5. [2] L. c. n. 335. [3] Mt 10, 37.

nihil debet, quoniam iste praeter iniuriam indebitae generationis etiam iniuriam denegatae aut neglectae educationis illi infert. Ex iure enim naturali *ambo parentes* illegitimi tenentur providere educationi prolis genitae. Quae moderna iura de modo et de expensis educationis prolis illegitimae statuunt, satis iusta sunt ac videntur obligare in conscientia, saltem post sententiam iudicis. Si tamen pater vi aut fraude gravi induxit mulierem ad copulam carnalem, tunc ipse est iniustus damnificator ac proinde tenetur omnia damna resarcire, quae ex eius actione iniusta orta sunt. Non solum igitur debet expensas educationis prolis illegitimae portare, sed etiam matrem indemnem reddere. Cf. quae supra n. 145 sqq dicta sunt de reparatione iniuriae ex stupro vel adulterio ortae.

ARTICULUS II.

De obligationibus parentum erga filios.

Ex pietate parentes tenentur exhibere filiis suis 1. *amorem;* 2. *educationem corporalem* et *spiritualem*. Quantum ad amorem et educationem corporalem, id ipsa natura dictat, cum vel bruta animalia suos foetus diligant et nutriant. Quoniam autem homo habet animam rationalem, ac praesertim cum sit elevatus ad ordinem supernaturalem, hinc parentes humani insuper debent filios suos educare spiritualiter. Obligatio amoris numquam cessat, obligatio vero educationis cessat, cessante fine; quando scil. filius ita adolevit, ut sibi ipsi valeat providere in corporalibus et spiritualibus.

587 1. **Amor eiusque obligatio et laesio.** Parentes debent filios suos amare vero ac sincero amore affectivo et effectivo, ita ut non solum omne odium omnemque malevolentiam seponant, sed etiam filiis bene velint, bene faciant atque subveniant in necessitatibus. Filius est pro patre quasi alter ego, cum sit de eius substantia genitus; ac proinde pater debet etiam diligere filium suum sicut se ipsum [1].

Peccant igitur parentes:

a) Qui filios suos odio, malevolentia aut alio pravo affectu prosequuntur.

b) Qui eos nominibus contumeliosis appellant aut imprecationes in eos eructant. Sane huiusmodi verba contumeliosa et imprecationes saepe non serio, sed ex impetu irae proferuntur, et tunc non sunt ita gravia peccata, nisi grave scandalum inde oriatur; at nihilominus talia verba sedulo sunt vitanda, cum non maneant sine malo effectu. Hinc dicitur in S. Scriptura: «Maledictio matris eradicat fundamenta [domorum filiorum].» [2]

c) Qui occulta delicta filiorum manifestant sine iusta causa. Aliquando autem parentes sibi invicem possunt manifestare delicta filiorum, dummodo tamen hoc serviat ad bonum familiae aut filiorum.

d) Qui filios indebite verberant aut aliter puniunt, e. g. e domo eiciendo.

e) Qui dum uni filio totum affectum impendunt, erga alios se habent frigidi aut indifferentes. Ex tali enim modo agendi pessimi effectus sequi solent, e. g. iurgia, rixae, divisiones, odia filiorum etc.

f) Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia illis concedant aut permittant neve eos a vitiis pravisque habitudinibus refraenent. Talis in-

---

[1] Cf. S. theol. 1, 2, q. 100, a. 5 ad 4. [2] Eccli 3, 11.

ordinatus amor[1] est revera crudelis ignavia, causans tum parentibus tum ipsis filiis gravissima nocumenta, sicut quotidiana experientia constat.

2. **Educatio corporalis eiusque obligatio et laesio.** Edu- 588
catio corporalis duas obligationes creat: a) *conservationem vitae;* b) *procurationem convenientis status vitae.*

a) *Ratione vitae conservandae* parentes tenentur sedulam curam gerere prolis inde ab ipsa conceptione, ita ut eius sanitas conservetur. Hinc peccant:

α) Matres praegnantes, quae nocent foetui saltationibus, inordinatis lasciviis, vehementibus passionibus irae, moeroris etc.

β) Patres, qui uxores praegnantes aspere tractant, percutiunt, gravibus passionibus excitant, nimiis laboribus onerant.

γ) Matres, quae sine iusta causa non lactant prolem. Etenim tunc proli solet oriri notabile damnum corporale, immo et aliquando spirituale. Nam proli nullus alius cibus tam conveniens est quam lac propriae matris. Damnum quoque spirituale potest accidere, si infanti datur nutrix aliena; quia iuxta plures medicos[2] qualitates morales nutricis in ipsum infantem aliqualiter influunt. Cum autem istae nutrices saepe sint matres, quae ex fornicatione pepererunt, earum qualitates morales nonnumquam sunt malae. Etiam damnum oritur aliquando pro matre ipsa, quae deest officio suo. Nam matres solent se subtrahere huic officio lactandi eo fine, ut facilius valeant frequentare conventus mundanos, choreas, theatra aliaque oblectamenta. Quae quidem omnia parum utilia sunt pro anima ipsarum. Sunt tamen casus, in quibus mater non tenetur lactare propriam prolem, si e. g. ipsa est nimis debilis, si lac sufficiens deest, si secus deberet omittere laborem, quo sibi victum comparare debet.

δ) Parentes, qui sine urgenti necessitate filios exponunt in brephotrophio[3] vel loco publico. Ratio est, tum quia sic deserere filios est contra naturam, tum quia proles sic exposita haud parvum opprobrium et damnum per totam vitam habebit, ex eo quod est enutrita in brephotrophio, et quod eius parentes sunt ignoti. Supra n. 146 in tractatu de iustitia sermo fuit, num parentes divites teneantur damna resarcire, quae brephotrophio ex educatione prolis expositae orta fuerunt.

ε) Parentes, qui filiis non praebent sufficiens nutrimentum, vestitum, habitationem, curationem tempore morbi. Tenentur autem parentes filiis subministrare haec omnia usque ad illud tempus, quo ipsi sibi necessaria providere possunt; immo etiam toto tempore vitae, si filii versantur in gravi necessitate[4]. Sin autem filii ex propria perversitate victum acquirere non valent, parentes tenentur quidem subministrare ea, quae prorsus sunt necessaria ad vitam, sed non alia. Hinc e. g. si filius dissipavit totam hereditatem iam acceptam, nihilominus pater tenetur eum alere et debita forsan pro

---

[1] *Affenliebe.*

[2] Cf. *Capellmann,* Pastoralmedizin (1904) p. 53: Das Ammenwesen; *I. Antonelli,* Medicina pastoralis I (1906), n. 489: De nutricibus venalibus.

[3] *Findelhaus*

[4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 101, a. 2 ad 2: «Pater habet rationem principii. . . . Ideo per se patri convenit, ut subveniat filio; et propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam.»

alimentis emendis contracta solvere; minime autem tenetur alia debita solvere aut filio prodigo aliquid aliud praestare ac stricte necessaria ad vitam.

b) *Ratione convenientis status vitae procurandi* parentes tenentur curare, ut filii vel artem aliquam vel litteras addiscant; in quantum hoc possibile est, attentis facultatibus parentum et viribus filiorum. Insuper parentes debent saltem mediocrem diligentiam adhibere, ut filiis convenientem hereditatem relinquant. Dicit enim S. Paulus: «Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.» [1]

Hinc peccant parentes, qui pigritia, negligentia, potationibus, lusibus etc. rem familiarem dissipant, ita ut hereditas filiorum notabiliter minuatur. Pariter peccant parentes, qui absque causa legitima denegant dotem convenientem filiae pro matrimonio ineundo aut pro religione ingredienda; sin autem iuste dissentiunt matrimonio ineundo, tunc non tenentur dotem praestare, sed tantum victum necessarium, si filia nupta est in gravi necessitate.

589 3. **Educationis spiritualis obligatio eiusque laesio.** Gravissima est obligatio incumbens parentibus procurandi diligentem educationem spiritualem prolis. Etenim proles generata, utpote habens animam rationalem destinatam ad beatitudinem aeternam, debet imprimis educari quoad animam, ita ut imbuatur scientiis et virtutibus necessariis ad obtinendum finem supernaturalem. Quamobrem S. Paulus admonet parentes, ut educare studeant filios «in disciplina et correptione Domini» [2]. Tenentur igitur parentes prolem natam mox lavacro baptismi regenerare et liberare a peccato originali. Hinc notabilis dilatio baptismi est peccatum grave, ut infra dicetur in tractatu de baptismo. Quam primum deinde parentes debent curare, ut infantes vix usum rationis adepti instruantur in rebus morum et religionis, ut quotidie pias orationes fundant, ut exerceant virtutes ipsorum aetati convenientes. Parentes debent filiis praebere in omnibus bonum exemplum. Validiora enim sunt exempla quam verba. Unde S. Hieronymus [3] scribit ad Laetam de educatione filiae suae: «Te habeat magistrum, te rudis miretur infantia, nihil in te et in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes, magis exemplis docere posse quam voce.» Et Concilium Tridentinum generatim dicit: «Integritas praesidentium salus est subditorum.» [4] Idcirco graviter peccant parentes, qui coram filiis blasphemant, turpia loquuntur, impudica agunt, aut — quod peius est — filios ad peccandum inducunt. Insuper oportet, ut parentes adhibeant sufficientem vigilantiam, aut etiam, necessitate exigente, debitam correptionem, ne filii vitia contrahant neve in peccatis sordescant. Quare ad illos dirigitur gravis monitio: «Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur; in virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis.» [5] Quae quidem correptio fiat oportet semper cum amore et discretione, non autem

---

[1] 2 Cor 12, 14. [2] Eph 6, 4.

[3] Apud *Migne*, Patr. lat. 22, 867 sqq. Dignissima est haec epistola, quae legatur, optime tractans de educatione in familiis antiquorum christianorum.

[4] Sess. 6, c. 1 de reform. [5] Prov 23, 13 sq.

cum asperitate aut passione inordinata. Hinc Apostolus monet: «Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.» [1]

Ideo peccant parentes, qui filiorum excessus castigatione congrua non compescunt. Tristissimum exemplum castigationis neglectae est Heli, qui exinde graviter punitus fuit. Pariter peccant parentes, qui socorditer permittunt filios suos in proxima occasione peccandi, e. g. concedendo, ut pueri et puellae in eodem lecto cubent, ut filii et filiae protrahant periculosas procationes etc. Ex alia parte peccant quoque parentes, qui in punitione filiorum notabiles excessus committunt. — Nostris temporibus educatio spiritualis filiis debita maxime exigit, ut parentes filios suos mittant ad bonas scholas, in quibus traditur sana doctrina et vigent boni mores inter discipulos et magistros. Iam supra I, n. 528 sufficienter dictum est de periculis, quae oriuntur ex pravis scholis. Praestat hic addere Instructionem S. Officii d. 21 Martii 1866 ad episcopos Helvetiae de scholis mixtis[2]: «An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere? — Generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus iudicio et conscientiae Ordinarii id esse relinquendum; cuius tamen erit officii, diligenter curare, ut non modo a se et a parochis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur; simulque eniti apud magistratus et praesides, ne vis inferatur conscientiae catholicorum adhibendo libros, qui religioni catholicae sunt infensi; ac denique assidue et instanter monere et hortari omnes, atque eos praesertim, quibus facultas est, ut liberos suos in alias regiones mittant, ubi catholice educentur.» — Acri satyra invehit S. Chrysostomus[3] in eos, qui pravis magistris committunt filios instruendos: «Maiorem asinorum et equorum quam filiorum curam habemus. Nam si burdonibus atque asinis agazo nobis praeficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem aut temulentum aut furem aut rei eius imperitum praeficiamus. Si vero ad colendum filiorum ingenium paedagogus sit nobis inveniendus, qui casu oblatus fuerit, recipimus, nec consideramus ullam artem hoc artificio sublimiorem non inveniri.» — In nonnullis dioecesibus, e. g. Angliae, parentes mittentes sine urgentissima ratione filios in scholas acatholicas non possunt absolutionem sacramentalem recipere sine praevia licentia episcopi. In praxi valde consulendum est, ut parochi et confessarii cuiusque regionis, praehabita instructione episcopi, modo uniformi in hac re procedant negando absolutionem eis parentibus, qui non sincere promittunt se velle pro viribus suis praecavere pericula, quae filiis ex frequentatione scholarum proveniunt.

Scholion. De pietatis obligationibus inter alios cognatos. Ex virtute pietatis oriuntur similes quidem, sed non aequales obligationes etiam inter alios cognatos in *propioribus* tamen gradibus, scil. erga avum, aviam, nepotem, neptem, fratrem, sororem. Obligationes autem erga *remotiores* cognatos sunt eaedem, quae ex communi caritate erga proximum dictantur.

---

[1] Col 3, 21.

[2] Collect. de Prop. Fide I, n. 1286.

[3] Hom. 20 in Matth. Simile quid dicit adagium: «Das ist fürwahr ein großer Sünder, der für seine Kälber mehr sorgt als für seine Kinder.»

ARTICULUS III.

De obligationibus coniugum.

Breviter de obligationibus coniugum agimus, quia in aliis locis, scil. in tractatu de iustitia, ubi de bonis uxorum sermo fuit (n. 15 sqq), et in tractatu de matrimonio, ubi de debito coniugali agetur, iura mutua et obligationes coniugum explicantur. Possunt autem distingui obligationes mutuae, quae inter ambos coniuges sunt aequales, et obligationes, quae alterutri coniugi sunt peculiares.

590 1. **Obligationes mutuae.** Coniuges sibi invicem aequaliter debent a) mutuum amorem affectivum et effectivum; b) debitum coniugale; c) convictum.

a) Tenentur coniuges sibi invicem praestare *sincerum amorem mutuum*. Cum enim sint quasi una caro, debent etiam esse quasi cor unum. Idcirco S. Paulus praecipit viris, ut diligant uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam [1]; uxoribus autem, ut ament viros suos [2]. Qui quidem amor non solum affectivus, sed etiam effectivus sit oportet. Amor effectivus postulat, ut coniuges se invicem pro viribus adiuvent, praesertim in necessitatibus; ut alter alterius onera portet; ut evitent inordinatum egoismum, contumeliosa verba, duritiem et praesertim zelotypiam, quae solet esse sepulchrum amoris coniugalis.

b) Tenentur coniuges sibi mutuo reddere *debitum coniugale*. Idcirco S. Paulus dicit: «Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.» [3] Praesertim autem debent coniuges servare fidem coniugalem, ita ut nec adulterium mentale perpetrent. De debito coniugali sermo redibit in tractatu de matrimonio.

c) Tenentur coniuges *convivere*, ita ut habeant communem habitationem, mensam et torum. Propterea Christus iterum inculcavit praeceptum Veteris Testamenti: «Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.» [4] — Quandonam liceat divortium sive perfectum sive imperfectum facere, dicetur infra in tractatu de matrimonio.

591 2. **Obligationes et iura mariti.** Cum maritus sit caput familiae, competit illi potestas gubernandi uxorem, filios et rem familiarem. Hinc tenetur curare, ut uxor omnia munia sua fideliter adimpleat; tenetur autem etiam illi praebere sufficientem victum, vestitum et habitationem, etiamsi uxor nulla bona dotalia attulerit. In casu divortii quoad torum et habitationem maritus tenetur praestare congruam sustentationem uxori, nisi tamen divortium factum sit ob adulterium uxoris. Ideo peccat maritus, si dure et aspere tractat uxorem; si cogit illam ad labores, qui eius conditionem ac dignitatem dedecent. Uxor est enim socia, et non ancilla mariti. Maritus potest, immo et debet corrigere uxorem delinquentem; quae quidem correctio ordinarie debet consistere in verbis

---

[1] Eph 5, 25. [2] Tit 2, 4; cf. etiam Col 3, 18 et 1 Tim 2, 15.
[3] 1 Cor 7, 3. [4] Mt 19, 5.

sine ira et odio prolatis. Correctiones graviores consistentes in factis aut in verberibus communiter sunt malae aut saltem dissuadendae, utpote potius nocivae quam proficuae. Maritus graviter peccare potest, si uxorem conviciis prosequitur, e. g. vocando eam adulteram, meretricem, sagam etc.; pariter peccat graviter, si uxorem valde affligit crapulis suis aliisque inordinatis passionibus. Maritus debet sedulo administrare bona familiae sibi concredita. Quantum ad administrationem bonorum uxoris attendendae sunt leges civiles aut legitimae conventiones, sicut supra n. 16 sqq dictum est in tractatu de iustitia. Marito incumbit vi potestatis patriae in liberos directio educationis iuxta superius dicta de educatione filiorum.

3. **Obligationes et iura uxoris.** Uxor debet revereri maritum 592
eique debitam oboedientiam praestare. Unde Apostolus monet: «Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet in Domino.»[1] Ratio huius subiectionis desumitur ex ipsa conditione familiae, cuius caput et rector est maritus. Uxor debet insuper sedulam curam habere in educatione parvulorum et in re domestica, prout eius conditio postulaverit. Hinc peccat uxor, si negligit rem domesticam nimis indulgens desidiae et oblectamentis; pariter peccat, si nimis indulget luxui et sic exasperat maritum. Iura uxoris desumuntur ex obligationibus mariti modo expositis, praesertim vero exigere potest uxor, ut a marito in omnibus tractetur tamquam eius socia.

Scholion. De emancipatione feminarum. Quamvis haec 593
materia non pertineat ad virtutem pietatis, tamen cum supra sermo fuerit de relationibus inter virum et mulierem, praestat hic pauca delibare scitu necessaria pro theologo moralista de emancipatione feminarum, quae hodie ita agitat mentes et rem publicam. Sub nomine emancipationis feminarum intelligitur omnimoda aequalitas iurium inter viros et mulieres, ita ut mulieribus pateat aditus etiam ad omnia munia politica, et praesertim ad suffragia politica. Nonnulli tamen non ita radicalem emancipationem mulierum anhelant, sed mulieribus volunt solummodo vindicare maiora iura in ordine domestico et oeconomico. Ecclesia catholica hucusque emancipationem feminarum non reprobavit. Sequentes normae videntur esse observandae:

1. Vir et mulier pares sunt quantum ad substantiam naturae humanae, quantum ad animam, quantum ad gratiam et gloriam obtinendam; idcirco S. Paulus dicit: «[In Christo enim] non est masculus, neque femina.»[2] Quamobrem Ecclesia catholica numquam desiit docere, mulierem non esse ancillam, sed sociam viri.

2. Quamvis ordinarie mulier sit debilior viro quantum ad vires corporis et intellectus, tamen haud paucae exsistunt mulieres valentes eadem opera (saltem faciliora) peragere, quae viri praestant. Per se igitur nihil obstat, quominus mulieribus capacibus haec opera et munia

committantur. Hinc e. g. nihil obstat, ne mulieribus aptis committatur munus medici, advocati, magistri etc.

3. Principalis scopus naturalis, propter quem Deus creavit mulierem, est, ut illa sit in adiutorium viri[1]. Ideo Deus prius creavit Adam et deinde Evam, quam fecit ex costa Adae; non autem prius fecit Evam, neque desumpsit Adam ex substantia Evae. Quae quidem videntur esse signa manifesta, mulierem debere subdi viro. Accedit quod Deus tum in Vetere tum in Novo Testamento exclusit mulieres ab officio sacerdotali; quod iterum satis clare demonstrat, Deum nolle concedere mulieri *omnimodam* aequalitatem cum viro in omnibus muneribus. Ergo emancipatio radicalis mulierum et omnimoda aequiparatio inter virum et mulierem videtur esse contra intentionem Creatoris.

4. Officium principale mulieris est procurare bonum familiae domesticae. Familia enim est fundamentum totius societatis humanae. Iamvero sine efficaci adiutorio mulieris bonum familiae vix est possibile. Ergo talis emancipatio mulierum, qualis illas e sinu familiae nimis evellit, aut viris vitam familialem valde difficilem reddit, est moraliter mala, et etiam pro bono sociali nociva.

5. Ex parte doctrinae christianae nihil obstat (saltem per se), quominus mulieribus capacibus concedatur *ius suffragii* etiam in rebus politicis — nullibi enim hoc prohibitum est —, sed est alia quaestio, utrum rei publicae et Ecclesiae aliquid utilitatis enascatur ex iure votandi mulieribus concesso. Quae quidem quaestio non videtur posse solvi a priori, sed variam responsionem habebit iuxta diversa regimina diversarum regionum[2].

ARTICULUS IV.

De obligationibus dominorum et famulorum.

594 In plerisque regionibus iura et officia dominorum et famulorum determinantur a legibus civilibus; quae quidem leges generatim considerari possunt ut iustae, ac proinde non sunt inquietandi domini aut famuli, qui iuxta illas suum agendi modum dirigunt. Inter heros et famulos arctior relatio intercedit quam inter dominos et operarios. Famuli enim solent revera pertinere ad familiam heri, quare etiam vocantur domestici. Operarii autem seu opifices solummodo operas suas domino locant pro determinato pretio, quin vivant in eadem domo cum domino. Nihilominus brevitatis causa insimul hic explicantur ex una parte obligationes dominorum et herorum, et ex altera parte obligationes famulorum et operariorum.

595 **Obligationes dominorum et herorum.** Domini tenentur famulos et operarios suos 1. benigne tractare; 2. instruere et corripere; 3. iustum pretium eis solvere.

[1] Gn 2, 18.

[2] Bene de hac re tractant *A. Rösler*, Die Frauenfrage (Freiburg 1907), *Gnauck-Kühne* in Staatslexikon, s. v. «Frauenfrage», *H. Lange* u. *G. Bäumer*, Handbuch der Frauenbewegung (1901).

1. *Benigne tractare*, i. e. decenter et humane eos alloquendo, bona et sufficientia alimenta praestando, nimiis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando[1]. Quae quidem constant tum ex iure naturali tum ex S. Scriptura: «Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.»[2] «Et vos domini, eadem facite illis [scil. servis], remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum.»[3] — Hinc peccant domini, qui servos verbis asperis et contumeliosis alloquuntur; qui eos nimio labore onerant; qui eorum sanitatem periculis obiciunt. De curandis servis infirmis observanda sunt ea, quae hac de re statuunt iura civilia[4].

2. *Instruere et corripere*, seu aliis verbis: dominus tenetur debitam curam spiritualem habere de famulis suis. Dominus enim est caput et superior servi sui, quem proinde tenetur dirigere in eis, quae spectant vitam religiosam et moralem. Quod quidem officium est gravissimum. Hinc severe dicit S. Paulus: «Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.»[5]

Quamobrem peccant domini: a) Si tempus non concedunt famulis et operariis ad obligationes religiosas adimplendas, e. g. ad Missam dominicalem audiendam, ad sacramenta suscipienda, ad contionem aut catechesim audiendam.

b) Si famulos irreligiosos, blasphemos, turpia loquentes, aliis scandalum praebentes etc. prudenter et caritative non corripiunt et conantur ad meliorem frugem reducere. Quodsi omnes monitiones fuerint vanae, tales servi impii debent e domo eici.

c) Si famulis permittunt occasionem proximam peccandi, e. g. non prohibendo familiaritates periculosas.

d) Si ipsi dant pravum exemplum, aut si famulos directe ad peccata sollicitant. Omnino memores sint domini veritatis confirmatae ex longa experientia: famulum impium et irreligiosum, qui negligit officia erga Deum, etiam negligere officia erga dominum temporalem.

3. *Iustum pretium solvere*. Quid sit iustum pretium, supra n. 308 in tractatu de iustitia dictum est. Defraudatio mercedis debitae inter peccata in coelum clamantia enumeratur[6]. Non obstantibus legibus civilibus hodie in omnibus regionibus civilizatis exsistentibus nonnumquam durae et iniustae oppressiones famulorum et operariorum ab heris et dominis inhumanis committuntur, exigendo labores in stipulatione non contentos, salarii solutionem indebite differendo, operarios dimit-

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 342; Homo Apost. tr. 7, 7; *Gury*, Cas. conc. I, n. 382.

[2] Eccli 33, 31. [3] Eph 6, 9.

[4] Cf. assecurationes operariorum in diversis regionibus exsistentes et a guberniis praescriptas (Herders Konversationslexikon, s. v. «Arbeiterversicherung»).

[5] 1 Tit 5, 8.

[6] «Ecce merces operariorum, . . . quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit» (Iac 5, 4; cf. Dt 24, 14).

tendo ex causis frivolis etc. Quae quidem omnia plus minusve laedunt iustitiam vel saltem caritatem.

596 **Obligationes famulorum et operariorum.** Tenentur famuli et operarii praestare heris et dominis 1. reverentiam; 2. oboedientiam et fidele obsequium.

1. *Reverentiam.* Id enim sequitur ex virtute observantiae, quam subditi exercere debent. Idcirco dicit S. Paulus: «Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.»[1] Exinde peccant famuli et operarii, qui irrident aut aspernantur dominos; qui verbis contumeliosis illos alloquuntur; qui male de eis loquuntur; qui proterve et insolenter se gerunt contra illos etc.

2. *Oboedientiam et fidele obsequium* debent famuli et operarii praestare in omnibus eis, quae ad famulatum aut ad debitas operas spectant. Id enim sequitur ex ipsa natura contractus initi. Hinc monet S. Paulus: «Servi oboedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.»[2] Et S. Petrus iubet: «Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.»[3] — Quapropter famuli et operarii peccant plus minusve iuxta gravitatem materiae, si contra iusta praecepta obmurmurant, insolenter respondent, strenue non laborant et tempus otio terunt; si ex eorum negligentia detrimentum causatur rebus domesticis, si revelant familiae secreta etc. Controvertitur inter auctores, utrum famuli teneantur ad restitutionem, si eorum culpa res domini furto auferuntur aut graviter ab aliis damnificantur. Cum distinctione videtur esse respondendum: Quando huiusmodi res specialiter demandatae sunt custodiae famulorum, tunc si ex gravi eorum culpa perierunt aut furto ablatae sunt, tenentur ad restitutionem. Sunt enim tunc ipsi iniusti cooperatores ac laeserunt contractum initum. Sin autem specialis cura rerum non incumbit alicui famulo, ille tenetur quidem ex caritate et aequitate avertere damna a rebus domini, sed non ex stricta iustitia, ac proinde non tenetur ad restitutionem damni illati ab aliis et non impediti ab ipso[4]. Ratio est, quia tales famuli vi contractus initi (ideoque ex iustitia) ad nihil aliud tenentur nisi ad labores stipulatos praestandos. Circa hanc tamen rem auctores minime consentiunt. Pauci auctores, ut Billuart[5], putant famulum teneri semper ad restitutionem damni, non impediti aut saltem non manifestati, a quocumque demum sit hero illatum. Alii putant cum S. Alphonso[6], famulum non impedientem pro viribus suis damnum heri teneri quidem ad restitutionem, si istud damnum causatum est *ab extraneis;* non autem si damnum factum est a *domesticis.* Ratio istorum auctorum est, quia famuli ex sola caritate tenentur res domini tueri contra domesticos, cum econtra ratione famu-

[1] 1 Tim 6, 1. [2] Eph 6, 5. [3] 1 Petr 2, 18.
[4] Cf. supra n. 110. Ita etiam *Noldin*, De praeceptis n. 302.
[5] De iust. diss. 8, a. 13, § 7.
[6] Theol. mor. l. 3, n. 342.

latus se tacite obligaverint ad invigilandum indemnitati domini contra extraneos. Plane non video, cur famuli ratione solius famulatus minus teneantur respectu conservorum et domesticorum quam respectu extraneorum; immo quo damnum facilius, frequentius et diutius inferri potest, eo maior incumbit illud avertendi obligatio. Porro saepius domestici causant hero damnum quam extranei. Ergo videtur logice sequi, ut famuli non impedientes aut denuntiantes furta conservorum aliorumque domesticorum magis tenerentur ad restitutionem, quam si eadem furta ab extraneis facta celassent. Quod tamen communissime reicitur. Proinde nec tenetur ad restitutionem famulus, qui e. g. non impedit pro viribus furtum alicuius rei ad herum pertinentis, quae eius curae non est specialiter commissa; nisi tamen talis restitutio eis ex lege civili imponatur. Cf. supra n. 110.

Quomodo operarii teneantur abstinere ab iniusta cessatione operis seu operistitio, supra n. 307 dictum est in tractatu de iustitia.

ARTICULUS V.

De obligationibus magistrorum et discipulorum.

1. **Magistri** vices parentum quantum ad educationem spiritualem 597
obtinent, ac proinde habent similes obligationes sicut parentes in educatione spirituali; nempe debent sedulo instruere discipulos in scientiis et bonis moribus atque — si est necessarium — etiam corripere. Quae quidem obligationes non solum oriuntur ex virtute pietatis, sed etiam ex iustitia tum ratione officii suscepti tum ratione stipendii accepti. Hinc graviter desunt officio suo magistri, qui pravas doctrinas disseminant aut pravum exemplum praebent; qui discipulos inducunt ad peccatum; qui sunt valde desides in instructione danda aut in correptionibus necessariis infligendis.

2. **Discipuli** tenentur magistris praestare reverentiam, amorem et 598
oboedientiam in iis omnibus, quae studia et bonos mores spectant. Quapropter discipuli peccant, si magistris suis detrahunt, eos derident, subsannant, calumniis et inutilibus molestiis afficiunt, si alios ad irreverentiam et insolentiam provocant. Pariter peccant discipuli, si contra voluntatem magistri tempus in otio aut lusu terunt, si tempore lectionis non attendunt, si non oboediunt praeceptis ad scholae disciplinam pertinentibus. In praxi autem satis raro peccata discipulorum contra magistros commissa sunt mortalia, tum quia non adest gravitas materiae, tum quia deest sufficiens deliberatio.

ARTICULUS VI.

De obligationibus principum et subditorum.

Praenotamen. Hic tantum loquimur de principibus et superioribus et subditis *civilibus;* nam in iure canonico solet tractari de obligationibus superiorum ecclesiasticorum. Obligationes vero fidelium erga superiores ecclesiasticos sunt amor, reverentia et oboedientia in rebus *spiritualibus.* Insuper

debent fideles praestare subsidium ad convenientem sustentationem ministrorum Ecclesiae, ut supra n. 499 dictum est de decimis et oblationibus.

Principes civiles hic appellantur non tantum imperatores, reges, duces etc., sed omnes illi, quibus incumbit regimen rei publicae. Ergo in hoc sensu etiam Camera Deputatorum est princeps civilis.

599 a) **Obligationes gubernatorum civilium.** Omnes, qui alicui communitati civili praefecti sunt, tenentur sub gravi procurare bonum commune temporale, ita tamen ut bonum spirituale inde non periclitetur. Patet per se. Hinc tenentur pro viribus avertere omnia mala temporalia, qualia sunt bella, seditiones, fames, morbi contagiosi tum hominum tum animalium etc. Insuper debent religionem veram protegere, atque non solum non impedire veram Ecclesiam in suis actionibus, sed potius illam protegere contra omnes invasiones inimicorum. Praeterea debent strenue exercere iustitiam tum distributivam tum vindicativam; distributivam namque, in quantum distribuunt munera et onera in aequitate; vindicativam vero respectu malefactorum, in quantum iustas poenas infligunt pro delictis commissis, sine ulla acceptione personarum. Optime de obligationibus principum egit Leo XIII in encyclica «Immortale Dei» d. 1 Nov. 1885 dicens: «In quolibet genere rei publicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere.... Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de causa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur.... Quodsi qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati fuerint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. Potentes potenter tormenta patientur.»

Quae dicta sunt de obligationibus principum, valent etiam de obligationibus *deputatorum,* cum iuxta constitutionem fere omnium regnorum potestas legislativa deputatis sit demandata. Hinc per se patet, quam graviter peccent deputati, qui pro viribus non obstant legibus iniquis, qui ex negligentia non assistunt comitiis et sic damnum inferunt rei publicae. Illis applicari possunt verba S. Scripturae: «[Altissimus] interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis.... Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet.... Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.»[1]

Supra n. 105 in tractatu de iustitia dictum est, quomodo deputati sint ad restitutionem obligati aut excommunicatione ligati ob iniustas leges contra

[1] Sap 6, 4—9; cf. etiam Leonis XIII encycl. «Diuturnum» d. 29 Iunii 1881.

bona ecclesiastica latas. In praxi res est saepe valde intricata et vix solubilis. Etenim difficulter probari potest, in quantum votum unius deputati influxerit in legem iniquam condendam. Unde ad maiorem securitatem expedit, ut confessarius pro tali deputato poenitenti recurrat ad S. Poenitentiariam aut ad episcopum, qui solet habere speciales facultates circa absolutionem huiusmodi casuum. Cf. diversas instructiones datas pro episcopis Galliae [1].

b) **Subditi** tenentur principibus civilibus exhibere 1. reverentiam, oboedientiam et fidelitatem; 2. eligere bonos deputatos; 3. solvere iusta tributa; 4. aliquando praestare servitium militare. De tributis solvendis et servitio militari praestando iam supra in tractatu de legibus civilibus sufficienter dictum est I, n. 291 sqq.

Quantum ad 1. Reverentia principibus exhibenda est, quia 600
eorum potestas gubernandi non est a populo, sed a Deo collata. Unde iam in Vetere Testamento dicitur: «Per me reges regnant, . . . et per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam.» [2] Et S. Paulus dicit: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo.» [3] — Contra reverentiam principibus debitam peccant subditi, qui personae aut imagini principis contumeliam inferunt [4]; qui scriptis, verbis aut picturis [5] subsannant principem; qui debita et ab omnibus exhibita signa reverentiae denegant etc.

Oboedientia principibus civilibus praestanda est in omnibus rebus 601
licitis legitime praescriptis. Hinc S. Petrus dicit: «Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.» [6] — Ad veram obligationem directam statuendam in conscientia requiritur, ut princeps vere et iuste praecipiat. Aliquando enim leges civiles sunt mere poenales aut irritantes, quae nullam directam obligationem in conscientia pariunt; aliquando etiam leges civiles sunt manifeste iniustae ac contrariae legi divinae naturalique. Tunc profecto magis oboediendum est Deo quam hominibus. «Neque tamen est, cur abiecisse oboedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt iustitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est.» [7] — Nihilominus, etsi non est oboediendum iniquis legibus, tamen *numquam licet rebellare contra legitimum principem.* Unde Pius IX damnavit in Syllabo propositionem (63): «Legitimis principibus oboedientiam detractare, immo et rebellare licet.» [8] Ratio est, quia talis rebellio aperta et offensiva redundaret in Deum ipsum, per

---

[1] Cf. nostrum Man. iur. eccl. I, n. 191 et S. Poenit. d. 5 Aug. 1907.
[2] Prov 8, 15. [3] Rom 13, 1. [4] Vulgo *Majestätsbeleidigung.*
[5] Vulgo *Karikaturen.* [6] 1 Petr 2, 13 sq.
[7] Encycl. citata «Diuturnum»; cf. etiam eiusdem Leonis XIII encycl. «Immortale Dei» d. 1 Nov. 1885. [8] *Denz.* n. 1763.

quem reges regnant. Hinc videmus primis saeculis, durantibus diris persecutionibus Ecclesiae, legionem Thebaicam, quamvis facile potuisset vi resistere impio imperatori, tamen pro religione emori malle quam per seditionem et turbas auctoritati publicae repugnare. Ergo principi tyrannico sicut etiam iniquis legibus sic dicta *passiva resistentia* opponenda est, quae consistit in hoc, quod oboedientia constanter denegatur et nullo modo praecepta divina laeduntur. Quodsi tunc tyrannus observationem legum laedentium ius Dei et religionis urgeat sub gravibus poenis, potius oportet martyrium tolerare quam legem Dei violare. Sin autem agitur de legibus, quae quidem sunt iniustae, sed quae sine peccato observari possunt, tunc obtemperare licet, immo et aliquando oportet ad maiora mala vitanda. Per se patet, subditos posse se defendere licitis mediis contra iniquas leges, e. g. in publicis foliis iniquitatem legum ostendendo, bonos deputatos eligendo, publicos conventus instituendo etc.

602 **Fidelitas** debita principibus exigit, ut subditi nihil iniustum agant ad se subtrahendum a iurisdictione superiorum, neve quid moliantur ad principem de throno suo legitimo detrudendum. Hodie solent reges et principes in initio suae regiminis iuramentum praestare super constitutione, i. e. se velle fideliter observare ea, quae in constitutione regni sancita sunt. Quodsi princeps graviter hanc constitutionem iuratam violaverit ac fidem datam fregerit, nec subditi amplius tenentur fidelitatem observare, iuxta Regulam (75) Iuris: «Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.» — Nihilominus etiam in isto casu neque rebellio neque sic dictum tyrannicidium licet. Ceterum iste casus in regionibus civilizatis rarissimus erit.

603 **Quantum ad 2.** Hodie fere in omnibus regionibus civilizatis eliguntur a populo *deputati,* qui ad res publicas gerendas sive in regno sive in provincia sive in municipio suis suffragiis decisivis (et non tantum consultivis) concurrunt. Quare bonum totius rei publicae secundum magnam partem dependet a suffragiis deputatorum. Unde luce clarius est, quanti momenti sit, ut eligantur boni deputati, qui animi fortitudine, spiritu christiano, dexteritate in rebus gerendis, scientia in rebus politicis ac sufficienti eloquentia praediti sunt. Quapropter etiam clare patet, quam graviter desint officio suo et iustitiae legali, qui iure eligendi deputatos non recte utuntur et sic permittunt, ut pravi deputati eligantur. Ab hac obligatione eligendi bonos deputatos minime excusant leves causae, e. g. aliqua iactura temporis, derisiones aliorum; nec etiam excusat probabilis inutilitas suffragii. Etenim quamquam bonus candidatus non erit electus propter pluritatem votorum contrariorum, tamen multum expedit saltem facto electionis ostendere, quaenam sit voluntas bonorum civium. Utinam omnes boni cives semper impleverint officium eligendi bonos deputatos! Certo nunc non adessent tot leges iniquae, quot revera hodie sunt. Hinc nisi oriatur pro electore damnum vere grave, e. g. in bonis fortunae, propter imminens periculum perdendi officium suum etc., non exsistit sufficiens causa ex-

cusans a ferendo voto. In praxi difficulter potest determinari, utrum aliquis ex neglecta obligatione eligendi bonos deputatos graviter peccaverit, cum gravitas peccati sic commissi dependeat ex gravitate damni certe commissi aut certe non evitati. Quae quidem gravitas damni saepe non certe constat. Quo efficacius et diligentius probi cives ad electiones deputatorum bonorum concurrant, sacerdotes prudenter simul et instanter exhortentur; fiant permanentes consociationes pro hoc fine; laici eruditi et eloquentia zeloque praediti (non autem sacerdotes, cum inde gravia incommoda oriri possint) habeant ad populum conciones, in quibus electores de modo et officio eligendi instruant et qualitates canditatorum discutiant. Tempore autem electionis omnes boni cives invitentur ad electionem, segniores vero etiam moraliter compellantur.

De electione indigni deputati. Licet sit multo consultius eligere 604
semper deputatum digniorem, quia sic magis providetur bono communi, tamen per se sufficit eligere dignum et idoneum, relicto digniore. Ratio est, quia nullibi praescribitur, ut eligatur dignior, sed solum exigitur, ut eligatur dignus. Per se est grave peccatum eligere deputatum *certe indignum,* cum talis electio sit illicita cooperatio ad grave malum societatis. Electores enim mediate participant in omnibus malis, quae a malis deputatis causantur. Nihilominus, cum talis participatio non sit formalis, sed *materialis,* aliquando licet indignum deputatum eligere. Hanc participationem esse per se materialem et non formalem, patet ex eo, quod electio deputati est per se actio indifferens, et quod ipse deputatus electus propria culpa abutitur iure sibi per electionem commisso. Ut autem in praxi liceat eligere indignum deputatum, non solum requiritur finis honestus, sed etiam gravissima causa. Et primo quidem *finis honestus;* ideoque graviter peccat ille, qui dat suffragium pravo deputato eo fine, ut ille postea valeat concurrere ad malas leges contra religionem. Deinde requiritur gravis, immo et *gravissima causa:* quales causae sunt gravia incommoda avertenda sive ab ipso eligente sive ab aliis sive a re publica. Sic e. g. operarius posset eligere malum deputatum, si secus suum officium amitteret et aliud officium invenire non valeret[1]; licet eligere malum ad impediendam electionem *peioris.* Quod quidem haud raro accidere potest in secundis electionibus[2]. Tunc enim non datur optio nisi inter duos candidatos. Plerumque autem in hoc casu oportet publice declarare ad evitandum scandalum, hanc electionem non fieri nisi ad magis indignum candidatum excludendum. Aliquando etiam licet eligere paucos malos deputatos, qui positi sunt in elencho continente multos bonos deputatos, si secus totus elenchus non erit electus cum magno detrimento religionis aut rei publicae[3].

---

[1] Ita etiam *Noldin,* De praeceptis n. 325. Fere omnes moderni theologi concedunt electionem mali deputati non esse quid intrinsecus malum, ac proinde aliquando per accidens licere ad avertenda maiora mala.

[2] Vulgo *Stichwahl, ballottage, second ballot.*

[3] Latius de hac re tractant *Vermeersch,* Quaest. de iust. q. 3, c. 1, de iure suffragii. Cf. etiam Staatslexikon, s. v. «Wahlrecht».

QUAESTIO III.

De ceteris virtutibus iustitiae annexis, nempe de gratitudine, vindicatione, affabilitate, liberalitate et epikeia.

Praenotamen. Hucusque dictum est de pietate, observantia et oboedientia, quae virtutes, licet non tam strictum debitum inducant quam iustitia, tamen adhuc verum debitum respiciunt, quod solet vocari *legale;* a legibus enim positivis exercitium istarum virtutum exigitur. Sic e. g. exigunt leges positivae (etiam civiles), ut parentibus pietas, observantia et oboedientia exhibeantur. — Nunc agendum est de illis virtutibus, quae non important nisi debitum *convenientiae* seu debitum morale, i. e. debitum, quod quidem stricte exigi nequit, sed quod ex quadam honestate et aequitate oritur. Istae virtutes, scil. gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas et epikeia, raro quidem laeduntur eo usque, ut oriatur peccatum mortale, sed nihilominus sunt magni momenti non tantum pro vita spirituali, sed etiam pro pacifica iucundaque conversatione humana. Ideo cum magno fructu confessarius leget ea, quae Angelicus Doctor de eis disserit S. theol. 2, 2, q. 106 sqq. Brevitati studentes tradimus perpauca de illis.

ARTICULUS I.

De gratitudine.

605 **Notio. Gratitudo est virtus, quae inclinat hominem ad beneficia accepta agnoscenda (mente et ore), atque ad ea saltem aliqualiter rependenda;** vel, ut dicit S. Augustinus[1]: «Gratia est virtus, in qua amicitiarum et beneficiorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur.»

Explicatur: Gratitudo non oritur nisi ex beneficio accepto. Beneficium est indebita et utilis praestatio, gratis alicui facta, ex affectu benevolentiae. Dicitur: beneficium est indebita et utilis praestatio; etenim ea, quae debentur aut quae inutilia sunt, nequeunt vocari beneficium. Itaque «ille qui alicui auxiliatur ad peccandum, non confert beneficium, sed magis nocumentum: et ideo non debetur ei gratiarum actio»[2]. Deinde ad beneficium proprie dictum requiritur, ut sit gratis et *ex benevolentia* factum; nam «gratia est, quod gratis datur»[3]; et quod non ex benevolentia sed ex alio motivo bono malove praestatur, non potest sibi vindicare nomen proprii beneficii. Praesertim non est beneficium, quod fit ex puro egoismo. Interdum tamen beneficium sumitur in latiore sensu pro omni bono opere praestito, licet sit debitum ex iustitia commutativa. Hinc e. g. herus refert gratias operariis pro bonis servitiis praestitis, licet operarii ad ista servitia obligati fuerint ex contractu inito.

Oportet cum Angelico Doctore[4] notare, gratitudinem tunc solum esse specialem virtutem, quando oritur ex beneficiis collatis ab alio homine, *qui non est superior.* Etenim gratitudo *Deo* debita pro collatis innumeris beneficiis reducitur ad virtutem religionis; gratitudo debita *parentibus,* qui sunt nostrae generationis et disciplinae principium, spectat ad pietatem; gratitudo

---

[1] De diversis quaest. 83, q. 31 (*Migne,* Patr. lat. 40, 21).
[2] S. theol. 2, 2, q. 107, a. 1 ad 1. [3] Ib. q. 106, a. 2 (ed. Leon.). [4] Ib. a. 1.

vero debita *superioribus,* qui sunt principia gubernationis et bonorum communium, reducitur ad virtutem observantiae.

Gratitudo magis in *affectu,* nempe in animo grato, quam in effectu, i. e. in reali remuneratione beneficii accepti consistit. Ex quo patet virtutem gratitudinis omnibus esse possibilem, etiam pauperibus; quia omnes possunt affectum gratitudinis colere pro beneficiis receptis, licet non omnes valeant beneficia accepta rependere.

Officia gratitudinis. Gratitudo proprie dicta, quae respicit bene- 606
ficia collata ab alio homine privato, praecipue habet *tria officia* seu tres gradus: 1. memoria et agnitio accepti beneficii; 2. verbis exprimere beneficium acceptum, e. g. benefactorem laudando, ei grates exprimere etc.; 3. factis retribuendo beneficium acceptum, in quantum facultas permittit[1].

Necessitas et pulchritudo gratitudinis. *Gratitudo est ne-* 607
cessaria aeque ac pulcherrima virtus. Etenim fovet caritatem, in quantum unit corda hominum; alit vitam socialem, in quantum alter alterius onera alleviat atque se invicem homines adiuvant; nutrit humilitatem, in quantum ille, qui gratitudinem exhibet, se ostendit benefactori subditum. Quibus de causis *in educatione infantium* multum insistendum est, ut ipsi semper agnoscant beneficia accepta atque debitas gratias persolvere non omittant. Valde etiam expedit, ut omnis homo saepe et ferventer gratias referat Deo pro beneficiis collatis. Hinc verissime dicitur in Praefatione: «Vere dignum est iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum.»

Qualitates gratitudinis sunt sequentes: Gratitudo debet esse 608
1. *prompta,* i. e. cito manifestari post beneficium acceptum[2]; 2. *interna* et non solum externa, i. e. procedere ex sincero affectu interno et non tantum verbis frigidis enuntiari; 3. *humilis,* i. e. cum vera agnitione beneficii accepti tamquam rei nobis utilis; si enim quis parvi pendit beneficium acceptum, non potest esse vera gratitudine imbutus; 4. *carens cupiditate,* i. e. gratitudo non debet exprimi eo potissimum fine, ut quis ampliora beneficia a benefactore recipiat, sicuti accidit in mendicantibus arrogantibus.

Vitium oppositum. Gratitudini opponitur *ingratitudo,* quae est 609
aut materialis aut formalis.

Ingratitudo *formalis* est contemptus aut benefactoris aut beneficii; potest esse peccatum mortale, si scil. iste contemptus graviter offendit benefactorem et ita notabiliter laedit caritatem. Tamquam gradus huius

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 107, a. 2.

[2] Concinne animadvertit Angelicus Doctor (l. c. q. 106, a. 4), recompensationem beneficii debere fieri statim quoad *affectum,* in quantum homo statim agnoscat beneficium acceptum et paratus est pro viribus beneficium rependere; sed hanc recompensationem non debere statim *reapse* dari, quia ille, qui nimis cito cupit solvere, inde ostendit, se velle munus munere expungere atque se nolle alteri astringi.

ingratitudinis enumerantur: a) malum pro bono reddere; de qua ingratitudine conqueritur Christus per prophetam Ieremiam: «Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae?» [1] b) beneficium vituperare; hoc modo ingrati fuerunt Israelitae murmurantes in deserto de ipsorum eductione ex Aegypto; c) beneficium veluti maleficium reputare, sicuti faciunt damnati [2].

Ingratitudo *materialis* est omissio debitae gratitudinis, sed absque *contemptu;* ordinarie non est nisi peccatum veniale, quia provenit ex quadam negligentia, et non ita graviter solet offendere benefactorem. Tamquam gradus huius ingratitudinis enumerantur: a) nihil rependere pro beneficio recepto; b) dissimulare beneficium et non gratias agere; sicuti faciunt quidam pueri male educati, qui recepto beneficio statim abeunt sine ullo signo gratitudinis; c) nolle agnoscere beneficium acceptum. — De gratitudine bene scripserunt praeter S. Thomam S. Bonaventura [3], B. Albertus Magnus [4], et ex modernis Seb. von Oer [5].

ARTICULUS II.

De vindicatione.

610 **Notio. Vindicatio** stricte sumpta est ultio iniuriae per aliquod malum poenae inflictum peccanti; seu brevius: **redditio mali poenalis pro malo culpabili.** S. Augustinus [6] post Ciceronem definit virtutem vindicationis: «virtus per quam vis aut iniuria, et omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur». Vindicta habet duos actus: alterum principalem, nempe ulcisci iniurias factas; alterum secundarium: impedire iniurias intentas.

Vindicatio est *virtus specialis.* Etenim ubi est in homine aliqua inclinatio naturalis, quae facile a recta via deflecti potest, necessaria est specialis virtus. Iamvero homo habet naturalem inclinationem ulciscendi iniurias perpessas et se defendendi contra iniurias futuras. Quae quidem inclinatio facile deviari potest sive per excessum sive per defectum. Ergo necessaria est virtus, quae hanc inclinationem in medio coercet; et haec virtus est vindicatio. Notare autem oportet *motivum,* propter quod vindicta sumatur. Si quis enim vindictam sumit eo fine, ut peccanti malum inferatur, id non est virtus, sed actus peccaminosus *odii;* si quis vindictam sumit, ut malefactor emendetur, id est actus caritatis, nempe *correctionis fraternae;* si ut servetur tranquillitas publica, est actus *iustitiae legalis;* si ad honorem Dei, est *actus religionis;* si iudex seu superior debitam vindictam sumit, est actus *iustitiae vindicativae* [7]; demum si homo privatus quaerit vindictam, ut habeatur aliqua reparatio iniuriae commissae et satisfactio partis laesae, est actus *virtutis vindicationis.*

---

[1] Ier 18, 20. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 107, a. 2 (ed. Leon.).

[3] Pharetra l. 3, c. 21 de ingratitudine, et l. 4, c. 31 de gratitudine.

[4] Paradisus anim. c. 25.

[5] Unsere Tugenden (Freiburg 1912) 261 sqq.

[6] De diversis quaest. 83, q. 31 (*Migne,* Patr. lat. 40, 21). In lingua Germanica vindicatio forte dici potest: *Ahndung zur gerechten Selbstbehauptung.*

[7] Cf. S. theol. 2, 2, q. 80, a. unic. ad 1.

Vindicationis actus ordinarie quidem non potest exerceri per hominem privatum; nemo enim alium punire potest, nisi sit eius superior; attamen si agitur de punitionibus minoribus, licentia legitimi superioris merito praesumi potest, ut etiam homo privatus valeat vindictam licitam sumere. Sic e. g. non videtur illicitum dare levem alapam puero, qui aliquod nocumentum intulit.

In praxi raro expedit vindictam sumere aut petere, quia sub specie aequitatis quaesitae saepe latet nimius amor proprius, vel — quod peius est — odium proximi. Unde vindicatio solet vocari *parva virtus*, et consulitur, potius delicta proximi remittere quam punire; nisi tamen caritas Dei aut proximi, vel bonum publicum reparationem iniuriae exigant.

Vitia opposita. Virtuti vindicationis opponuntur duo vitia: alterum per 611
excessum, scil. vitium *crudelitatis seu saevitiae;* alterum per defectum, scil. *nimia remissio in puniendo.* Qui plura cupit de virtute vindicationis, adeat S. Thomam [1] aut Billuart [2].

ARTICULUS III.

De affabilitate.

Notio. Affabilitas [3] (quae quandoque vocatur etiam amicitia, 612
comitas, urbanitas) **est virtus, qua quis ex debito vitae socialis in communi convictu grate et decenter se habet ad alios, tam in factis quam in dictis** [4].

Explicatur: Homo affabilis neque nimis blande, neque nimis aspere se gerit in conversatione humana. Affabilitas versatur praecipue circa conversationem *seriam;* nam ad *eutrapeliam* pertinet debitum modum servare in ludis et ludicris, ita ut nec adsit excessus per modum scurrae, nec defectus quo inficiuntur quidam agrestes aut rupicones.

Affabilitas pertinet ad virtutem iustitiae, quia verum debitum ad alterum inducit. Etenim homo est ex ipsa conditione naturae suae animal sociale, ac proinde debet convenienter se habere ad alios homines secum conviventes. Exinde patet virtutem affabilitatis, quae hanc conversationem recte ordinat, includere verum debitum, saltem morale. Quae quidem virtus affabilitatis est utilissima cuilibet homini, praecipue autem sacerdotibus, qui omnibus omnia fieri debent, ut omnes Christo lucrifaciant.

Actus affabilitatis praecipui sunt: 1. omnes benigne audire eosque libenter et hilari vultu alloqui; 2. signa urbanitatis omnibus exhibere, attamen iuxta conditionem uniuscuiusque et consuetudinem patriae; 3. interius et exterius habere veram caritatem erga proximum, atque nimium amorem erga semetipsum impugnare. — Plures opinantur ad officium urbanitatis sufficere externis verbis ac gestis se exhibere, sicut homines bene educati facere solent; sed hoc prorsus insufficiens est. Nam talis urbanitas nihil aliud est nisi fraudulenta fictio apta ad fallendos homines simplices. Haec demum est vera urbanitas, quae procedit ex intima convictione, unumquemque debere pro viribus concurrere ad pacificum iucundumque convictum societatis humanae. De hac virtute, prout est praesertim necessaria clericis, iam agitur in Corpore Iuris

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 108. [2] De virt. iust. annexis diss. 3, a. 3.

[3] *Leutseligkeit, Höflichkeit, Freundlichkeit, politesse, civilité, affabilité.*

[4] Cf. S. theol. 2, 2, q. 114, a. 1.

sub titulo: de vita et honestate clericorum. Etiam omnes auctores moderni, quotquot scripserunt de moribus clericorum, illam valde commendant[1].

Vitia opposita. Virtuti affabilitatis opponuntur duo vitia: alterum per excessum, nempe *adulatio;* alterum per defectum, scil. *morositas seu litigium.*

613 **Adulatio** *est vitium quo quis modo inordinato et excessivo in communi conversatione verbis vel factis alium delectare studet alicuius commodi consequendi causa*[2].

Adulator ille est, qui omnia facta dictaque alterius laudat et approbat propriae utilitatis causa. De hac adulatione S. Hieronymus[3] merito ait: «Nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum, quam adulatio.» Et S. Augustinus[4] dicit: «Plus persequitur lingua adulatoris quam interfectoris manus.» Adulatio per se quidem non est peccatum mortale, quia est tantum excessus in studio placendi et delectandi, quod non videtur graviter repugnare caritati; attamen saepe fit peccatum mortale propter *malum finem agentis* et notanter triplici ratione[5]: 1. Ratione *materiae*, puta cum quis laudat alicuius peccatum; hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cuius iustitiam homo loquitur, et contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet. Unde est peccatum mortale secundum illud: «Vae qui dicitis malum bonum.»[6] 2. Ratione *intentionis,* puta cum quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat (vel corporaliter vel spiritualiter). Hinc dicitur: «Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis.»[7] Homines nefarii saepe utuntur adulationibus ad corrumpendas puellas. 3. Ratione *effectus,* ut cum quis adulando alteri praebet occasionem peccandi, etiamsi id non intendit. In hoc casu applicanda sunt ea, quae dicta sunt de scandalo.

614 **Litigium** *seu morositas*[8] *est vitium, quo quis se praebet difficilem in consortio, raro acquiescens et saepe contradicens verbis alterius ex intentione alterum contristandi aut saltem illi non placendi.*

Si haec contradictio fit ex defectu amoris animos unientis, pertinet ad discordiam; sin vero fit ex ira, opponitur mansuetudini[9]. — Morositas est per se peccatum veniale, sed per accidens potest evadere peccatum mortale, quando scil. graviter laedit caritatem proximi et reddit consortium humanum fere intolerabile.

ARTICULUS IV.

De liberalitate.

615 **Notio. Liberalitas seu largitas est virtus moderans amorem pecuniae et reddens hominem promptum ad pecuniam erogandam iuxta rectae rationis dictamen.**

---

[1] Cf. *Walter,* Der katholische Priester I (Brixen 1904), c. 2.

[2] S. theol. 2, 2, q. 115, a. 1. — *Niedrige Schmeichelei, Liebedienerei.*

[3] Ep. ad Gelantiam matronam n. 17 (*Migne,* Patr. lat. 22, 1212).

[4] In Ps. 69 (*Migne* l. c. 36, 869). Idem *S. Augustinus* (Sermo 353: *Migne* l. c. 39, 1561) breviter sed recte dicit: «Adulatio est fallaci laude seductio.»

[5] S. theol. 2, 2, q. 115, a. 2. [6] Is 5, 20. [7] Prov 27, 6.

[8] *Streitsucht; rauhes, mürrisches, rechthaberisches Wesen.*

[9] Cf. S. theol. 2, 2, q. 116, a. 1.

Explicatur: Obiectum materiale *proximum et immediatum* huius virtutis est *cupiditas* pecuniae recte moderanda, ne scil. sit nimis magna neve nimis parva. *Mediate* autem et consequenter versatur liberalitas circa rectum usum et rationabilem elargitionem pecuniarum, quas homo liberalis libenter, hilariter et copiose dat, prout recta ratio postulat[1]. Ex quibus patet, etiam pauperes posse habere virtutem liberalitatis quantum ad obiectum proximum et immediatum, quando scil. habent rectum affectum ad pecuniam, ita ut parati essent ad elargiendam illam, si possiderent. Ipsum autem exercitium liberalitatis pauperibus saepe impossibile est propter ipsorum inopiam.

Liberalitas est virtus annexa iustitiae, quia licet non adaequet iustitiam in stricta et debita aequalitate reddenda, tamen aliqualiter debitum reddit proximo. Differt autem liberalitas a magnificentia in eo, quod versatur circa mediocres et ordinarias elargitiones, magnificentia vero utitur magnis expensis ad splendida opera perficienda[2], ut infra dicetur n. 631.

Vitia opposita. Liberalitati opponuntur duo vitia: alterum per excessum, 616
nempe *prodigalitas;* alterum per defectum, scil. *avaritia.* De avaritia iam supra I, n. 416 sqq inter peccata capitalia dictum est. *Prodigalitas* est erogatio superflua et irrationalis rerum suarum; ac proinde est peccatum, quia homo non est dominus absolutus suorum bonorum, sed tantum quasi villicus Dei obligatus ad administranda bona accepta iuxta intentionem Dei et non ex proprio libitu. Ex se autem prodigalitas non est nisi peccatum veniale, cum non ita magna inordinatio in ipsa inveniatur; per accidens vero saepe evadit peccatum mortale, scil. 1. ratione *finis,* ut si opes profundantur propter finem mortaliter malum, e. g. propter meretricem exornandam; 2. ratione *damni* inde sequentis, e. g. si pater familias sua prodigalitate uxorem et filios in egestatem detruderet.

ARTICULUS V.

De epikeia seu aequitate.

Notio. Epikeia seu aequitas[3] est congrua quaedam 617
moderatio stricti iuris; et potest sumi in duplici sensu: 1. Prout adiungitur *iustitiae legali.* In hoc sensu est quaedam benigna interpretatio legis non secundum ipsius verba, sed secundum mentem legislatoris[4]; et definitur ab Aristotele[5]: «directio legis, ubi deficit propter universale». In vetere iure Romano aequitas seu ius aequum distinguitur a iure stricto[6]. De hac epikeia seu aequitate dicit Angelicus Doctor[7]: «Epikeia correspondet proprie iustitiae legali; et quodammodo continetur sub ea, et quodammodo excedit eam. Si enim iustitia legalis dicatur quae obtemperat legi sive quantum ad verba legis sive quantum ad intentionem legislatoris, quae potior est, sic epikeia est pars potior legalis iustitiae. Si vero iustitia legalis dicatur solum quae obtemperat legi secundum verba legis, sic epikeia non est pars legalis iustitiae,

---

[1] Ib. q. 117, a. 2. [2] Ib. a. 3 ad 1. [3] *Billigkeit.*

[4] Cf. quae supra I, n. 231 sqq in tractatu de interpretatione legum dicta sunt de hac epikeia. [5] Ethic. l. 5, c. 10, n. 6.

[6] Cf. *Voigt,* Die Lehre vom ius naturale, aequum und ius gentium der Römer I, § 4.

[7] S. theol. 2, 2, q. 120, a. 2.

sed est pars iustitiae communiter dictae, contra iustitiam legalem divisa sicut excedens ipsam.»

618 2. Prout pertinet ad quandam *iustitiam naturalem* et definiri potest cum S. Cypriano: *iustitia dulcore misericordiae temperata.* S. Thomas non agit specialiter de hac virtute, sed eam reducit ad affabilitatem seu amicitiam [1]. Et revera magnam affinitatem habet cum affabilitate seu amicitia, quae attendit convenientem conversationem inter homines. Etenim aequitas aliquid remittit de stricto iure ad hoc, ut conversatio humana sit conveniens ac iucunda. De hac aequitate dicit Aristoteles [2]: «Qui non nimis urget ius [suum] summum, neque in deteriorem partem, sed de iure suo concedit potius, etiamsi legis auxilio niti possit, *is est aequus et bonus: atque hic habitus aequitas appellatur.*» Hanc aequitatem exercet e. g. herus, qui operariis aliquid ultra mercedem stipulatam largitur, si ipse ex laboribus operariorum lucrum extraordinarium percepit; pariter aequitatem exercet creditor, qui concedit aliquam solvendi dilationem debitori, qui tempore fixo solvere nequit sine magnis angustiis. Haec virtus aequitatis quasi media consistit inter iustitiam et caritatem. Caritatis quidem est in favorem proximi summum suum ius in aliquo casu non urgere; ad aliquale autem debitum iustitiae pertinet non nimis onerare proximum per strictam exactionem debiti. Potius autem ad iustitiam quam ad caritatem pertinet haec aequitas; unde Aristoteles [3] dicit: «Aequitas iustitia quaedam est, non alius quidam habitus.» Cum autem aequitas parum habeat de ratione debiti, eius laesio per se non est nisi peccatum veniale, et adagium valde notum: «Summum ius summa iniuria», diminute tantum intelligi valet de laesione huius aequitatis. Fieri enim nequit, ut praetermissio debiti imperfecti summa evadat iniuria [4]. Hoc autem adagium verissimum est, si intelligitur de summo iure positivo, quod adversatur iustitiae naturali, vel etiam de spuria legis positivae interpretatione, quae reicit omnem epikeiam.

619 Virtus aequitatis (in utroque sensu acceptae) subiectatur in voluntate et fere nihil aliud est nisi *exsecutio* virtutis gnome [5], quae est pars prudentiae, et quae residet in ratione. Gnome igitur praebet directionem aequitati [6]. Ex hac intima coniunctione cum gnome apparet etiam praestantia aequitatis, quae non a communi, sed ab altiore prudentia dirigitur.

TRACTATUS XII.

De virtute fortitudinis et vitiis oppositis.

S. Thomas agit in Summa theologica post tractatum de iustitia et virtutibus annexis de tertia virtute cardinali, scil. de fortitudine [7]. Qui

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 80, a. unic. [2] L. c. [3] L. c.

[4] Cf. *Vermeersch,* Quaest. de iust. 21, n. 478 sqq, ubi bene et late de virtute aequitatis disseritur.

[5] Cf. supra I, n. 633; *Caietani* Comm. in 2, 2, q. 120, a. 2; S. theol. 2, 2, q. 80, a. unic. ad 4. [6] S. theol. l. c. [7] 2, 2, q. 123—140.

quidem tractatus est utilissimus. Sequentes vestigia Angelici Doctoris et simul brevitati studentes dividimus hunc tractatum in quattuor capita, scil. 1. de notione fortitudinis, 2. de actibus eius, 3. de partibus eius, 4. de vitiis oppositis.

CAPUT I.

De notione fortitudinis.

Praenotamen. «Nomen fortitudinis dupliciter accipi potest: uno modo, 620
secundum quod absolute importat quamdam animi firmitatem, et secundum hoc est generalis virtus, vel potius *conditio cuiuslibet virtutis,* quia ad virtutem requiritur firmiter et immobiliter operari. Alio modo potest accipi fortitudo, secundum quod importat firmitatem tantum in sustinendis et repellendis his, in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in aliquibus periculis gravibus; unde Tullius dicit, quod fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio.»[1] Omissa prima generali acceptione fortitudinis loquimur tantum de fortitudine in altero sensu. Potest autem fortitudo sic accepta definiri sequenti modo.

**Definitio. Fortitudo est virtus cardinalis, qua appetitus 621
irascibilis (et voluntas) ita roboratur, ut a bono arduo prosequendo non desistat etiam propter maxima pericula vitae corporalis.**

Explicatur. Quamvis etiam aliae virtutes impellere possint hominem, ut bonum prosequatur etiam inter summa pericula, nihilominus aliud est propter haec motiva exercere opus virtutis, et aliud est hoc idem facere propter honestatem fortitudinis; quia scilicet decet hominem nullis malis corporalibus frangi. Quod pulchre iam exprimit poeta Horatius[2]: «Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae.»

Fortitudo (sicut et prudentia et ceterae virtutes morales) est tum naturalis tum supernaturalis, prout acquiritur propriis viribus vel infunditur a Deo simul cum gratia sanctificante. Virtus naturalis fortitudinis prosequitur bonum arduum naturale; virtus vero supernaturalis fortitudinis solet attingere obiectum supernaturale.

Subiectum utriusque fortitudinis est *appetitus irascibilis,* prout tamen voluntati subiacet. Fortitudo enim reddit appetitum irascibilem firmum et potentem ad prompte et facile moderandas passiones *timoris* et *audaciae* instantibus periculis maximis. Qua firmitate stabilita voluntas iam potest expedite et facile eligere medium iustum, ne scil. sit nimius timor neve nimia audacia. Licet igitur proprie loquendo fortitudo resideat in appetitu irascibili, tamen redundantem suum influxum directe exercet in voluntatem[3].

Obiectum materiale fortitudinis sunt extrema pericula mortis, vel potius timores orti propter ista pericula, e. g. in bello iusto aut in

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 123, a. 2. [2] Od. 3, 3.

[3] *Tanquerey* (Synopsis Theol. mor. n. 1061) non recte dicit fortitudinem primario residere in voluntate et secundario in parte irascibili.

defensione alicuius virtutis. Latrones autem, duellantes, iniuste bellantes, etsi non timent pericula mortis, non habent virtutem fortitudinis, sed potius vitium intimiditatis et audaciae, quia non agunt iuxta rectam rationem.

Obiectum formale quod fortitudinis sunt timores isti expellendi et audacia nimia refrenanda. Postquam autem malum magnum iam advenit, fortitudo etiam tristitiam insurgentem moderatur, quamvis principaliter pertineat ad patientiam versari circa tristitias moderandas [1]. Hinc S. Laurentius heroicam fortitudinem exercuit 1. animose tyrannum aggrediendo et nervose repellendo eius iniqua mandata; 2. laetanter sustinendo atrocissimos dolores in martyrio.

Virtus supernaturalis fortitudinis semper coniunctum habet *donum fortitudinis* a Spiritu Sancto infusum [2]. Quod quidem donum fortitudinis est qualitas infusa, qua quis ex speciali motione Spiritus Sancti et praeter connaturalem modum agendi pervenit ad finem cuiuslibet operis incohati cum *fiducia evadendi omnia pericula*. Virtus fortitudinis perficit animum ad sustinenda quaecumque pericula, sed non sufficit dare fiduciam *evadendi* quaecumque pericula; quod quidem praestat donum fortitudinis. Ad rem scribit Angelicus Doctor: «Quandoque enim non subest potestati hominis, ut consequatur finem sui operis vel evadat mala seu pericula, cum quandoque opprimatur ab eis in mortem; sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam aeternam, quae est finis omnium bonorum operum et evasio omnium periculorum; et huius rei infundit quandam fiduciam menti Spiritus Sanctus contrarium timorem excludens; et secundum hoc fortitudo donum Spiritus Sancti ponitur.» [3]

Dono fortitudinis correspondet quarta *beatitudo,* scil.: Beati, qui sitiunt et esuriunt iustitiam. . . . Fortitudo enim in arduis consistit; est autem valde arduum, quod aliquis non solum opera virtuosa faciat, sed quod faciat ea cum insatiabili quodam desiderio; quod potest significari per famem et sitim iustitiae.

Inter *fructus* Spiritus Sancti ponuntur duo, qui sufficienter correspondent dono fortitudinis, scil. *patientia,* quae respicit sustinentiam malorum; et *longanimitas,* quae respicere potest diuturnam exspectationem et operationem bonorum [4].

CAPUT II.

De actibus fortitudinis.

622 Ex dictis de obiecto materiali et formali facile potest deduci, quinam sint actus fortitudinis. Officium fortitudinis est *cohibere timores* et *moderari audacias*. «Fortitudo autem est magis circa timores reprimendos quam circa audacias moderandas. Difficilius est enim timorem

[1] S. theol. 2, 2, q. 136, a. 4 ad 2.
[2] Cf. supra I, n. 452.
[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 139, a. 1.
[4] Ib. a. 2.

reprimere quam audaciam moderari, eo quod ipsum periculum, quod est obiectum audaciae et timoris, de se confert aliquid ad repressionem audaciae, sed [econtra] operatur ad augmentum timoris. Aggredi autem pertinet ad fortitudinem, secundum quod moderatur audaciam; sed sustinere sequitur repressionem timoris. Et ideo principaliter actus fortitudinis est sustinere, i. e. immobiliter sistere in periculis, quam aggredi.» Ita S. Thomas [1], qui et addit: «Sustinere est difficilius quam aggredi triplici ratione: primo quidem quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiore invadente; qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris. Difficilius autem est pugnare cum fortiore quam cum debiliore. Secundo, quia ille qui sustinet, iam sentit pericula imminentia; ille autem, qui aggreditur, habet ea ut futura. Difficilius autem est non moveri a praesentibus quam a futuris. Tertio, quia sustinere importat diuturnitatem temporis; sed aggredi potest aliquis ex subito motu. Difficilius autem est diu manere immobilem quam subito motu moveri ad aliquod arduum. Unde Philosophus dicit: quod quidam sunt praevalentes ante pericula, in ipsis autem discedunt; fortes autem e contrario se habent.» [2] Cum sustinere sit principalis actus fortitudinis, facile intelligitur, *actum martyrii* esse excellentissimum actum fortitudinis, cum martyres christiani fortissime sustinuerint dolorissimam mortem propter amorem Dei.

Martyrium est verbum graecum, et latine significat testimonium. 623
Usu vero ab Ecclesia accepto sumitur *pro testimonio veritatis christianae per tolerantiam mortis corporalis.* Ad perfectam rationem martyrii requiritur igitur:

1. *Ut quis revera mortem corporalem pro Christo patiatur.* Martyr enim dicitur testis *perfectissimus* fidei christianae, iuxta quam debemus omnia mala potius pati quam detrimentum animae sumere. Porro ille, qui adhuc manet in vita corporali, nondum ostendit se despicere omnia prorsus terrena propter Christum. Ergo ante mortem reapse propter Christum toleratam nemo potest dicere martyr in *perfecto* sensu. Hinc illi, qui tormenta passi sunt propter Christum, sed non usque ad mortem, non sunt perfecte et complete martyres, etsi receperunt vulnus mortiferum, ex quo naturaliter mors sequi debuisset, a quo tamen miraculose sanati fuere [3]. Ita saltem iuxta sententiam probabiliorem. Unde S. Ioannes, qui in dolium ferventis olei missus, exinde divinitus illaesus evasit, in stricto sensu non dicendus est martyr [4]. Nihilominus aliquando tales sancti ab Ecclesia ut martyres coluntur, e. g. ipse S. Ioannes Evangelista, S. Thecla.

---

[1] Cf. ib. q. 123, a. 6. [2] Ib. ad 1.

[3] Dicit tamen *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 99). «Probabile est . . . conferre gratiam, quando martyr accipit letale vulnus aut cruciatum, licet postea miraculose non moriatur. Et ita vere Martyr fuit B. Ioannes in dolium ferventis olei immissus, et Regina Martyrum B. M. V. stans iuxta crucem Iesu.»

[4] Cf. *S. Thom*, Suppl. q. 96, a. 6 ad 7, et S. theol. 2, 2, q. 124, a. 4.

2. *Ut quis mortem subeat, ab hoste inflictam in odium christianae veritatis.* De hac re scribit S. Thomas[1]: «Martyres dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque sed veritati, quae secundum pietatem est, quae per Christum nobis innotuit: unde et martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei. Et ideo cuiuslibet martyrii causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio; quae quidem fit non solum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud: ‚Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam'[2]. Unde et de quibusdam dicitur: ‚Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant'[3]. Et ideo *omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum,* sunt quaedam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus huiusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat, et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Unde et B. Ioannis Baptistae martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.» — Requiritur autem, ut mors inferatur *ab hoste fidei divinae aut virtutis christianae;* unde martyres non sunt in stricto sensu a) illi, qui mortem tolerant propter morbum contractum ex leprosorum aut peste infectorum cura[4], quam susceperunt propter Dei amorem, b) qui mortem subierunt propter veritates *naturales,* nec a fortiori c) illi, qui mortem passi sunt propter haeresim; unde Huss minime est martyr vocandus[5]. Propter eandem rationem non sunt martyres, d) qui *se ipsos* occiderunt propter aliquam virtutem christianam servandam, quia tale suicidium est illicitum, nisi excusatur ex bona fide agentis aut speciali instinctu Spiritus Sancti. Sin autem Ecclesia quosdam sanctos, qui propter virtutem servandam vitam sibi ademerunt, veneratur tamquam martyres, ut S. Apolloniam, S. Pelagiam, supponitur specialis instinctus Spiritus Sancti[6].

3. *Ut mors acceptetur voluntarie;* quapropter si adultus in somno occiditur fidei causa, absque eo quod antea de martyrio cogitaverit, probabiliter non est martyr. Sunt tamen auctores (inter quos Caietanus[7]) docentes, hominem, qui omnia sua in Deum retulerit, esse verum martyrem, si in somno propter odium fidei christianae ab inimicis occidatur. *Infantes* autem, qui in odium fidei aut Christi occiduntur, dicuntur veri martyres, quia voluntas suppletur gratia speciali. Ad rem scribit S. Thomas: «Quidam dixerunt, quod in Innocentibus

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 124, a. 5. [2] Iac 2, 18. [3] Tit 1, 16.

[4] Contrarium docet *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 100) dicens: «Tales veros martyres esse tenent duodecim academiae, tredecim cardinales, et plus quam trecenti auctores.»

[5] Cf. *Benedictus XIV,* De serv. Dei beatif. l. 3, c. 19—20; *Waffelaert,* De virt. card. n. 15 sqq.

[6] Cf. S. theol. l. c. a. 1 ad 2 et *Benedictus XIV* l. c. c. 11, n. 12.

[7] Comm. in 2, 2, q. 124. a. 2.

acceleratus est miraculose liberi arbitrii usus, ita ut etiam voluntarie martyrium passi sunt. Sed quia hoc per auctoritatem Scripturae non comprobatur, ideo melius dicendum est, quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et in occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam.» [1]

De efficacia et effectibus martyrii. 1. Martyrium iustificat 624 peccatorem, sive baptizatum sive non baptizatum, sive adultum sive parvulum. In adultis tamen requiritur, ut martyrium sit coniunctum saltem cum *attritione* de peccatis commissis, quae quidem attritio videtur sufficienter adesse, si martyr voluntarie accipit mortem propter amorem Dei [2]. Haec efficacia martyrii pro parvulis est quasi ex opere operato; est enim martyrium quasi baptismus, unde et vocatur baptismus sanguinis. Propterea ex doctrina fere communi theologorum non tantum Innocentes occisi ab Herode, sed quicumque parvuli necati pro christiana fide (etiam qui in utero matris occiduntur) sunt martyres et vitam aeternam obtinebunt.

2. Martyrium, cum sit perfectissimus actus caritatis, a) delet in iustis omnem culpam venialem et omnem poenam temporalem adhuc luendam pro peccatis praeteritis. Unde omnis martyr statim in coelum avolat, quin per purgatorium debeat transire, ideoque Innocentius III dicit: «Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre» [3]; b) meretur magnum augmentum gratiae et gloriae.

3. Martyrium meretur specialem coronam in coelo, quae vocatur *aureola*. De hac aureola scribit Benedictus XIV [4] sequens doctrinam S. Thomae: «Coniunctio hominis cum Deo per eius perfectam visionem et fruitionem dicitur corona aurea, sive absolute aurea per modum substantivi, sicuti corona triumphalis lauro conserta per modum nominis substantivi dicitur laurea. Porro, cum beatitudini essentiali, gaudio videlicet de coniunctione cum Deo, aliud praemium accidentale addatur, i. e. gaudium quoddam de operibus factis, quae habent rationem victoriae excellentis, iuxta doctrinam D. Thomae gaudium hoc aureola dicitur, quasi parva corona: *Aureola est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens.*» — Communiter admittunt theologi triplicem aureolam, scil. aureolam virginum, aureolam doctorum et aureolam martyrum. «Aureola dicitur aliquid aureae superadditum, i. e. *quoddam gaudium de operibus a se factis, quae habent rationem victoriae excellentis;* quod est aliud gaudium ab eo, quo de coniunc-

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 124, a. 1 ad 1.

[2] Cf. diversas sententias de hac re apud *Waffelaert* l. c. n. 24 et apud *S. Alph.* l. c. n. 98.

[3] c. 6, X 3. 41. [4] L. c. c. 15, n. 5.

tione ad Deum quis gaudet, quod gaudium aurea dicitur.»[1] Virginibus debetur aureola propter excellentem victoriam de carnali voluptate; martyribus propter victoriam difficillimam de mundo et hostibus fidei; doctoribus autem et strenuis praedicatoribus veritatis christianae propter victoriam de diabolo, principe tenebrarum et patre mendacii. — Cum in infantibus, qui martyrium subeunt, non sit propria *pugna* ob defectum rationis, non est etiam in illis aureola proprie dicta neque virginitatis neque martyrii, sed nihilominus participant aliqualiter aureolam, in quantum specialiter gaudent, se in obsequium Christi occisos esse. Ita S. Thomas[2] contra plures theologos, qui admittunt etiam in infantibus martyribus aureolam proprie dictam. Idem S. Thomas docet, aureolam martyrum esse potiorem duabus aliis aureolis.

CAPUT III.

De partibus fortitudinis.

625 Cuiuslibet virtutis cardinalis possunt esse triplices partes, scil. subiectivae, integrales et potentiales. Fortitudini autem, secundum quod est specialis virtus, non solent assignari partes subiectivae, eo quod non dividitur in multas virtutes specie differentes, cum sit circa materiam valde specialem, scil. *pericula mortis*[3]. Unde fortitudo vocatur species specialissima, quia non habet alias virtutum species sub se. Remanent igitur assignandae eius partes integrales et potentiales.

Sunt autem eaedem virtutes, quae fortitudini assignantur, tum ut partes integrales tum ut partes potentiales, licet sub diverso respectu consideratae. Enumerantur a S. Augustino ex Cicerone quattuor partes: fiducia (fidentia) seu magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia. Quatenus istae quattuor partes seu virtutes versantur circa eandem materiam ac fortitudo, scil. *circa pericula mortis aggredienda et sustinenda,* sunt partes *integrantes* fortitudinis, adiuvantes ad perfectum actum eius; quatenus vero versantur *circa materiam minus difficilem,* sunt partes *potentiales* et quasi virtutes secundarie annexae fortitudini.

Ad rem scribit Angelicus Doctor[4]: «Est duplex actus fortitudinis, scil. aggredi et sustinere. Ad actum autem aggrediendi duo requiruntur. Quorum primum pertinet *ad animi praeparationem,* ut scil. aliquis promptum animum habeat ad aggrediendum, et quantum ad hoc ponit Tullius *fiduciam,* unde dicit, quod ‚fiducia est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit'. Secundum autem pertinet *ad operis exsecutionem,* ne scil. aliquis deficiat in exsecutione eorum, quae fiducialiter incohavit: et quantum ad hoc ponit Tullius *magnificentiam;* unde dicit, quod ‚magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quaedam et splendida propositione cogitatio atque administratio',

[1] *S. Thom.*, Suppl. q. 96, a. 1. [2] S. theol. 2, 2, q. 124, a. 6 ad 12.
[3] Cf. ib. q. 128, a. unic. [4] Ib.

i. e. exsecutio, ut scil. amplo proposito administratio non desit. Haec ergo duo, si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, scil. ad pericula mortis, erunt quasi partes integrales ipsius, sine quibus fortitudo esse non potest; si autem referantur ad aliquas alias materias, in quibus est minus difficultatis, erunt virtutes distinctae a fortitudine secundum speciem suam; tamen adiungentur illi sicut secundarium principali: sicut magnificentia a Philosopho ponitur circa magnos sumptus; magnanimitas autem, quae videtur idem esse fiduciae, circa magnos honores. — Ad alium autem actum fortitudinis, qui est sustinere, duo requiruntur: quorum primum est, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam et decidat a sua magnitudine; et quantum ad hoc ponit *patientiam;* unde dicit, quod ‚patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio'. Aliud autem est, ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad quod desistat, secundum illud: ‚Non fatigemini animis vestris deficientes'[1], et quantum ad hoc ponit *perseverantiam;* unde dicit, quod ‚perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio'. Haec etiam duo, si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, erunt partes quasi integrales ipsius; si autem ad quascumque materias difficiles referantur, erunt virtutes a fortitudine distinctae; et tamen ei adiunguntur sicut secundariae principali.»

De singulis istis virtutibus, prout sunt partes *potentiales* fortitudinis, nunc singillatim agendum est.

§ 1.

De magnanimitate.

Notio. *Magnanimitas*[2] *est virtus inclinans ad magna in omni virtutum genere opera exsequenda, quae sunt magno honore revera digna.* Non ergo vere magnanimus est, qui magna quaerit extra virtutem, quia haec revera non sunt magna neque merentur verum honorem. 626

Obiectum materiale magnanimitatis sunt honores magni et veri, unde vera magnanimitas despicit divitias, voluptates et honores huius mundi, utpote quae reapse parvi sint momenti; sed aspirat ad magnos honores coram Deo. Isti autem veri honores magni haberi non possunt nisi per exercitium virtutum christianarum, et quidem arduarum.

Obiectum formale magnanimitatis non sunt honores qualescumque recte obtinendi, sed honores magni et ardui; circa parvos autem honores obtinendos versatur alia virtus innominata[3]. Magnanimitas vero tendit in honores magnos non praecise quia sunt honores, cum hoc non sit ita difficile, sed propter eorum excellentiam. Officium igitur magnanimitatis est recte ducere *passionem spei,* ut in magnos honores ordinate tendat per opera excellentia virtutum. Honor magnam vim attractivam exercet in hominem, ideoque videmus multos homines inordinate honores appetere; et quo maiores sunt honores, eo vehementius solent hominem allicere. Hinc propter sitim inordinatam magnorum

---

[1] Hebr 12, 13. [2] *Hochherzigkeit.*
[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 129, a. 2.

honorum committuntur in mundo multa peccata, de quibus infra n. 639 sermo erit.

Ex dictis licet etiam deducere, quomodo magnanimitas se habeat ad alias virtutes, praesertim si sunt in statu heroico. Etenim quaelibet virtus tendit in suum obiectum etiam arduum, sed illud non attingit praecise *quia arduum est,* sed quia pertinet ad suam provinciam; hinc e. g. virginitas attingit obiectum valde arduum, scil. perfectam immunitatem ab omni contaminatione voluptatis venereae, sed non attingit illud obiectum, quia est arduum, sed potius non obstante eius arduitate. Econtra magnanimitas attingit in *materia omnium aliarum virtutum* praecise illud quod est magnum et arduum, et quia est arduum.

627 **Magnanimitas est vera virtus.** Magnanimitatem in hoc sensu acceptam esse veram et specialem virtutem, per se patet; nam habet nobilissimum et specialissimum obiectum, scil. instigat ad recte obtinendum magnos honores per magna opera virtutum. Propter peculiares conditiones istius obiecti et finis virtus magnanimitatis habetur quidem in omnibus iustis et in habentibus alias virtutes in statu perfecto — cum gratia sanctificante enim omnes virtutes infunduntur et virtutes sunt connexae —, sed *actus* magnanimitatis non competit omnibus virtuosis, sed tantum magnis hominibus [1].

628 **Relatio ad humilitatem.** Magnanimitas non opponitur humilitati etiam perfectissimae. Nam «in homine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei possidet; et aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturae. Magnanimitas ergo facit, quod homo se magnis dignificet secundum considerationem donorum, quae possidet *ex Deo;* sicut si habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit, quod ad perfecta opera virtutis tendat; et similiter est dicendum de usu cuiuslibet alterius boni, puta scientiae vel alterius fortunae. Humilitas autem facit, quod homo se ipsum parvi pendat, secundum considerationem *proprii defectus.* Similiter etiam magnanimitas contemnit alios secundum quod *deficiunt a donis Dei;* non enim tantum alios appretiatur, quod pro eis aliquid indecens faciat. Sed humilitas alios honorat et superiores aestimat, in quantum in eis aliquid inspicit de donis Dei. . . . Et sic patet, quod magnanimitas et humilitas non sunt contraria, quamvis in contraria tendere videantur, quia procedunt secundum diversas considerationes.» [2]

629 **Proprietates.** S. Thomas ex Aristotele plures proprietates magnanimitatis enumerat, inter quas sequentes sunt principaliores: 1. magnanimus modice delectatur honoribus etiam magnis oblatis; 2. in prosperis et in adversis moderatum se praebet; 3. libenter aliis auxilium praebet, sed ipse neminem vel vix quemquam rogat de auxilio pro se ipso; 4. cum magnatibus se praebet revera magnum, i. e. non eis adulatur nec sinit suam libertatem ab eorum auctoritate opprimi; cum mediocribus vero

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 129, a. 3 ad 2. [2] Ib. ad 4.

se praebet mediocrem; 5. non est ambitiosus, et proinde non se ingerit locis aut functionibus honoratioribus; 6. aperte suam sententiam dicit, si est necessarium, non enim timet homines neque ulli adulari cupit; 7. non meminit iniuriarum acceptarum, hoc enim vilis est animae; 8. in suis exterioribus gestibus corporis est tardus; non enim praecipitanter agit, quia se ingerit tantum magnis negotiis, quae non ita saepe occurrunt, et quando occurrunt, cum seria deliberatione agi debent; 9. iuxta Aristotelem utitur saepe ironia. Ironia tamen hic non sumitur in sensu obvio derisionis, sed prout est *fictio minoris*. Antiqui distinxerunt duplicem fictionem: fictio, quae est in plus, quando scil. quis fingit maiora de se, quam sunt (est iactantia), et fictio in minus, quando scil. quis fingit de se minora seu vilia, et haec fictio vocabatur ironia. Magnanimus ergo non solet demonstrare totam suam magnitudinem (praesertim autem non multitudini), quia hoc posset videri iactantia.

§ 2.

De magnificentia.

Notio. Secunda pars potentialis fortitudinis est virtus magni- 630
ficentiae[1], quae est *virtus moderans amorem pecuniae, ne magni sumptus impediantur, quibus magna opera externa fieri debent*[2]. Differt ergo magnificentia a magnanimitate sicut species a genere; etenim magnanimitas intendit magnum in omni materia et in omnibus virtutibus, magnificentia vero illud intendit et exsequitur tantum in *opere externo factibili*[3], e. g. in exstruendis templis, ecclesiis, monasteriis, in constituendis piis fundationibus, in epulo publico exhibendo, quando recta ratio hoc postulat. S. Thomas[4] animadvertit: «Nullus autem finis humanorum operum est adeo magnus, sicut honor Dei, et ideo magnificentia praecipue magnum opus facit *in ordine ad honorem Dei* (exstruendo et ornando ecclesias et procurando alia necessaria ad cultum). Et ideo magnificentia coniungitur *sanctitati*, quia praecipuus eius effectus ad religionem sive ad sanctitatem ordinatur.»

Proxima materia magnificentiae sunt magni sumptus faciendi pro magnis operibus externis, vel amor copiosae pecuniae moderandus.

Magnificentia specialis est virtus adnexa fortitudini. 631
Nam habet speciale obiectum, quod est aliqualiter simile obiecto fortitudinis; quia obiectum eius, utpote sumptus magni pro construendis magnis operibus, est quid speciale et arduum; non tamen est ita arduum sicut obiectum fortitudinis, quod sunt pericula mortis sustinenda. Magnificus imprimis intendit opera magna *pro bono communi*. «Quod autem pertinet ad personam uniuscuiusque, est aliquid parvum in comparatione ad id, quod convenit rebus divinis vel rebus communibus. Et ideo magnificus non principaliter intendit sumptus facere in his, quae per-

---

[1] *Prachtentfaltung, Prachtliebe.* [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 134, a. 3.
[3] Cf. ib. a. 2 ad 2. [4] Ib. ad 3.

tinent ad personam propriam, non quia bonum suum non quaerat, sed quia non est magnum. Si quid tamen in his, quae ad ipsum pertinent, magnitudinem habeat, hoc etiam magnifice magnificus prosequitur, sicut ea, quae semel fiunt, ut nuptiae, vel etiam, quae permanentia sunt, sicut ad magnificum pertinet praeparare convenientem habitationem.»[1] Ex dictis sequitur, ut magnificentia sit virtus, cuius *exercitium* pertinet ad reges vel ad divites, quia isti soli valent disponere de magnis sumptibus, sed secundum *affectum,* et proinde etiam secundum meritum, ista virtus potest etiam esse in pauperibus, qui habent sinceram voluntatem faciendi magnos sumptus pro magnis operibus, si possiderent sufficientem pecuniam.

632 **Relatio ad liberalitatem.** Magnificentia habet aliquam similitudinem cum liberalitate, sed tamen realiter ab illa differt. Prima differentia est, quod liberalitas se extendit ad *omnes* operationes, quae sunt circa pecunias, scil. ad expensas, acceptiones et dationes; sed magnificentia est solum circa *sumptus,* i. e. expensas. Secunda differentia est, quod etiam in sumptibus sive in expensis magnificentia excedit liberalitatem magnitudine expensarum; magnificentia enim est solum circa magnas expensas (sicut ipsum nomen demonstrat), sed liberalitas potest esse etiam circa moderatas.

§ 3.

De patientia.

633 **Notio.** Tertia virtus tamquam pars potentialis fortitudini adiuncta est patientia, quae definiri potest: *virtus, qua quis mala praesentia (praesertim ab aliis inflicta) ita perfert, ut ex eis non inordinate tristetur*[2]. Si patientia versatur circa moderandam tristitiam ex imminentia mortis, est pars integralis fortitudinis; sin autem tristitia oritur ex minoribus malis, tunc est tantum pars potentialis istius virtutis[3].

634 **Patientia est specialis et valde necessaria virtus,** quia eius principalis actus est recte moderari passionem tristitiae inordinatae, quod est munus valde bonum et necessarium. Nam inordinata tristitia est magnum malum et impeditivum multorum bonorum. Unde dicitur in S. Scriptura: «Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa.»[4] «Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.»[5] «Felix, qui non habuit animi sui tristitiam.»[6] Est quidem tristitia aliquando salutaris, *si moderate et ad breve tempus assumitur* propter absentiam bonorum spiritualium aut propter praesentiam malorum spiritualium (praesertim peccatorum); debet tamen tunc bene temperari per patientiam. — S. Scriptura saepissime et instantissime commendat patientiam: «Patientia enim vobis necessaria est.»[7] «Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 134, a. 1 ad 3. [2] Cf. ib. q. 136, a. 4 ad 2.
[3] Ib. ad 3. [4] Eccli 30, 25. [5] Prov 25, 20.
[6] Eccli 14, 2. [7] Hebr 10, 36.

non confundit.»[1] «In patientia vestra possidebitis animas vestras.»[2] S. Thomas[3] explicat hunc textum dicens: «Ideo per patientiam dicitur homo animam suam possidere, in quantum radicitus evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur.»

SS. Patres[4] nonnulli integros libros scripserunt de virtute patientiae, e. g. S. Cyprianus, qui in libro «De bono patientiae»[5] scribit: «Patientia autem, fratres dilectissimi, non tantum bona custodit, sed et repellit adversa; Spiritui Sancto favens et coelestibus ac divinis cohaerens contra facta carnis et corporis, quibus anima expugnatur et capitur, virtutum suarum propugnaculo reluctatur.» Optime de patientia scripserunt S. Zeno episcopus Veronensis[6] quoque, S. Augustinus[7] et S. Gregorius Magnus[8]. — Huius virtutis gradus primus est tolerare afflictiones sine murmuratione, secundus sine lamentatione et quaerimoniis apud alios, tertius cum gaudio, sicut apostoli, qui ibant gaudentes a conspectu Concilii, quia digni habiti fuere pro nomine Iesu contumeliam pati.

Relatio inter patientiam et longanimitatem. Ad patien- 635
tiam pertinet longanimitas[9], quae partim differt partim convenit cum illa. Differt, quia obiectum patientiae est malum, cum econtra obiectum longanimitatis sit bonum; est enim longanimitas virtus, qua quis tolerat molestias orientes ex eo, quod tendit in aliquod bonum post longum tempus habendum. Cum autem haec longa dilatio tristitiam causare soleat et longanimitas hanc tristitiam fortiter toleret, in hoc convenit cum patientia, quae est etiam tolerantia tristitiae[10].

Media ad obtinendam patientiam. Ad obtinendam patien- 636
tiam ita necessariam pro vita christiana iuvat considerare: 1. patientiam et longanimitatem Dei tolerantis peccatores; 2. patientiam Christi in vita et in morte sua; 3. patientiam sanctorum; 4. fructus patientiae in utraque vita, scil. satisfactionem pro peccatis commissis, gloriam aeternam in futura; 5. mala, quae oriuntur ex impatientia, qua scil. amittitur meritum patientiae, non minuitur malum, sed potius augetur, cum ipsa impatientia saepe sit malum magis crucians quam illud malum, ex quo impatientia ortum duxit; demum 6. ex impatientia multa peccata solent procedere, praesertim contra caritatem.

§ 4.

De perseverantia.

Notio. Quarta et ultima virtus, quae ut pars potentialis adiungi- 637
tur fortitudini, est perseverantia[11], quae tamen hic non sumitur pro illo

---

[1] Rom 5, 3 sq. [2] Lc 21, 29. [3] S. theol. 2, 2, q. 136, a. 2 ad 2.

[4] Enumerantur a *Migne*, Patr. lat. (Indices) 220, 666.

[5] n. 14 (*Migne*, Patr. lat. 4, 655).

[6] Cum magna eloquentia tractat iste auctor de virtute patientiae et in fine exclamat: «O quam vellem te, si possim, rerum omnium regina patientia, magis moribus celebrare! . . . Tu quotidiana martyrum et mater es et corona; tu murus fidei, fructus spei, amica caritatis. . . . Felix, aeternumque felix est, qui semper te habuerit in se» (l. 1, tr. 6, n. 8: *Migne*, Patr. lat. 11, 317).

[7] Liber de patientia. [8] In Evang. l. 2, hom. 35.

[9] *Langmut.* [10] Cf. S. theol. 2, 2, q. 136, a. 5. [11] *Ausdauer.*

magno dono, quo homo perseverat in statu gratiae sanctificantis usque ad mortem; hoc enim donum perseverantiae non est virtus, sed speciale auxilium gratiae divinae, quod nec a iustificatis mereri potest. Perseverantia autem, prout est virtus specialis, definiri potest: *habitus inclinans ad persistendum in exercitio virtutum secundum quod recta ratio dictat, non obstante molestia, quae ex diuturnitate operis proveniat.* Sane unaquaeque virtus persistit in suo opere usque ad finem, sed ex motivo proprio; cum econtra perseverantia hanc constantiam causet praecise propter honestatem, quae reperitur in continuatione operis usque ad finem, repugnante taedio ex illa diuturnitate proveniente. — Perseverantia hoc modo accepta est virtus annexa fortitudini, quia fortitudo servat firmitatem in materia valde difficili, scil. in periculis mortis; perseverantia autem in materia minus difficili, quae scil. provenit ex *diuturnitate operis.*

Relatio ad constantiam. Iuxta S. Thomam est aliqua sed parva differentia inter perseverantiam et constantiam[1]; etenim «perseverantia et constantia conveniunt quidem in fine, quia ad utramque pertinet firmiter persistere in aliquo bono; differunt autem secundum ea, quae difficultatem afferunt ad persistendum in bono; nam virtus perseverantiae proprie facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem, quae provenit ex *diuturnitate* actus; constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quae provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis.»[2]

CAPUT IV.

De vitiis oppositis tum fortitudini tum virtutibus annexis.

638 1. **Fortitudini** opponuntur tria vitia, scil. timiditas seu ignavia, intimiditas et audacia seu temeritas.

a) *Timiditas,* de qua hic agitur, non est passio timoris, nam passiones in sensu Aristotelico sunt quid indifferens; sed est *timor inordinatus malorum temporalium et praecipue periculorum mortis.* Sane in quolibet peccato includitur inordinatus timor; sicut avarus timet amissionem pecuniae, intemperatus amissionem voluptatis, et sic de aliis. Sed timor praecipuus est periculorum mortis. Et ideo talis timoris inordinatio opponitur fortitudini, quae est circa pericula mortis. Ita S. Thomas[3]. Timor inordinatus est igitur *excessus in timendo et defectus in audendo.* Ex primo capite vocatur *timiditas;* ex secundo autem *ignavia;* sed propter affinitatem utrumque communi vocabulo vocatur timiditas. Haec timiditas est ex se tantum peccatum veniale; si quis tamen ex timore inordinato praeceptum grave transgreditur, est peccatum mortale, vel potius est causa peccati mortalis. Quomodo timor seu metus tollat aut minuat voluntarium et proinde rationem

---

[1] *Festigkeit, Stetigkeit.* [2] S. theol. 2, 2, q. 137, a. 3. [3] Ib. q. 125, a. 2.

peccati, supra I, n. 69 dictum est. Maxima ignavia est, si quis propter miserias huius vitae, quas putat intolerabiles, suicidium committit.

b) *Intimiditas* est vitium, quod non timet pericula, et praesertim pericula mortis, quando timenda sunt. Quod vitium oritur aut ex contemptu vitae, quam homo parvi pendit, aut ex superbia sibi nimis virium tribuendo, aut ex animi stoliditate. Intimiditas eatenus est peccatum, quatenus causat alia peccata, aut quatenus contra caritatem erga se ipsum peccat.

c) *Audacia* seu temeritas, prout hic sumitur, est excessus in aggrediendis periculis[1]. Audacia oritur ex iisdem causis ac intimiditas, quacum intime connexa est, praecipue autem ex vana iactantia. De peccaminositate huius vitii idem valet, quod dictum est de intimiditate. In duello vitia temeritatis et intimiditatis solent accidere.

2. **Magnanimitati** opponuntur quattuor vitia, scil. tria per ex- 639
cessum: praesumptio, ambitio et inanis gloria; unum per defectum, scil. pusillanimitas.

a) *Praesumptio*[2], quae opponitur magnanimitati, non est confundenda cum praesumptione, quae est contra spem[3]. Prima est vitium inducens ad aggredienda opera, quae superant vires agentis; altera est, quae sperat beatitudinem aeternam per media a Deo non ordinata. Si dicitur, praesumptionem oppositam magnanimitati aggredi illa, quae prorsus vires agentis excedunt, intelligendae sunt vires non tantum propriae sed etiam alienae, quae tamen agenti praesto sunt; quod enim possumus cum auxilio amicorum et maxime Dei, non censetur prorsus superare vires nostras; unde non sumus praesumptuosi, quando aggredimur opera virtutum etiam difficilium sub confidentia auxilii gratiae divinae auxiliantis. — Exemplum talis praesumptionis peccaminosae est Petrus, qui nimia fiducia ductus dicebat: «Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire»[4], et nihilominus postea ad vocem ancillae Christum negavit. Tali peccato praesumptionis peccant etiam illi, qui absque sufficienti capacitate suscipiunt officia iudicis, pastoris, confessarii etc. De origine et culpabilitate huius praesumptionis iam supra I, n. 412 dictum est. Valde nervose describit Seneca praesumptionem: «Magnanimitas, si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, et in quascumque excellentias dictorum factorumque, neglecta honestate, festinum.»[5]

b) *Ambitio*[6], quae opponitur magnanimitati per excessum, est vitium, quo quis inordinate *honorem* desiderat, vel quem non meretur, vel quem non in Deum, sed ad sui tantum utilitatem refert; vel brevius definiri potest: *inordinatus appetitus honoris*[7]. Cum honor sit res in se bona aut indifferens, inordinatus appetitus eius per se est tantum peccatum veniale; potest tamen fieri mortale propter circumstantias, e. g. si quis in tali honore humano ponit finem suum ultimum, aut si honorem quaerit ex aliquo peccato mortali (iactantia de peccatis commissis), aut si quis quaerit honorem proprium cum gravi damno aliorum. Inordinatus appetitus honoris seu ambitio habet saepe

---

[1] *Waghalsigkeit.* [2] *Selbstüberschätzung, Vermessenheit;* cf. supra I, n. 412.
[3] Cf. I, n. 549. [4] Lc 22, 33.
[5] Apud *S. Thomam,* S. theol. 2, 2, q. 130, a. 2 ad 3.
[6] Cf. supra I, n. 413. [7] S. theol. 2, 2, q. 131, a. 1.

effectus valde negativos, cum loco veri honoris derisiones et contemptus homini ambitioso obveniant.

c) *Inanis gloria*[1], prout opponitur magnanimitati per excessum, sumitur pro *inordinato appetitu inanis gloriae.* Appetitus propriae gloriae non est de se aliquid vitiosum, unde monemur: «Luceat lux vestra coram hominibus»[2], sed appetitus inanis gloriae est peccaminosus; nam appetere aliquid vanum est vitiosum, secundum illud: «Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?»[3] Potest autem dici gloria vana tripliciter: uno modo ex parte *rei,* de qua quis gloriam quaerit; puta cum quis gloriam quaerit de eo, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca (e. g. de pulchritudine corporali); alio modo ex parte eius, *a quo* quis gloriam quaerit, puta hominis, cuius iudicium non est certum (e. g. si quis ab idiota vult laudari ut doctus); tertio modo ex parte *ipsius, qui* gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriae suae non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei vel proximi salutem. Ita S. Thomas[4]. Inanis gloria secundum se non est nisi peccatum veniale, quia non simpliciter repugnat caritati, et quia est tantum inordinatio circa rem in se indifferentem; potest tamen fieri facile non tantum peccatum mortale, sed etiam peccatum capitale, ex quo multa alia peccata pullulant, ut supra I, n. 414 dictum est[5].

d) *Pusillanimitas*[6] opponitur magnanimitati per defectum, et est animi dispositio, qua quis refugit aggredi vel facere aliquid quasi nimis magnum et superans vires suas, cum revera non superet. Unde sicut magnanimus tendit recte ad magna, ita pusillanimus ex culpabili ignorantia propriae conditionis refugit a magnis, quae sibi conveniunt. Exemplum talis pusillanimitatis est in Evangelio servus piger, qui abscondit talentum suum in sudario, et propterea graviter increpatus est. — Pusillanimitas ex se non dicit grave peccatum; potest tamen fieri grave peccatum, si quis ex pusillanimitate grave officium omittit; e. g. si parentes omittunt corrigere filios immorigeros, quia putant se non posse efficacem correctionem facere; si quis iam non pugnat contra tentationes autumans se non posse illas vincere. Pusillanimitas, quae versatur circa res ad salutem prorsus necessarias, potest evadere *peccatum desperationis.* — Vincitur pusillanimitas ponendo spem in auxilium divinum, quod numquam deerit hominibus bonae voluntatis. — Pusillanimitas saepe oritur ex morbida qualitate corporis, vel ex ideis fixis.

640 3. **Magnificentiae** opponuntur duo vitia, scil. unum per excessum: inordinata *sumptuositas*[7], alterum per defectum: *parvificentia*[8]. Utrumque hoc vitium est inordinatio circa *magnos sumptus* faciendos, et ex hac ratione parvificentia distinguitur ab avaritia et illiberalitate. Unde S. Thomas docet: «Sicut magnificus convenit cum liberali in hoc, quod prompte et delecta-

---

[1] Cf. supra I, n. 414. [2] Mt 5, 16. [3] Ps 4, 3.

[4] S. theol. 2, 2, q. 132, a. 1.

[5] Pascal valde lepide et vere dicit de vana gloria: «La vanité est si ancrée dans le cœur de l'homme, qu'un goujat, un marmiton, un crocheteur se vante et veut avoir ses admirateurs; et les philosophes même en veulent. Ceux qui écrivent contre la gloire, veulent avoir la gloire d'avoir bien écrit; et ceux qui le lisent, veulent avoir la gloire de l'avoir lu; et moi qui écris ceci, j'ai peut-être cette envie, et peut-être que ceux qui le liront, l'auront aussi» (Pensées [1907] 400). [6] *Kleinmütigkeit.*

[7] Vocabatur a Graecis *βαναυσία, übertriebener Luxus, Protzentum. Βαναυσία* sumitur a modernis in sensu prorsus alio.

[8] *Knauserei, Engherzigkeit.*

biliter pecunias emittit, ita etiam parvificus convenit cum illiberali sive avaro in hoc, quod cum tristitia et tarditate expensas facit. Differt autem in hoc, quod illiberalitas attenditur circa communes sumptus, parvificentia autem circa *magnos sumptus,* quos difficilius est facere, et ideo minus vitium est parvificentia quam illiberalitas.»[1] Peccaminositas horum vitiorum mensuranda est ex peccatis aliis, quae propter illa committuntur.

4. **Patientiae** opponuntur duo vitia, unum per defectum et alterum per 641
excessum. Per defectum opponitur *insensibilitas* seu durities, cum scil. quis nullis malis sive propriis sive alienis ullo modo tangitur. Hoc esse peccaminosum per se patet, cum id neque naturae humanae neque vitae sociali sit consentaneum, sed sapiat stolidam brutalitatem et duritiem innaturalem. Per excessum opponitur patientiae *impatientia,* qua quis nimis tristatur aut ex tristitia vel dolore a bono recedit. Impatiens ut plurimum suam impatientiam exterius manifestat murmurationibus, lamentationibus vel iracundia. Utrumque peccatum, scil. insensibilitatis et impatientiae, ex se est tantum peccatum veniale; fit tamen mortale, si propter illud alia virtus, e. g. caritas fraterna, graviter laeditur[2].

5. **Perseverantiae** opponuntur pariter duo vitia, scil. unum per defectum, 642
quod est mollities seu *inconstantia,* quando quis ob difficultates, quae in continuatione operis boni occurrunt, facile ab eo recedit contra rectum dictamen rationis. Haec inconstantia vocatur a S. Thoma mollities[3], quae tamen non est confundenda cum mollitie, quae est peccatum contra castitatem. — Inconstantia ex se non est peccatum grave; est tamen causa multorum malorum et impedit quam plurima bona; etenim reddit animum hominis debilem et fere impotentem peragendi aliquod magnum opus, cum in quolibet magno opere difficultates oriantur. — Per modum excessus opponitur perseverantiae *pertinacia*[4], quae est inclinatio ad persistendum in proposito contra dictamen rectae rationis, ut si quis vult persistere in falsa religione, quam ut falsam clare cognoscit. Haec pertinacia est peccatum mortale vel leve pro qualitate obligationis et virtutis, quae per illam laeditur.

TRACTATUS XIII.

De virtute temperantiae et vitiis oppositis.

Dividimus istum tractatum in quattuor capita: 1. de notione temperantiae; 2. de partibus temperantiae in genere; 3. de subiectivis partibus eius in specie atque de vitiis oppositis; 4. de potentialibus partibus eius in specie atque de vitiis oppositis.

CAPUT I.

De notione temperantiae.

Quemadmodum virtus fortitudinis moderatur appetitum irascibilem, 643
ita virtus temperantiae ordinat *appetitum concupiscibilem.* Temperantia,

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 135, a. 1 ad 3.
[2] Mirum est, quod S. Thomas non loquitur de vitiis oppositis patientiae in Summa.
[3] S. theol. 2, 2, q. 138, a. 1. [4] *Hartnäckigkeit.*

ut ipsum nomen indicat, est quaedam temperies seu moderatio. Sumitur autem 1. in sensu latissimo pro moderatione a ratione facta in omni passione seu actione; et sic temperantia nihil aliud est nisi refrenatio necessaria in omni virtute; de hac temperantia hic non agimus; 2. in sensu stricto, quo temperantia definiri potest: **virtus moderans appetitum circa delectationes tactus, i. e. circa delectationes ciborum et venereorum.**

Explicatur. Officium et finis temperantiae est moderari iuxta rectam rationem (sive naturalem sive fide supernaturali elevatam) delectationes carnales. Sunt autem multiplices delectationes. Generatim delectatio definiri potest: *quies appetitus in bono possesso.* Porro bona, de quibus delectatio esse potest, sunt diversa. Primo sunt bona pure spiritualia, ut scientia, beatitudo aeterna etc. Delectatio de istis bonis vocatur *delectatio pure spiritualis* seu potius gaudium spirituale. Unde delectatio pure spiritualis non ea est dicenda, quae a mente producitur, ut quidam auctores docent (secus enim delectatio de cogitationibus obscoenis esset delectatio spiritualis; quod sane nemo dicet); sed est delectatio circa bona pure spiritualia. Omnes autem delectationes, quae versantur circa obiectum materiale, sunt *delectationes materiales,* et parum refert, utrum sequantur ex apprehensione sensitiva an intellectiva. Hinc delectationes avari de pecunia possessa, occisoris de homicidio patrato, adulteri de luxuria commissa etc. sunt revera delectationes materiales, licet sint in appetitu rationali. Istae autem delectationes materiales possunt subdividi in delectationes *corporales* et *non corporales.* Delectationes *non corporales* sunt illae materiales, quae versantur circa obiectum materiale, sed non sentiuntur in corpore. Cf. exempla supra allata de avaro, occisore et adultero [1]. Delectationes autem *corporales* sentiuntur in corpore, et vocantur *sensitivae* seu organicae, quando oriuntur ex perceptione obiecti sensibus convenientis. Ita delectatur auris audiendo dulcem melodiam, oculus videndo pulchros colores, sensus tactus tangendo res molles, odoratus olfaciendo odores bonos. Vocantur autem istae delectationes *sensuales* vel carnales, si oriuntur ex coniunctione physica et magis intensiva rei cum peculiaribus nervis alicuius organi, quod inde vehementer movetur. Invenitur ista delectatio in usu cibi, potus et rerum venerearum; est saepe intensissima et magnis deordinationibus subiecta.

Ex dictis eruitur, quod sunt delectationes quadruplicis generis:

1. Delectationes *pure spirituales,* nempe ex actione intellectuali et obiecto spirituali.

2. Delectationes *non corporales* (spirituales in lato sensu), nempe ex actione intellectuali et obiecto corporali.

---

[1] Nihilominus vitia versantia circa huiusmodi delectationes non corporales aliquando vocantur vitia spiritualia, quia nempe non sunt vitia proprie et stricte carnalia. Hinc Angelicus Doctor vocat avaritiam vitium spirituale (S. theol. 2, 2, q. 118, a. 6).

3. Delectationes *sensitivae,* scil. ex perceptione sensitiva alicuius obiecti convenientis.

4. Delectationes *sensuales* (carnales), quae nempe oriuntur ex coniunctione intima et physica cum peculiaribus nervis tactus seu gustus atque locum habent in cibis et rebus venereis.

Obiectum temperantiae. Temperantia in sensu lato sumpta 644
moderatur omnes delectationes, sive spirituales sive materiales; temperantia autem in sensu stricto versatur solummodo circa delectationes sensuales seu carnales moderandas.

Obiectum formale quo seu motivum est recta ratio servanda in istis delectationibus. Tunc autem recta ratio observatur, quando istae delectationes ordinantur ad finem a Creatore praefixum; qui quidem finis est conservatio vitae individualis (per cibos) et speciei humanae (per actum generationis). Quando autem delectatio sensualis non intenditur ut medium ad istos actus facilitandos, sed ut finis principaliter volitus, tunc adest semper peccaminosa inordinatio; quia numquam licet agere ex sola delectatione seu voluptate [1].

Ad rem scribit S. Thomas [2]: «Ita est temperantia circa concupiscentias et delectationes, sicut fortitudo est circa timores et audacias. Fortitudo autem est circa timores et audacias respectu *maximorum* malorum, quibus ipsa natura exstinguitur, quae sunt pericula mortis. Unde similiter temperantia oportet quod sit circa concupiscentias maximarum delectationum. Et quia delectatio sequitur operationem naturalem, tanto aliquae delectationes sunt vehementiores, quanto consequuntur operationes magis naturales. Maxime autem naturales sunt animalibus operationes, quibus conservatur natura individui per cibum et potum, et natura speciei per coniunctionem maris et feminae; et ideo circa delectationes ciborum et potuum et circa delectationes venereorum est proprie temperantia. Huiusmodi autem delectationes consequuntur sensum tactus. Unde relinquitur, quod temperantia sit circa delectationes tactus.»

Sane aliquando etiam aliae delectationes sensitivae influunt in delectationes carnales, ut e. g. mulier pulchra visa potest causare motus carnales in viro libidinoso, odor bonus allicit ad manducandos cibos etc., et tunc temperantia stricte dicta debet secundario moderari etiam istas delectationes [3]. Ex hucusque dictis eruitur, quod temperantia sumi possit in triplici sensu:

1. in sensu latissimo pro moderamine afferendo in qualibet actione et passione;

2. in sensu lato pro moderamine delectationum spiritualium et sensitivarum;

3. in sensu stricto pro moderamine delectationum sensualium, i. e. in cibis et venereis. Non loquimur, nisi de temperantia in stricto sensu.

Differentia inter temperantiam naturalem et supernaturalem. 645
Temperantia tamquam virtus naturalis et *acquisita,* de qua

[1] Cf. supra de fine actuum humanorum I, n. 125.
[2] S. theol. 2, 2, q. 141, a. 4. [3] Cf. ib. a. 5.

hucusque sermo fuit, specie differt a temperantia, quae est virtus supernaturaliter infusa. Nam temperantia supernaturaliter infusa habet altiorem finem et altius motivum seu obiectum formale. Est enim finis eius beatitudo aeterna; motivum et obiectum formale est *fides,* quae dictat omnia parvi facienda esse ad lucrandam vitam aeternam. Ad rem scribit S. Thomas[1]: «Temperantiae obiectum est bonum delectabilium in concupiscentiis tactus; cuius quidem obiecti formalis ratio est a ratione, quae instituit modum in his concupiscentiis; materiale autem est id, quod est ex parte concupiscentiarum. Manifestum est autem, quod alterius rationis est motus, qui imponitur in huiusmodi concupiscentiis secundum regulam rationis humanae, et secundum regulam divinam: puta, in sumptione ciborum ratione humana statuitur, ut non noceat valetudini corporis nec impediat rationis actum; secundum autem regulam legis divinae requiritur, quod ‚homo castiget corpus suum et in servitutem redigat' per abstinentiam cibi et potus et aliorum huiusmodi. Unde manifestum est, quod temperantia infusa et acquisita *differunt specie;* et eadem ratio est de aliis virtutibus. Alio modo habitus distinguuntur specie secundum ea, ad quae ordinantur, . . . et per hunc etiam modum differunt specie virtutes morales infusae, per quas homines bene se habent in ordine ad hoc, quod sunt cives sanctorum et domestici Dei; et aliae virtutes, acquisitae, secundum quas homo bene se habet in ordine ad res humanas.»

Regula ergo virtutis naturalis temperantiae in delectationibus ciborum est *valetudo hominis.* Itaque e. g. contra naturalem virtutem temperantiae peccat, qui ita delectationibus gustus indulget, ut sanitas corporalis inde laedatur. Regula temperantiae naturalis in delectationibus actus generationis est *bonum prolis,* ita ut tunc quis peccet in hoc puncto, quando aliquid agit, quod est contra rectam rationem in generatione prolis. Recta autem ratio dictat actum generationis non posse licite exerceri nisi *in legitimo matrimonio,* quia secus educatio prolis periclitaretur[2]. Regula virtutis supernaturalis temperantiae est *salus animae;* unde ista virtus supernaturalis potest aliquando praecipere pro salute animae ieiunium, abstinentiam et virginitatem, licet haec non sint sanitati favorabilia.

CAPUT II.

De partibus temperantiae in genere.

646 In temperantia habentur partes integrales, subiectivae et potentiales.

1. **Partes integrales** temperantiae sunt duae, scil. *verecundia* et *honestas;* integrum enim officium temperantiae consistit in duobus: in fuga turpitudinis, ad quam iuvat verecundia; et in amore decoris, ad quem iuvat honestas. Breviter sequentia notentur de istis partibus

[1] S. theol. 1, 2, q. 63, a. 4.

[2] Cf. infra, ubi de malitia fornicationis sermo erit.

integralibus. *Verecundia*[1] *est timor opprobrii.* Non est virtus proprie dicta, sed passio laudabilis, quae ideo quandoque dicitur virtus in lato sensu. Verecundia enim est aliqua imperfectio consistens in timore vituperationis propter ea, quae ab hominibus ut turpia habentur. Sic multi verecundantur de paupertate, de defectibus corporalibus; quae quidem verecundia est signum debilis mentis; alii verecundantur de ipsis actibus honestis, quia propterea deridentur ab impiis; haec verecundia est mala. Sin autem homo movetur ad verecundiam secundum rectam rationem, quia scil. commisit aliquid turpe, vel quia timet, ne quid turpe accidat, haec verecundia est bona, et disponit ad virtutem, quia inicit horrorem turpitudinis. Cum autem peccata contra temperantiam sint valde turpia, quippe quae hominem reddant similem brutis, verecundia, quae retrahit ab his turpibus, recte dici potest pars integralis temperantiae. Quare S. Thomas[2] dicit: «Verecundia non est pars temperantiae, quasi intrans essentiam eius, sed quasi *dispositive se habens ad ipsam,* unde Ambrosius dicit, quod verecundia iacit prima temperantiae fundamenta, in quantum scil. incutit horrorem turpitudinis.» Cum virtus temperantiae et praesertim castitatis sit maxime necessaria virginibus, inde illis Creator indidit magnam verecundiam, ut possint melius servare virginitatem.

Sicut verecundia est fuga turpitudinis, ita *honestas*[3] *est amor et prosecutio decoris.* Honestas in hoc sensu accepta est quoque pars integralis temperantiae. Unde S. Thomas[4] docet: «Honestas est quaedam spiritualis pulchritudo. Pulchro autem opponitur turpe. Opposita autem maxime se invicem manifestant. Et ideo ad temperantiam specialiter honestas pertinere videtur, quae id, quod est homini turpissimum, repellit, scil. brutales voluptates. Unde et in ipso nomine temperantiae maxime intelligitur bonum rationis, cuius est moderari et temperari concupiscentias pravas. Sic ergo honestas, prout speciali quadam ratione temperantiae attribuitur, ponitur pars integralis eius, non quidem subiectiva, vel sicut virtus adiuncta, sed pars integralis ipsius, sicut quaedam eius conditio.» — Quam maxime istae duae virtutes verecundiae et honestatis colendae sunt in educatione puerorum et puellarum; sunt enim quasi *custodes castitatis* et temperantiae. Quodsi isti custodes mortui sunt, homo solet praeceps ruere in omnem spurcitiam luxuriae et intemperantiae.

2. **Partes subiectivae** temperantiae enumerantur a S. Thoma 647
quattuor, scil. *abstinentia, sobrietas, castitas* et *pudicitia.* «Partes autem subiectivae alicuius virtutis dicuntur species eius; oportet autem diversificare species virtutum secundum diversitatem materiae vel obiecti. Est autem temperantia circa delectationes tactus, quae dividuntur in duo genera. Nam quaedam ordinantur ad nutrimentum; et in his quantum *ad cibum* est abstinentia, quantum *ad potum* proprie sobrietas. Quaedam

---

[1] *Scham, Schamgefühl.* [2] S. theol. 2, 2, q. 144, a. 4 ad 4.
[3] *Anstandsgefühl.* [4] L. c. q. 145, a. 4.

vero ordinantur ad vim generativam; et in his quantum *ad delectationem principalem* ipsius coitus est castitas; quantum autem *ad delectationes circumstantes,* puta quae sunt in osculis, tactibus et amplexibus, attenditur pudicitia.»[1] De singulis illis partibus in capite sequenti amplius tractabitur.

648 3. **Partes potentiales** temperantiae sunt quinque, scil. *continentia, humilitas, mansuetudo, modestia* et *moderatio.* Ut ex supra dictis patet, partes potentiales alicuius virtutis principalis dicuntur virtutes illae secundariae, quae habent idem obiectum formale quo ac virtus principalis; sed tamen versantur circa materias *minus principales et minus difficiles.* Pertinet autem ad temperantiam moderari delectationes tactus, quas difficillimum est moderari; unde quaecumque virtus moderationem quandam importat in aliqua materia minus difficili et refrenat appetitum in aliquid delectabile inordinate tendentem, potest poni pars potentialis temperantiae vel virtus illi adiuncta. Appetitus autem inordinatus invenitur in tribus obiectis, scil. 1. in interioribus motibus animi; 2. in exterioribus motibus et actibus corporis; 3. in exterioribus rebus. Quantum ad primum, praeter motum concupiscentiae tactus, quem moderatur et refrenat temperantia, tres motus inveniuntur in anima in aliquid tendentes. Primus est motus voluntatis commotae ex impetu passionis; et hunc motum refrenat *continentia*[2], ex qua fit, ut licet pars inferior hominis patiatur immoderatos motus concupiscentiae, voluntas non vincatur. Secundus motus interior est motus spei tendentis inordinate in excellentiam propriam; et hunc motum moderatur sive refrenat *humilitas.* Tertius motus interior est motus irae tendens in vindictam; et hunc motum moderatur sive refrenat *mansuetudo* seu *clementia.* Quantum ad motus exteriores corporales affert debitam moderationem *modestia.* Quantum tandem ad res exteriores ponitur *moderatio,* quae et superflua respuit et nimis exquisita non requirit. A quibusdam modestia et moderatio iterum subdividuntur[3].

CAPUT III.

De subiectivis partibus temperantiae in specie atque de vitiis oppositis.

Praenotamen. De partibus integrantibus temperantiae, scil. de verecundia et honestate, supra sufficienter dictum est; remanent igitur magis explicandae illius partes subiectivae et potentiales, cum vitiis oppositis. In hoc capite agemus: 1. de virtute abstinentiae et ieiunio; 2. de vitio opposito seu de gula; 3. de sobrietate et vitio opposito, i. e. de ebrietate; 4. de castitate et virginitate; 5. de vitio opposito castitati, nempe de luxuria.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 143, a. unic.
[2] *Selbstbeherrschung.*
[3] Cf. S. theol. l. c.

ARTICULUS I.

De virtute abstinentiae et de ieiunio.

Notio. Abstinentia generatim sumpta significat subtractionem cibi. 649
In hoc sensu generali non est virtus, sed quid indifferens, quod ex circumstantiis potest fieri bonum vel malum. Sic qui abstinet a cibis ex vanitate, committit actum malum; qui autem abstinet a cibis propter rectum dictamen rationis et virtutis perficit actum bonum [1]. Moderatus usus ciborum praescribitur non tantum a virtute abstinentiae, sed etiam ab arte medicinae; sed aliter et aliter. Medicina enim istum moderatum usum exigit unice in ordine ad sanitatem corporalem, cum virtus abstinentiae eandem moderationem praecipiat in ordine ad bonum morale.

Animadvertendum est, quamvis abstinentia dicatur versari circa moderatum usum ciborum, non excludi moderationem in *potu,* in quantum potus *servit ad nutritionem;* excludi autem potum inebriantem, cuius moderatio pertinet ad virtutem sobrietatis. Hinc si quis immoderate potat lac, non peccat contra sobrietatem, sed contra abstinentiam.

Definitio. Abstinentia est virtus moralis inclinans ad moderatum usum ciborum, prout recta ratio (sive fides) determinaverit ad bonum morale.

Si recta ratio *naturalis* adhibetur tamquam unica regula abstinentiae, habetur virtus naturalis *acquisita* abstinentiae, sin autem ratio illustrata virtute fidei est regula dirigens, habetur virtus *supernaturalis* abstinentiae. Actus virtutis abstinentiae est ieiunium et abstinentia stricte dicta, nempe a quibusdam determinatis cibis. — Claritatis causa distribuimus omnia, quae de virtute abstinentiae dicenda sunt, in quattuor paragraphis: 1. de ieiunio in genere; 2. de extensione legis ecclesiasticae ieiunii; 3. de lege ecclesiastica abstinentiae extra dies ieiunii; 4. de causis excusantibus a lege ieiunii et abstinentiae.

§ 1.

De ieiunio in genere.

Notiones. Verbum ieiunii sumitur 1. pro totali abstinentia ab 650
omni cibo et potu, seu ab omni eo, quod in stomachum transmittitur *per modum cibi.* Dico: per modum cibi; unde tale ieiunium non frangitur, si fortuito aliquid in stomachum intrat per modum salivae, e. g. si quis deglutit aliquid sanguinis provenientis ex dentibus aut naribus, vel si fortuito musca in os et stomachum intrat etc. Vocatur tunc *ieiunium naturale* seu etiam ieiunium ieiuni. Tale ieiunium requiritur a media nocte pro sumptione eucharistiae, nisi adsit specialis licentia, de qua agitur in tractatu de eucharistia. 2. Sumitur pro abstinentia cibi et potus secundum communes regulas temperantiae in ordine ad proprium

[1] Cf. ib. 2, 2, q. 146, a. 1.

finem, qui est bona corporis et mentis dispositio ad suas functiones perfecte peragendas. Hoc ieiunium vocatur *ieiunium morale seu philosophicum,* et aliquando adhibetur ab hominibus sine ullo respectu ad religionem, unice propter bonum aliquod honestum. 3. Sumitur pro abstinentia cibi et potus in determinato gradu et quidem maiore, quam exigit abstinentia moralis. Tale ieiunium solet vel generali vel particulari lege positiva ecclesiastica determinari, et usuvenit diebus ieiunii pro tota Ecclesia catholica determinatis, vel etiam aliis temporibus pro aliquibus ordinibus religiosis. Vocatur hoc ieiunium *ecclesiasticum vel arbitrarium.* 4. Sumitur denique ieiunium in sensu metaphorico pro abstinentia a vitiis et peccatis[1]. Quibus explicatis sequentes propositiones notandae sunt:

1. *Ieiunium naturale* ex se non est actus virtutis, cum consistat in sola negatione; fit tamen meritorium, si suscipitur propter honestum motivum.

2. *Ieiunium morale* est actus virtutis abstinentiae naturalis seu acquisitae. Nam virtus abstinentiae moderatur delectationes ciborum et potus iuxta rectam rationem. Atqui ieiunium morale nihil aliud est nisi abstinentia a cibis iuxta rectam rationem facta.

3. *Ieiunium ecclesiasticum* est actus bonus elicitus a virtute abstinentiae, et praeterea est actus bonus, qui imperatur a diversis aliis virtutibus, e. g. a religione, a poenitentia etc. Nam in ieiunio ecclesiastico habetur rationabilis abstinentia a cibis, quae quidem a diversis virtutibus imperatur, in quantum propter diversos bonos fines assumitur.

651 **Praestantia ieiunii.** Ieiunium recto modo et iuxta rectam rationem peractum tot exemplis et monitis in S. Scriptura et a SS. Patribus commendatur, ut mirum sit, quomodo plures, praesertim Protestantes, ausi sint tam efficax virtutis christianae exercitium vituperare. Christus ipse exemplo suo sanctificavit ieiunium servans illud per quadraginta dies, et praedixit futurum esse ut discipuli ieiunent. Apostoli et primi christiani ieiunabant[2]. Unde S. Paulus monet: «Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, . . . in ieiuniis, in castitate»[3], et iam in Vetere Testamento ieiunium praescriptum fuit: «Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu.»[4] SS. Patres autem integros libros scripserunt de ieiunii laude, e. g. S. Augustinus septem sermonibus ieiunium quadragesimale commendavit[5]. S. Hieronymus scripsit libellum contra Iovinianum vituperantem ieiunium[6]. Quae cum ita sint, Ecclesia catholica merito ieiunium praescribere potest certis temporibus, et quidem sub gravi peccato.

De praestantia ieiunii scribit S. Thomas[7]: «Assumitur enim ieiunium principaliter ad tria: Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas; unde

---

[1] «Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis . . .» (Is 58, 6). Cf. S. theol. 2, 2, q. 147, a. 2 ad 1.

[2] Cf. Act 13, 3; 14, 22. [3] 2 Cor 6, 4. [4] Ioel 12, 12.

[5] *Migne,* Patr. lat. 38, 1039 sqq. [6] Ib. 23, 312. [7] S. theol. l. c. a. 1.

Apostolus dicit: in ieiunio et castitate, quia per ieiunia castitas conservatur. Ut enim Hieronymus dicit: sine Cerere et Baccho friget Venus; i. e. per abstinentiam cibi et potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc, ut mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda; unde dicitur, quod Daniel post ieiunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis; unde dicitur: ‚Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu et planctu.' Et hoc est quod Augustinus dicit in quodam sermone De oratione et ieiunio: ‚Ieiunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores exstinguit, castitatis lumen accendit.'»

Scholion. De evolutione legis ieiunii. Antequam de extensione istius praecepti et causis excusantibus in particulari tractamus, iuvat notare cum Caietano[1]: «Cum tota materia de ieiunio ecclesiastico sit fere unice iuris positivi, consuetudo et dispensatio lapsu temporis potest multum mutare disciplinam ieiunii. Hinc factum est, ut id, quod prius fuit ius, non sit amplius de iuris necessitate, et quod prius fuit nefas, licitum sit postmodum.» S. Alphonsus[2] autem scite animadvertit: «Auctoritas doctorum recentiorum, licet pauciorum, qui soli de posteriori moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est et sine dubio praeferenda auctoritati, etsi communiori, auctorum antiquiorum, qui nihil de consuetudine in posterum introducenda scire poterant.»[3]

§ 2.

De extensione ecclesiasticae legis ieiunii.

Praenotamen. Pro praxi confessionalis numquam potest satis notari, 652 in materia ieiunii plurimum valere consuetudines locorum atque diversas circumstantias temporum. Hinc paucae regulae generales possunt dari, sed fere omnia desumenda sunt ex sic dictis mandatis episcopalibus, quae solent initio cuiusque Quadragesimae in singulis dioecesibus publicari. Nonnulli auctores moralistae non satis attendunt, iam non posse nostris temporibus easdem determinationes circa legem ieiunii ecclesiastici dari, quas dabant theologi magni nominis in Medio Aevo. Sic e. g. usque ad saeculum XII unica tantum refectio eaque post occasum solis sumpta, fuit in usu tempore ieiunii Quadragesimali; saeculo vero XIII vivente S. Thoma haec unica refectio sumebatur hora tertia postmeridiana; saeculo autem XIV eadem refectio sumebatur circa meridiem; quae quidem consuetudo adhuc in usu est saltem in plerisque regionibus. Saeculo XVIII S. Alphonsus docuit cum multis aliis auctoribus, inversionem aut anteversionem temporis unicae refectionis esse graviter illicitam; hodie recte docent plures theologi[4], unicam refectionem

---

[1] Comm. in 2, 2, q. 147, a. 7. [2] Theol. mor. l. 3, n. 1025.

[3] Circa historicam evolutionem legis ieiunii videsis: *Thomassin*, Traité des jeûnes de l'Église, Paris 1680; *Funk*, Kirchengesch. Abhandl. I, 247—270. — Nostris temporibus Leo XIII et Pius X speciales leges de ieiunio tulerunt pro America Latina const. «Trans Oceanum» d. 18 Apr. 1897 et d. 10 Ian. 1910. — Pro Italia legem ieiunii et abstinentiae multum temperavit Pius X per decretum d. 5 Sept. 1907, pariter pro Dalmatia aliisque locis.

[4] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1468; *Tanquerey*, Synopsis Theol. mor. II, n. 1114; *Noldin*, De praeceptis n. 674.

posse sumi quacumque hora diei ex rationabili causa. Quae quidem sententia robur accipit ex responsione S. Poenitentiariae d. 10 Ian. 1834. Quaesitum fuit: «Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam?» Respondit: «Si inversionis supradictae aliqua exstet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.» — Omissis ergo iis, quae antiquis temporibus praescripta fuerunt circa ieiunium, omissis pariter illis praeceptis, quae ex iure particulari in aliquibus regionibus vel institutis observantur, sequentia videntur esse *disciplina hodie vigens* ieiunii ecclesiastici.

653 **Principium.** *Essentia ieiunii ecclesiastici consistit in unica perfecta refectione.*

Veteres auctores satis communiter ponebant essentiam ieiunii in tribus, scil. in unica refectione, in determinata hora istius refectionis et in abstinentia a certis cibis, scil. a carnibus, ovis et lacticiniis[1]. Sane etiam nostris temporibus ista tria pertinent ad *perfectionem* ieiunii, ita ut illud non sit undequaque perfectum, nisi ista tria observentur, sed minime pertinent ad ipsam eius *essentiam*. Ratio autem est, quia adhuc essentia ieiunii ecclesiastici adesse potest, etiamsi secunda tertiave conditio deest. Hinc e. g. adhuc essentia ieiunii ecclesiastici adest, licet manducentur in prandio carnes et in coena ova aut lacticinia. Sin vero quis sumpserit duas refectiones *completas* in uno die, essentia ieiunii ecclesiastici destructa est. — Deest quidem authentica declaratio Ecclesiae determinans essentiam ieiunii ecclesiastici sitam esse in unica refectione completa, sed cum Ecclesia in nonnullis regionibus permittat, ut fideles comedant lacticinia et ut hora refectionis completae invertatur, cumque ex alia parte Ecclesia argui nequeat, quasi permiserit essentiam ieiunii ecclesiastici labente tempore mutari, sequitur ut essentia ieiunii consistat unice in unica refectione completa, sicuti semper inde ab initio Ecclesiae fuit praescriptum. Idem iam haud obscure innuit S. Thomas[2] scribens: «Ieiunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrenandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturae satisfacere, et tamen concupiscentiae aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiae moderatione statutum est, ut semel in die a ieiunantibus comedatur.» Ex hoc principio praeclaro: ieiunium ecclesiasticum debere ita refrenare concupiscentiam, ut natura salvetur, sequitur, quod Ecclesia potest mitiorem praxim rationabiliter permittere propter mutatas circumstantias et praesertim propter auctam debilitatem generis humani atque propter labores enervantes, quin tamen essentia ieiunii laedatur et eius finis pereat. Hinc nostris temporibus Ecclesia permittit, ut sumatur 1. prandium, 2. coenula vespertina et 3. frustulum matutinum.

De istis tribus comestionibus sequentia notentur relate ad quantitatem, qualitatem et horam manducandi.

---

[1] Cf. *Billuart*, De ieiunio a. 5. [2] S. theol. 2, 2, q. 147, a. 6.

I. De prandio diebus ieiunii. 654

a) *Hora prandii* iuxta modernam disciplinam videtur esse relicta liberae dispositioni ieiunantis, ut iam supra dictum est. Hinc prandium sumi potest hora quinta aut sexta postmeridiana, sicut fieri solet in America aliisque regionibus. Potest etiam prandium sumi hora undecima matutina, si adest rationabilis causa [1].

b) Prandium debet esse moraliter *continuum* nec immoderate *protractum*. Si enim prandium notabiliter interrumpatur, iam non est unica refectio, sed sunt duae refectiones. Quaenam autem interruptio sit notabilis, pendet ex prudentis viri aestimatione atque ex ratione, quare interruptio fiat. Generatim tamen censetur esse levis interruptio *unius dimidiae horae*. Hinc ille, qui prandio iam finito infra dimidiam horam iterum manducat (etiam carnes, si esus carnium sit permissus), adhuc unicam comestionem fecit. Quantum vero ad *protractionem* prandii, auctores post S. Alphonsum [2] communiter permittunt spatium duarum horarum. Ex quo tamen non potest inferri, aliquem posse licite iterum manducare post horam et dimidiam, si antea pransus sit per spatium unius dimidiae horae. Esset enim notabilis interruptio.

c) *Quantitas ciborum* in prandio non est determinata a lege ecclesiastica, ita ut quis comedere possit usque ad satietatem. Si tamen quis nimis manducat diebus ieiunii in prandio, laedit virtutem temperantiae, licet non violet praeceptum ieiunii ecclesiastici.

d) *Qualitas ciborum* in prandio determinata est hoc sensu, quod *ex iure communi* toto tempore Quadragesimae (etiam diebus dominicis) prohibetur esus carnium, ovorum et lacticiniorum. Unde cibi sine carne, ovis et lacticiniis solent vocari *cibi quadragesimales* [3]. Aliis autem diebus ieiunii prohibetur quidem esus carnium, sed permittuntur ova et lacticinia. Ita de iure communi; sed fere ubique terrarum viget nostris diebus mitior praxis. Solet enim concedi permissio, ut in prandio manducentur carnes, ova et lacticinia (paucis diebus exceptis). Ideo videndum est, quid episcopus pro sua dioecesi determinaverit. Numquam autem solet dari permissio, ut diebus ieiunii sumantur in eodem prandio carnes et pisces; immo et illi, qui non tenentur ieiunare ratione aetatis, laboris aut infirmitatis, non possunt licite manducare in eodem prandio carnes et pisces diebus ieiunii. Ratio huius strictae prohibitionis videtur esse, quia tempore ieiunii ecclesiastici omnes debent *poenitentiam agere* atque carnem suam domare; porro non est poenitentia, si quis in eodem prandio manducat carnes et pisces. Neque potest adesse gravis necessitas, ita commiscere epulas. *Nota* autem: Qui diebus solius *abstinentiae* (et non ieiunii), e. g. feriis VI totius anni, dispensatus est ad manducandas carnes, potest iisdem diebus et in eodem prandio etiam manducare pisces. Unde moderna praxis hoc modo

---

[1] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1468 et *Noldin*, De praeceptis n. 685.

[2] Theol. mor. l. 3, n. 1020.

[3] Cf. Prop. (32) damn. ab Alexandro VII (*Denz.* n. 1132); *Lehmkuhl* l. c. n. 1466.

breviter exprimi potest: 1. Permixtio epularum, i. e. manducare carnes et pisces in eodem prandio, nemini licet tum toto tempore Quadragesimae (etiam diebus dominicis) tum omnibus aliis diebus ieiunii ecclesiastici [1]; 2. permixtio epularum licet diebus solius abstinentiae, si permissa est manducatio carnium [2]. Hinc e. g. in Germania permixtio epularum prohibita manet omnibus diebus ieiunii etiam pro illis, qui manducant in cauponis [3], cum econtra feriis VI per annum possit quis manducans in cauponis licite sumere carnes et pisces in eodem prandio.

Quoties carnes permittuntur diebus ieiunii, ii, qui *ratione laboris, aetatis aut infirmitatis* ieiunare non valent, licite etiam pluries per diem carnes manducant. Ita expresse statuit S. Poenitentiaria [4]. Potest tamen episcopus pro sua dioecesi statuere, ut etiam ii, qui a ieiunio sunt dispensati, non manducent carnes nisi *semel in die*. Praeciso autem huiusmodi expresso statuto, valent illa, quae S. Poenitentiaria determinavit.

Prohibitio permixtionis epularum se extendit ad *carnes et pisces tantum;* licitum autem est ex iure communi (aliquando aliter est ex iure particulari) sumere iusculum carnis [5] cum piscibus, vel alios cibos conditos cum sagimine [6].

655 **Nomine carnium** intelliguntur: a) carnes animalium in terra viventium et respirantium atque calidum sanguinem habentium; b) adeps, sanguis, laridum, iusculum carnis, sic dictum «extractum carnis» [7], medulla ossium, partes cerebrales; non autem *fructus* horum animalium, ut ova, lac, butyrum. Ceterum quantum ad pinguedinem seu adipem, ad sic dictam «Margarinam, Palminam» etc., solent exsistere in qualibet dioecesi speciales consuetudines seu dispensationes. In dubio, num aliquid sit considerandum tamquam caro, licet illud comedere. In dubiis enim libertas.

Nomine piscium intelliguntur non solum pisces stricte tales, sed etiam omnia animalia, quorum sanguis est frigidus, ut sunt reptilia et amphibia, e. g. ranae, testudines, ostreae, cancri, cammari, caviale [8] etc. Sunt auctores, ut Elbel, Holzmann, Goepfert, qui piscibus assimilant lutras [9], castores [10], fulicas [11], sed rectius cum Lehmkuhl [12], Aertnys [13] aliisque dicitur non licere comestionem omnium eorum animalium, qui habent *calidum* sanguinem. Si tamen alicubi contraria consuetudo communis exsistat, haec utique servari potest.

---

[1] Excipiuntur solummodo aegroti (S. Poenit. d. 9 Ian. 1899).

[2] S. Poenit. d. 13 Febr. 1834. [3] *Hotel, Restaurant.*

[4] S. Poenit. d. 27 Maii 1863 et d. 16 Martii 1882. [5] *Fleischsuppe.*

[6] *Mit Fett angemachte Speisen.* — S. Poenit. d. 8 Febr. 1828.

[7] *Fleischextrakt.* [8] *Kaviar.* [9] *Fischotter.* [10] *Biber.*

[11] *Wasserhühner.* — Sic e. g. Göpfert dicit: «Als nicht verboten gelten außer den Fischen Schnecken, Schildkröten, Austern, Schaltiere, Frösche, Krebse, Hummer; ebenso auch Fischotter, Biber und einige Vögel, so gewohnheitsgemäß Rohrhühner, schwarze Wasserhühner oder Bläßenten, Duckentchen» (Moraltheol. II 240).

[12] Theol. mor. I, n. 1458. [13] Theol. mor. l. 4, c. 2, a. 1.

2. De coenula vespertina diebus ieiunii. 656

a) *Hora* istius coenulae videtur esse libera, cum ex supra dictis pateat, illam sumi posse hora undecima matutina[1].

b) *Quantitas ciborum* in coenula permissa diversimode a diversis auctoribus assignatur. Alii permittunt quintam, alii quartam partem refectionis perfectae. Melior, vel saltem simplicior et facilior est sententia S. Alphonsi, quam sequuntur communissime moderni auctores. Haec sunt verba S. Alphonsi[2]: «Melius est sequi sententiam aliorum communiter hodie receptam, uti testantur Castropalaus, Roncaglia, Salmanticenses, Viva, Bonacina, Holzmann, Tamburinus, Elbel, Diana, Sporer, Milante, Croix, Mazotta etc., quae omnibus indiscriminatim (etiam illis, qui parvo cibo indigent, ut etiam communiter dicunt) permittit *quantitatem octo unciarum, et aliquid aliud, nempe duas alias uncias, quod est parva materia, ei qui maiori nutrimento opus haberet.*» — Octo unciae aequivalent 240—250 grammata seu dimidiam libram. Addunt autem iidem theologi, etiam illum, qui ista quantitate ciborum satiaretur, posse nihilominus tuta conscientia talem quantitatem manducare, quia hoc esset signum illum habere debilem stomachum proindeque non teneri ad ita strictum ieiunium. Lehmkuhl[3] docet: «Quando vero ex cibis cum aqua, oleo etc. mixtis puls coquitur, vix ullus est, qui concedat, ut, praeciso liquore, octo unciae solidi cibi sumantur. Et re quidem vera non ad solam vim nutritivam ciborum attendi debet, sed etiam ad saturitatem, quae actu inducitur. . . . Quare recte eiusmodi pultis non plus permittitur, nisi quod ex 4—5 unciis farinae, fabarum, aridi panis, orizae etc. coquatur, non computato parvo illo condimento olei et aceti.» Haec sententia, quae tenetur quoque a nonnullis aliis auctoribus, non est nimis urgenda in praxi. Sane si ad decoctionem huiusmodi ciborum adhibeatur notabilis quantitas olei, lactis aliusque liquoris nutritivi, tunc non liceret sumere adhuc 8 uncias cibi solidi, sed si adhibetur tantum aqua, vinum aliusve liquor non nutritivus, vel tantum modica quantitas alicuius liquoris nutritivi, non apparet ratio, cur tunc aliquid detrahi debeat de cibi solidi quantitate. Nam videtur esse lex sat arbitraria, quae permitteret, ut quis sumere possit e. g. 8 uncias panis et deinde bibere litrum vini; quae autem sub peccato mortali vetaret, ne quis intingat vel coquat eandem quantitatem panis in vino, idque multo minore quantitate adhibita. Neque valere videntur rationes allatae ab illis auctoribus. Nam conceptus ieiunii ex communi iudicio minime exigit talem limitationem. Econtra simplicibus hominibus videretur sat curiosum, si permitterentur 8 unciae panis et litrum vini, dummodo in coenula separatim sumantur, cum econtra graviter prohiberentur insimul sumpti. Neque etiam valet ratio, quod homo ex huiusmodi pulte haberet maiorem satietatis sensationem; nam nullibi Ecclesia prohibuit *sensationem satietatis.*

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 1024.
[2] Homo apost. tr. 12, n. 16. [3] L. c. n. 1462.

Experientia insuper constat, sensationem satietatis esse valde fallacem, et quandoque haberi etiam post parvum cibum sumptum. Quae cum ita sint, praeferenda esse videtur sententia multorum tum antiquorum[1] tum modernorum auctorum, qui in omni casu permittunt quantitatem 8 unciarum solidi (sed levis) cibi in coenula vespertina. Haec sententia iam a clarissimo Elbel vocata est probabilissima[2].

Pro vigilia Nativitatis Domini nostri Iesu Christi S. Alphonsus permittit in coenula quantitatem duplo maiorem; tunc enim esse ieiunium gaudiosum[3]; in vigiliis autem Paschatis et Pentecostis observandam esse consuetudinem docet.

c) *Qualitas ciborum* permissa in coenula multum dependet a consuetudine et statutis particularibus. Sane per se excluduntur ova et lacticinia et pisces grandiores, cum sint haec omnia nimis nutritiva, verum in pluribus dioecesibus etiam haec permittuntur. Omnes tamen auctores moderni docent, non licere totam coenulam sumere ex huiusmodi cibis ita nutritivis. Hinc nullus moralista, ut puto, permitteret, ut quis in coenula manducaret 4 ova gallinacia, quae habent pondus circiter 8 unciarum; vel ut quis sumeret duo ova et insuper 4 uncias panis. Menti S. Ecclesiae videtur esse conformius, si pro coenula vespertina sumuntur in diebus ieiunii cibi leviores et non ita fortiter sagimine conditi (si tamen sagimen permittitur in coenula).

657 3. **De frustulo matutino diebus ieiunii.**

Hodie etiam in communitatibus religiosis et apud timoratos fideles consuetudo exsistit, diebus ieiunii sumendi mane frustulum panis, vel alium leviorem cibum. Ecclesia istam consuetudinem cognoscit et tolerat. Moralistae communissime docent, hoc frustulum posse licite continere quantitatem 2 unciarum seu 60 grammata cibi solidi.

658 **Tempus ieiunii.** Dies ieiunii ecclesiastici de iure communi sunt:

a) *Tempus Quadragesimae.* Diebus tamen dominicis Quadragesimae multiplex refectio perfecta permittitur, non autem esus carnium, ovorum et lacticiniorum, ut supra dictum est, neque a fortiori permixtio epularum.

b) *Dies quattuor temporum*, nempe feria IV, VI et sabbatum infra hebdomadam tertiam Adventus, primam Quadragesimae, infra octavam Pentecostes, et tertiam hebdomadam Septembris.

c) *Plures vigiliae*, scil. Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Apostolorum omnium (exceptis SS. Philippi et Iacobi propter

---

[1] Quos videsis apud *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 1029 et Homo apost. tr. 12, n. 18.

[2] Cf. etiam *Göpfert*, Moraltheol. II 203. Iure merito *Capellmann* (Pastoralmed. 120) vocat sententiam oppositam «eine eigentümliche Ansicht der Moralisten», et *Génicot* (Theol. mor. I 437) scribit: «Neque aequum videtur permittere ditiori, ut octo uncias panis in vino intingat, dum eas comedit (quod S. Alphonsus licitum putat), pauperem autem prohibere, ne eandem quantitatem aqua coquat. Immo si recurritur ad communem existimationem et legis finem, quibus rationibus Lehmkuhl n. 1211 [1462] opinionem S. Alphonsi fulcire nititur, pauper iste, saltem in regionibus nostris, melius quam dives vino utens censebitur ieiunare et mortificationem exercere.»

[3] Theol. mor. l. 3, n. 1025.

tempus Paschale et S. Ioannis Evangelistae propter octavam Nativitatis D. N. I. Chr.), S. Ioannis Baptistae, S. Laurentii et Omnium Sanctorum. Fere nullibi autem ieiunium observatur in omnibus istis vigiliis. In aliquibus regionibus loco istius ieiunii observatur ieiunium feriae IV et VI Adventus. Si festum, in cuius vigilia ieiunandum est, cadat in feriam II, ieiunium non celebratur die dominica ob reverentiam dominicae resurrectionis, sed sabbato praecedenti.

d) *Pridie ante consecrationem* alicuius ecclesiae tum episcopus consecrans tum populus, qui petit sibi consecrari ecclesiam, ieiunare debet. Hinc si ecclesia parochialis consecratur, ieiunare debent praeter episcopum consecrantem omnes fideles ad parochiam pertinentes; sin autem ecclesia regularis consecratur, ad ieiunium tenentur episcopus consecrans et religiosi illi ecclesiae addicti [1].

Pro America Latina, insulis Antillis et ceteris insulis maris Caraibici lex 659
ieiunii et abstinentiae fere abolita est. Nam:

1. *Ieiunium et abstinentia* a carnibus servari non debet nisi sequentibus diebus Quadragesimae: feriis IV Cinerum, feriis V maioris hebdomadae et omnibus feriis VI istius temporis. Ergo Sabbato Sancto licet manducare carnes.

2. *Ieiunium sine abstinentia* servandum est feriis VI Adventus et feriis IV Quadragesimae.

3. *Abstinentia a carnibus sine ieiunio* servetur in quattuor pervigiliis festorum Nativitatis D. N. I. Chr., Pentecostes, Assumptionis in coelum B. M. V. et SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Etiam religiosi utriusque sexus (speciali voto non obstricti) de consensu suorum superiorum uti possunt istis indultis quoad abstinentias et ieiunia in propria regula sive statutis praescripta, saltem si isti religiosi sint *extra* claustra. Hortandi autem sunt superiores regulares, ut pro viribus abstinere curent ab usu huiusmodi indulti *intra* claustra [2]. Istud indultum concessum est die 1 Ian. 1910 ad decennium [3].

Personae ad ieiunium obligatae. 1. Praecepto *ieiunii eccle-* 660
siastici tenentur omnes baptizati, qui vigesimum primum annum expleverunt, nisi iusta aliqua causa excusentur. De istis causis excusantibus infra sermo redibit.

Ratio, quare adolescentes eximantur a ieiunio, optime assignatur a S. Thoma [4]: «In pueris maxime est evidens causa non ieiunandi: tum propter debilitatem naturae, ex qua provenit, ut indigeant frequenti cibo, et non multo simul assumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque in finem tertii septennii,

---

[1] Cf. Pontificale Rom. tit. de ecclesiae dedicat. In ordinatione clericorum, quae fit extra tempora, pro nemine exsistit obligatio ieiunandi. Ita saltem de iure communi (cf. *Gasparri*, De s. ordinat. II n. 771).

[2] Cf. Acta Apost. Sedis II 215—217.

[3] Cf. etiam S. C. de Neg. extraord. d. 13 Dec. 1911 et 10 Dec. 1912 (Acta Ap. Sedis III 669 et IV 730).

[4] S. theol. 2, 2, q. 147, a. 4 ad 2.

non tenentur ad ecclesiastica ieiunia servanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad ieiunandum exerceant, plus vel minus secundum modum suae aetatis.»

2. *Ad abstinentiam a cibis vetitis* tenentur omnes baptizati, qui septimum aetatis suae annum compleverunt.

Protestantes et generatim omnes acatholici, cum sint subiecti legibus ecclesiasticis, per se tenentur ad observantiam ieiunii ecclesiastici; attamen cum saepe versentur in bona fide cumque fere semper habeant causas excusantes, non sunt damnandi peccati mortalis, quando non ieiunant.

661 **Qualitas obligationis.** 1. Praeceptum ieiunii ecclesiastici obligat ex genere suo sub gravi peccato; transgressio tamen huius praecepti admittit parvitatem materiae. Ita docent omnes catholici moralistae. Ieiunium ecclesiasticum praecipi sub peccato mortali, patet ex propositione (23) ab Alexandro VII damnata: «Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter nisi ex contemptu vel inoboedientia hoc faciat, puta quia non vult se subicere praecepto.»[1] Hoc praeceptum admittere parvitatem materiae patet ex unanimi doctrina omnium theologorum. Quaenam autem sit parva materia in transgressione huius praecepti, non concordant theologi. Iuxta S. Alphonsum[2] in *esu carnis* prohibitae a lege abstinentiae censetur levis materia, quae non excedit octavam partem unciae, i. e. buccella carnis non excedens pondus 4 circiter grammata. Escobar putat unam unciam adhuc esse materiam levem[3]. In esu autem aliorum ciborum non prohibitorum certe levis est materia, si praeter 8 uncias coenulae vespertinae et 2 uncias frustuli matutini manducantur adhuc 2 unciae[4]. Non esset igitur peccatum mortale, si quis ad ieiunium obligatus praeter refectionem unicam completam sumeret in uno die adhuc 12 uncias ciborum. Utrum autem esset peccatum grave, si quis sumeret 14 uncias, non est certum. — Parvae comestiones eadem die sumptae coalescunt et gravem materiam constituere possunt, ut patet ex propositione (29) ab Alexandro VII damnata: «In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, etiamsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.»[5]

2. Communissime moralistae docent, *praeceptum abstinentiae esse praeceptum negativum, praeceptum autem ieiunii esse praeceptum affirmativum.* Proinde qui pluries manducat carnes diebus vetitis, tot peccata committit, quoties illicite manducat carnes[6]. Qui autem sive culpabiliter sive inculpabiliter ieiunium laeserit, e. g. per sumptionem secundae refectionis completae, probabiliter novum peccatum non committit, si tertio vel quarto manducat. Ita S. Alphonsus[7] et cum eo fere omnes moderni auctores, contradicentibus tamen quam plurimis antiquis, e. g. Navarrus, Billuart, Wigandt etc. Fatendum est, rationes

---

[1] *Denz.* n. 1123. [2] Theol. mor. l. 3, n. 1029 et Homo apost. tr. 12, n. 20.
[3] Cf. *Lacroix*, De ieiun. n. 1305.
[4] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 1025. [5] *Denz.* n. 1129.
[6] *S. Alph.* l. c. n. 1030; Homo apost. l. c. [7] L. c.

quas Billuart[1] affert pro sua sententia non esse spernendas, sed tamen cum non sint multiplicanda peccata mortalia sine evidenti necessitate, cumque Ecclesia hodiedum nihil determinaverit de hac controversia, sententia S. Alphonsi videtur esse praeferenda in confessionali. Sine sufficienti ratione autem docetur a nonnullis theologis, eum qui culpabiliter in diebus ieiunii duas completas refectiones sumpserit, non quidem committere peccatum mortale, sed *veniale* sumendo tertiam refectionem, quia talis homo agit contra finem legis, scil. negligendo mortificationem. Etenim finis legis non cadit sub lege, ut habet adagium communiter admissum, neque dici potest, huiusmodi hominem peccare contra mortificationem praescriptam; nam non exsistit in diebus ieiunii speciale praeceptum positivum mortificationis, praeter praeceptum ieiunii. Certo autem non violatur naturale praeceptum mortificationis triplici refectione, secus etiam aliis diebus triplex refectio esset veniale peccatum, utpote contra naturale praeceptum mortificationis.

Scholion. De liquido diebus ieiunii. Liquidum non frangit ieiunium, 662
dicit commune adagium. Unde licet pluries sumere liquidum diebus ieiunii ecclesiastici. Ita saltem iuxta modernam praxim; antiquis autem temporibus tempore ieiunii ecclesiastici etiam potus liquidi et praesertim vini videtur fuisse prohibitus[2]. Rationem liquidi et potus habent, quae communiter pro *vehiculo cibi* sumuntur; non autem ea omnia, quae licet sint liquida, tamen notabilem vim nutritivam habent. Quare excluduntur lac, chocolatum, iusculum, saltem in notabili quantitate, nam parum pro nihilo computatur; permittuntur autem vinum, cerevisia levis, caffe, the, aqua (etiam parva quantitate sacchari permixta), limonade etc. Electuaria[3] quoque permittuntur, saltem si in parva quantitate sumuntur. Ad rem scribit S. Thomas[4]: «Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter sumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.»

§ 3.

De lege abstinentiae extra dies ieiunii.

1. Abstinentia hic sumitur non pro virtute abstinentiae, sed pro 663
abstinentia ab esu carnium. Antiquis temporibus viguit usus in Ecclesia, ut fideles pluribus anni diebus non tantum abstinerent a carne, sed etiam a vino et oleo; hodie autem exsistit *extra tempora ieiunii et Quadragesimae sola obligatio* abstinendi ab esu carnium feriis sextis totius anni (exceptis feriis sextis, in quibus occurrit unum ex octo festis de praecepto servandis[5]). Paucissimis in locis exsistit adhuc

---

[1] De ieiun. diss. 2, a. 5.

[2] Cf. *Tertull.*, De ieiun. c. 12, 5, 9, et Const. apost. 5, 18.

[3] Vulgo *Kompott, Latwerge, confiture, electuary.*

[4] S. theol. 2, 2, q. 147, a. 6 ad 3.

[5] Sic enim statuit Pius X (Motu proprio d. 2 Iulii 1911: Acta Ap. Sedis III 306): «Quodsi in aliquod ex festis, quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio

obligatio etiam *quolibet sabbato* abstinendi ab esu carnium. Controvertitur inter theologos, num haec obligatio sabbatina adsit in illis locis vi legis universalis an tantum vi legis particularis. Si lex universalis praescripsit et praescribit abstinentiam sabbatinam, tunc quoque peregrini in istis locis degentes tenentur abstinentiam observare; secus autem si sit tantum praescriptum legis particularis, quia peregrini tenentur legibus universalibus, quae in aliquo loco, ubi versantur, adhuc vigent, licet in eorum domicilio habeatur dispensatio. Cum autem non habeatur expressa lex universalis praescribens abstinentiam sabbatinam, peregrini non sunt inquietandi, si versantes in talibus locis carnes manducant sabbato, dummodo tamen inde nullum scandalum oriatur [1]. — Leo XIII concessit per decretum S. Officii d. 5 Dec. 1894 omnibus et singulis locorum Ordinariis (et quidem pro perpetuis futuris temporibus, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicae dispensationis), ut possint anticipare die sibi bene visa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando sollemne aliquod festum cum magno populi concursu celebrandum inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore Quadragesimae, diebus quattuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis. Inter causas gravissimas, ob quas episcopus non solum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valet etiam grave periculum generale, quod abstinentia anticipanda non observetur [2].

2. Lex abstinentiae obstringit omnes fideles usu rationis pollentes, qui septimum aetatis suae annum expleverint. Infantes ergo et perpetuo amentes non ligantur lege abstinentiae, sed nihilominus parentes hortandi sunt, ut filios bona valetudine gaudentes quantocius assuescant ad legem abstinentiae etiam ante primum septennium, quo facilius postea legem observent.

3. Lex abstinentiae (etiam extra ieiunium) obligat per se *sub gravi;* datur tamen parvitas materiae in transgressione huius legis, sicut iam supra dictum est. Quaenam materia sit gravis, non concordant theologi; videtur tamen sententia propugnata a Stoz [3], Noldin [4], Tanquerey [5], asserens non adesse peccatum mortale, nisi scienter et sine ulla ratione

---

consecratus, ab utroque dispensamus; eandemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac nostra lege abolitis concedimus, si tamen sollemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.»

[1] Optime de hac re disserit Benedictus XIV (De syn. dioec. l. 11, c. 5, n. 5) explicans statutum Gregorii VII (anni 1078) et afferens responsum Innocentii III. Ex quibus apparet abstinentiam sabbatinam non obligare vi legis universalis, sed vi consuetudinis. Responsio S. Officii d. 10 Ianuarii 1855 declarans peregrinos oriundos ex Belgio (ubi abstinentia sabbatina non viget) non posse die sabbati carnes comedere in locis, in quibus viget lex abstinentiae, videtur esse particularis. Unde sententia proposita, iuxta quam peregrini possunt licite manducare carnes die sabbati, dummodo desit scandalum, videtur tuta esse in praxi. Ceterum casus est vix possibilis in praxi, cum fere ubique terrarum hodie permittatur esus carnium die sabbati extra tempora ieiunii.

[2] S. Offic. d. 18 Martii 1896; cf. etiam S. C. Conc. d. 3 Maii 1912.

[3] Trib. poenit. I, n. 528. [4] De praeceptis n. 674.

[5] Synopsis Theol. mor. n. 1130.

manducentur duae unciae carnis, nimis benigna. Cum in praxi pondus carnis non possit ita facile a simplicibus fidelibus taxari, melius est, illis dicere, tunc adesse peccatum mortale, si quis sine ulla ratione scienter manducat carnes ad quantitatem nucis iuglandis vel parvi ovi gallinacei. Lex abstinentiae est lex negativa, et proinde toties quis peccat, quoties in die prohibito carnes manducat, ut iam supra n. 661 dictum est; sed de facto multi violatores putant, se semel peccasse, etiamsi pluries in die carnes manducaverint. Itaque confessarius saepe non tenetur interrogare poenitentem, qui se accusat de transgressione legis abstinentiae, quoties quolibet die carnes manducaverit, sed sufficit scire, quot diebus abstinentiam non servaverit.

4. Causae excusantes a lege abstinentiae sunt eaedem, quae infra afferentur tamquam excusantes a lege ieiunii. Amplae dispensationes circa legem abstinentiae solent esse concessae militibus et nautis, qui paucis diebus exceptis, possunt semper manducare carnes. Similiter famuli servientes in domibus acatholicorum nec valentes facile invenire aeque bonum servitium in domibus catholicorum possunt manducare carnes diebus prohibitis. In Germania licite manducantur carnes ab hospitibus, qui coenam sumunt in cauponis nec facile alios cibos habere possunt. Personis, quae sunt in potestate patris familias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permittuntur cibi, qui indulgentur ipsi patrifamilias. Ratio autem huius permissionis non est indultum patrifamilias concessum, sed moralis impotentia, in qua versantur filii familias observandi praeceptum [1].

§ 4.

De causis excusantibus a lege ieiunii et abstinentiae.

Omnes causae excusantes revocare possunt ad duas generales, scil. a) ad *dispensationem* et b) ad *impotentiam* (sive physicam sive moralem).

a) **Dispensatio.** 664

Lex ieiunii, cum sit lex ecclesiastica, eodem modo relaxari potest sicut ceterae leges positivae, ideoque in lege ieiunii dispensare potest:

1. Papa pro tota Ecclesia. Immo Papa potest ieiunium ecclesiasticum abolere ex rationabili causa, sicuti iam aliquando fecit pro quibusdam regionibus, cum aliqua epidemia ibi grassabatur.

2. Episcopi et praelati regulares cum subditis suis singillatim, *sed non cum tota communitate.* Hinc praelatus regularis potest unum vel plures suorum subditorum dispensare in ieiunio ex rationabili causa, sed non totam communitatem. Ratio est, quia episcopi et praelati regulares hoc modo possunt dispensare in omnibus legibus ecclesiasticis, nisi id sit illis specialiter prohibitum.

3. Ex delegatione autem dispensare possunt in lege ieiunii, quotquot a Summo Pontifice ad hoc *specialiter* delegantur. Quae quidem

[1] Cf. S. Poenit. d. 19 Ian. 1834 et d. 27 Maii 1863.

delegatio solet concedi omnibus episcopis et (mediantibus illis) confessariis. Quousque se extendat talis delegatio, videndum est ex rescriptis obtentis. — Quando conceditur indultum manducandi carnes vel alios cibos prohibitos, solet utentibus huiusmodi indulto imponi aliqua *eleemosyna* elargienda. Attamen pauperes loco eleemosynae possunt recitare quasdam preces determinatas. Quod quidem etiam pro Hispania valet, ubi adhuc exsistit Bulla Cruciata. Nam S. Congregatio Conc. d. 22 Ian. 1910 statuit: «Pauperes, ut fruantur indulto quadragesimali, non teneri ad eleemosynam elargiendam; teneri autem, si frui velint aliis privilegiis Bullae Cruciatae.» [1] — Notandum est, nullum confessarium posse *auctoritate propria* dispensare in lege ieiunii; posse tamen *declarare* casu occurrente, adesse rationes sufficientes non ieiunandi. Idem ius declarandi habent superiorissae monialium respectu subditarum suarum. Quando episcopus dedit facultatem dispensandi omnibus confessariis, tunc confessarius potest etiam *se ipsum* dispensare; quod tamen in praxi non expedit, cum nemo debeat esse iudex in propria causa. Nisi expresse sit dictum in facultate dispensandi, confessarium gaudere tali facultate *in sacramentali confessione* vel *in tribunali poenitentiae,* confessarius potest licite dispensare in lege ieiunii *etiam extra confessionale.* — Si causa excusans est evidens et certa, quilibet potest se ipsum eximere a ieiunio, praesertim si secus aliquod notabile incommodum occurreret.

665 b) **Impotentia.**

Cum lex ieiunii ecclesiastici sit lex positiva, non obligat cum magno incommodo, sed quaelibet seria impotentia (etiam moralis) excusat. Hinc excusantur:

1. *Omnes infirmi et convalescentes,* omnes qui ex ieiunio notabilem dolorem capitis aut stomachi haberent. Senes quoque *sexagenarii* iuxta communissimam sententiam auctorum excusantur a ieiunio; senectus enim et ipsa est morbus. Sunt quidam auctores, qui omnes mulieres *quinquagenarias* eximunt a ieiunio, sed plures alii merito contradicunt; nam non est, cur mulieres mitius in hoc puncto tractentur, saltem si non laborent speciali infirmitate. Experientia enim constat, mulieres facilius posse sustinere ieiunium quam viri. Sufficit autem tum pro viris tum pro mulieribus sexagesimus annus *incohatus.* Pariter excusantur mulieres praegnantes aut lactantes, cum ieiunando nocerent proli.

2. *Pauperes,* qui non habent sufficientes cibos, vel quorum cibi non sunt sufficienter nutritivi. Unde non tantum excusantur illi, qui mendicare coguntur, sed etiam quam plurimi alii homines minoris conditionis, qui parvo cibo nutriuntur et nihilominus sat graves labores peragere coguntur. Nostris diebus et in nostris regionibus ob istam rationem magna pars catholicorum excusatur a stricta observantia ieiunii ecclesiastici.

3. Omnes, qui graves labores *corporales* peragere debent. Ad hoc autem, ut aliquis labor dicendus sit gravis, non requiritur gravitas *absoluta* (idem enim labor potest esse pro uno gravis et pro altero levis), sed ut coniunctus sit cum magna defatigatione laborantis. Eiusmodi labores defatigantes exercent

[1] Acta Ap. Sedis II 117.

e. g. fabri ferrarii, lignarii, murarii, fossores, sutores calceorum, agricolae plures, pistores, et quam plurimi alii, qui operantur in officinis, ubi machinae vapore aut electricitate motae nervos valde excitant et defatigant. Prudentis viri aut confessarii est determinare, quinam labores sint graves visis omnibus personarum et rerum adiunctis. Item saepe excusantur a ieiunio iter facientes; et non tantum illi, qui pedibus iter 4—5 leucarum peragere debent (ut volunt veteres moralistae), sed etiam, qui per totam diem in via ferrea aut in navi iter perficiunt; nam experientia constat, etiam huiusmodi itinera multum defatigare, et praeterea saepe non haberi sufficientem refectionem perfectam ob defectum sive sufficientis temporis sive sufficientis famis propter excitationem nervorum.

4. Omnes, qui valde defatigantes labores *spirituales* peragunt, e. g. studentes, qui multum student; professores, qui post laboriosam praeparationem lectiones tradunt, vel qui quotidie per plures horas instructiones dare debent, ut ludimagistri; confessarii, qui per plures horas, e. g. per 6—8 horas confessiones in uno die audiunt; concionatores, qui cum magna corporis agitatione et praeparatione mentis qualibet hebdomada saepius (per horam circiter) conciones habent.

Nota. 1. Confessarii non praebeant se nimis difficiles in concedenda dis- 666
pensatione ieiunii, cum nostris diebus non sint ita multi fideles laici, qui ieiunium ecclesiasticum perfecte observare possunt; aut enim laboribus valde defatigantibus sunt onusti, aut utuntur sanitate debili, aut vivunt in talibus circumstantiis, ut adsit causa sufficiens dispensandi in ieiunio ecclesiastico. Attamen confessarii pro viribus conentur, ut fideles dispensati a ieiunio alia opera mortificationis aut religiositatis peragant tempore ieiunii secundum eorum capacitatem et bonam voluntatem. Plurimum enim interest, ut fideles sint intime convicti de necessitate mortificationis faciendae ac de obligatione oboediendi mandatis Ecclesiae. Hinc confessarius consulat vel etiam iniungat, ut fideles ieiunare non valentes saltem abstineant a cibis delicatioribus non necessariis ad sanitatem; vel ut se privent voluntarie quibusdam voluptatibus ceteroquin licitis; vel ut internas concupiscentias efficacius refrenent, ut frequentius Missae et officiis liturgicis intersint; uno verbo, ut tempore ieiuniorum *vitam christianam ferventem ducant.*

2. Quando per episcopos conceditur dispensatio ad esum carnium, ovorum et lacticiniorum diebus ieiunii, solent imponi loco ieiunii et abstinentiae quaedam orationes dicendae aut eleemosynae elargiendae. Sane qui utitur huiusmodi dispensatione, *tenetur* aut dicere orationem praescriptam aut dare eleemosynam; sed nihilominus haec obligatio *non est gravis,* cum dispensatio sit concessa absolute et non tantum conditionate. Praeterea gravis obligatio numquam est praesumenda, sed certo de illa constare debet; porro episcopi concedentes huiusmodi dispensationem non loquuntur de gravi obligatione istarum orationum et eleemosynarum. Si eleemosyna praescribatur pro determinato fine, tunc etiam in hoc puncto oboediendum est episcopo, sed etiam sub levi et non sub gravi.

ARTICULUS II.

De vitio opposito virtuti abstinentiae, scil. de gula.

Abstinentiae, quae est virtus moralis inclinans ad moderatum usum 667
ciborum, prout recta ratio aut fides determinaverit, opponitur vitium

gulae, de qua iam supra I, n. 425 inter vitia capitalia quaedam praelibavimus, et quae definiri potest: *inordinatus appetitus edendi et bibendi*[1]. Iuxta S. Gregorium[2] et S. Thomam[3] inordinatio in usu cibi et potus accidere potest quinque modis, qui continentur hoc versiculo:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Praepropere, si quis debitum tempus comedendi praeveniat, praesertim si quis saepius, quam par est, comedat aut bibat. Hoc modo peccant illi pueri et puellae, quae fere per totum diem cupedia manducant.

Laute, si quis sumat cibos aut potum nimis pretiosum. Hoc modo peccant illi, qui supra statum suum pecuniam expendunt in epulis opiparis construendis, e. g. si homo infimae conditionis emat et bibat vinum «Champagne».

Nimis, si quis ultra suum appetitum comedat, praesertim usque ad vomitum. Hoc modo non tantum peccaverunt veteres Romani, qui post amplam sumptionem ciborum ope alicuius instrumenti se ad vomitum excitabant, ut iterum possent incipere manducationem, verum etiam illi ganeones moderni, qui tam lautos et copiosos cibos comedunt, ut postea indigeant pharmacis diversis ad digestionem ciborum peragendam et ad humores pravos congestos eluendos.

Ardenter, si quis nimis avide cibos sumat. Hoc modo peccant illi, qui instar porcorum se super cibos effundunt, illos avide devorantes.

Studiose, si quis quaerat cibos nimis delicate conditos et praeparatos. Hoc modo peccant illi, qui nimis amant cibos multo pipere aliisque condimentis fortibus praeparatos. Ex huiusmodi enim cibis non tantum laeditur valetudo corporalis, *sed etiam appetitus sensualis instigari solet.*

Effectus seu filiae gulae enumerantur a S. Thoma[4] quinque, scil.:

Inepta laetitia, qua homo gaudet de illis, quae visis omnibus circumstantiis nullam delectationem ex se nata sunt causare secundum iudicium rectae rationis. Hinc videmus gulosos multum tempus insumentes ad propriam recreationem, officia autem status sui negligenter peragentes.

Multiloquium et *scurrilitas.* Homo gulosus, cuius deus est venter, quaerit inordinate delectationes carnales, fugit autem ea, quae ardua sunt; hinc omittendo laborem strenuum, quaerit distractiones apud homines, et inde tempus suum insumit in vanis locutionibus, immo et in iocis scurrilibus.

Hebetudo mentis. Iam vetus adagium dicit: «Plenus venter non studet libenter.» Ex stomacho enim pleno ascendunt fumositates in cerebrum, ita ut intellectus tunc nequeat exercere strenuam activitatem.

Immunditia, «quae potest attendi sive secundum inordinatam emissionem quarumcumque superfluitatum, vel specialiter quantum ad emissionem seminis»[5]. Gulosus enim hebetatus in mente, debilitatus in voluntate, totus deditus ventri suo, quomodo poterit superare tentationes libidinis excitatae per immoderatos cibos?

Malitia gulae ex se, i. e. abstractione facta ab effectibus eius malis modo enumeratis et a scandalo non raro oriente (praesertim si clericus est addictus illi), est *peccatum veniale*[6]. Ratio est, quia excessus in re secus licita, qualis est sumptio cibi et potus, ex se non est nisi peccatum veniale. Per

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 148, a. 1. [2] Moral. l. 30, c. 13. [3] L. c. a. 4.
[4] Ib. a. 6. [5] Ib.
[6] Cf. *S. Thom.*, S. theol. 2, 2, q. 148, a. 2 et 3; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 5, n. 73.

accidens gula potest fieri peccatum mortale [1], e. g. si graviter nocet sanitati, si reddit hominem ineptum ad officia sui status adimplenda, si causat scandalum etc. In praxi confessarius non tam sit sollicitus ad iudicandum de gravi culpabilitate gulae quam ad efficacia remedia strenue consulenda.

Non quidem peccati gulae statim arguendus est ille, qui cibum delectabilem delectabiliter sumit, cum ipse Creator annexuit alimentis sumendis delectationem; sed nihilominus oportet animadvertere ad propositionem (8) ab Innocentio XI damnatam: «Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.» [2]

Remedia contra gulam iam supra I, n. 428 indicata sunt, ubi sermo fuit de peccatis capitalibus.

ARTICULUS III.

De sobrietate et vitio opposito, i. e. de ebrietate.

1. De sobrietate. 668

Sobrietas sumitur in triplici sensu: 1. *generaliter*, et tunc significat moderationem in quacumque materia; hoc sensu S. Paulus hortatur: «sapere ad sobrietatem» [3]. 2. *Strictius* sumitur pro virtute abstinentiae; hi enim dicuntur sobrii, non solum qui parce bibunt, sed etiam qui parce manducant. 3. In *proprio sensu* sumpta sobrietas definiri potest: **virtus moderans affectum et usum potus inebriantis.**

Sobrietas hoc modo sumpta est *virtus specialis*, quia potus inebrians speciale est impedimentum rationis, in quantum scil. sua fumositate perturbat cerebrum. Cum enim delectatio immoderata alterius potus solum ordinem rationis perturbet, haec delectatio immoderata potus inebriativi *ipsum organum* rationis, scil. cerebrum, perturbat eiusque actionem impedit [4]. — Insuper ubi solent esse speciales tentationes allicientes ad agendum contra rationem, ibi specialis virtus moralis ponenda est ad superandas tales tentationes. Atqui potus inebrians multum allicit hominem ad agendum contra rectam rationem, ut patet eheu! quotidiana experientia. Ergo ponenda est specialis virtus moralis ad recte moderandum affectum et usum potus inebriantis, quae quidem virtus est sobrietas.

Quamvis sobrietas omnibus hominibus sit necessaria, tamen, docente S. Thoma [5], imprimis necessaria est iuvenibus, mulieribus et personis in aliqua dignitate constitutis. *Iuvenibus* quidem valde necessaria est sobrietas, quia propter fervorem sanguinis est in eis maior pronitas ad concupiscentias, quas oportet refrenare per sobrietatem. *Mulieribus* autem sobrietas maxime necessaria est, quia experientia lugubri testante mulier ebrietati dedita ruit in omne dedecus et vitium. *Personis in aliqua dignitate constitutis* (praesertim ecclesiasticis personis) sobrietas perquam necessaria est, quia in eis

---

[1] Cf. supra I, n. 426. [2] *Denz.* n. 1158.
[3] Rom 12, 3. [4] Cf. *Caietanus*, Comm. in 2, 2, q. 149, a. 2.
[5] S. theol. 2, 2, q. 149, a. 4.

ratio vigere debet ad aliorum eruditionem. Porro ratio perturbatur ebrietate et personae in dignitate constitutae solent sperni ab inferioribus, si saepe peccant contra virtutem sobrietatis.

669 2. **De ebrietate.**

Notio. Ebrietas dupliciter accipi potest: uno modo, *passive* prout significat ipsum defectum rationis, qui accidit e. g. ex multo vino potato, ex quo fit, ut homo non sit compos rationis, et secundum hoc ebrietas est aliquis morbidus status et potius *poena* ac defectus sequens ex culpa praecedenti; alio modo *active* prout ebrietas nominat actum, quo quis in hunc defectum incidit; qui quidem actus potest causare ebrietatem dupliciter: uno modo ex nimia vini fortitudine praeter opinionem bibentis; et sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato (hoc modo creditur Noe inebriatus fuisse); alio modo ex inordinata concupiscentia et usu vini vel alterius materiae inebriantis; et sic ebrietas ponitur esse peccatum, et continetur sub gula generatim sumpta, sicut species sub genere; dividitur enim gula generatim sumpta in comessationem et ebrietatem [1]. Ebrietas (prout est peccatum) potest ergo definiri:

Voluntarius excessus in potu (materia) inebriante usque ad violentam privationem usus rationis commissus ex inordinata concupiscentia liquoris inebriantis, i. e. sine relatione ad valetudinem tuendam.

Dicitur 1°: *voluntarius excessus;* etenim nullus actus est peccatum, si desit voluntas. Unde peccatum ebrietatis non adest, nisi a bibente potuit et debuit praevideri excessus atque privatio usus rationis. Insuper requiritur, ut adsit revera *excessus,* i. e. ut potus sit prorsus contra rectam rationem; unde si esset potus etiam adducens privationem usus rationis, qui tamen iuxta rectam rationem sumptus esset, peccatum ebrietatis non constitueretur. Hoc videtur esse etiam mens S. Thomae scribentis: «Cibus et potus est moderandus secundum quod *competit corporis valetudini.* Et ideo sicut quandoque contingit, ut cibus vel potus, qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest e converso contingere, ut ille, qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo, cum aliquis multum comedit vel bibit secundum consilium medicinae ad vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus vel potus.» [2]

Dicitur 2°: *in potu seu materia inebriante;* nam si est alius potus, tunc excessus non constituit inebrietatis, sed gulae peccatum. Non est tamen nimis insistendum in verbo *potus;* etenim illi, qui etiam ope aliarum materiarum contra rectam rationem se privant usu rationis, committunt idem peccatum, quod est ebrietas. Huiusmodi peccata sunt abusus opii, contra quem S. Congregatio de Prop. Fide plura statuta tulit; pariter abusus morphii, qui est ita nefastus et qui fere semper in sic dictam morphiomaniam excrescit, et generatim abusus omnium mediorum, quae a medicis vocantur anaesthetica.

Dicitur 3°: *usque ad violentam privationem usus rationis;* nam usus rationis modo naturali intercipitur per somnum. Si per potum accidit perfecta privatio

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 150, a. 1. [2] Ib. a. 2 ad 3.

violenta usus rationis, est perfecta quoque ebrietas; sin autem usus rationis non complete perditur, tunc est ebrietas imperfecta. Ebrietate perfecta laborare censetur e. g. ille, qui post sumptionem potus inebriantis plane insolita agit, qui iam nescit discernere inter bonum et malum, qui sequenti die non recordatur etiam rerum notabilium, quas sub influxu potus inebriantis dixit aut fecit. Ebrietas autem censetur imperfecta, si phantasia est quidem parumper perturbata, lingua non ita expedita, sensus aliquatenus obnubilati, pedes vacillantes, sed homo remanet tamen adhuc compos sui nihilque agit irrationale.

Dicitur 4°: *ex inordinata concupiscentia liquoris inebriantis.* Sunt quidem plures theologi (Billuart, Concina, Collet), qui non admittunt hanc clausulam, docentes ebrietatem adesse etiamsi potus inebrians non est sumptus ex inordinata concupiscentia, sed ex alia ratione. Attamen id videtur esse alienum tum a veritate tum a mente Angelici Doctoris, qui in loco supra citato ad peccatum ebrietatis requirit, ut excessus in potu inebriante fiat ex inordinata concupiscentia et usu vini [1]. — Hodie nullus moralista dicet esse illicitum, si quis ad evitandam febrim typhoicam iamiam imminentem sumit (ut aliquando a medicis consulitur) tantam quantitatem Cognac, ut in ebrietatem cadat. Talis enim quantitas istius liquoris inebriantis est mera medicina, nec ulla videtur esse inordinatio, si quis ad breve tempus se privat usu rationis ob sanitatem servandam; secus etiam illicitum esset uti chloroformio aliisque pharmacis narcoticis ante operationem chirurgicam; quod sane nemo dicet. Nihilominus non licet inde inferre, tunc solum adesse peccatum inebrietatis, quando quis liquorem inebriantem cum delectatione *sensibili* sumpsit; etenim saepe accidit, ut homo excedat in potu inebriante ob vanum timorem humanum, ob tristitiam pellendam etc. sine ulla voluptate; et tamen certum est, etiam in istis circumstantiis adesse peccatum ebrietatis. Sufficit igitur ad peccatum ebrietatis, ut quis sumat cum excessu liquorem inebriantem usque ad privationem usus rationis, *quin valetudo corporalis* hoc postulet. Potus enim a Creatore ordinatus est ad valetudinem corporis; proinde homo peccat, si aliter illo utitur, praesertim usque ad privationem usus rationis. Ergo numquam licet se inebriare nisi propter sanitatem corporalem servandam, quia secus semper adest inordinatio contra voluntatem Creatoris. Unde non recte docent illi doctores (Lessius, Busenbaum, Lacroix, Noldin etc.), qui asserunt ebrietatem malam non esse, *si ex quocumque motivo honesto inducitur,* «modo damnum temporariae privationis usus rationis a bono, propter quod illud permittitur, sufficienter compensetur et turbatio rationis non intendatur» [2]. S. Augustinus [3] contrarium dicit: «Solent ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit, ut amplius bibam, et in convivio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista praetendimus.... Etiamsi usque ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibes, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.» Acri satyra Concina [4] invehitur in istos auctores: «P. Busenbaum posuit in definitione ebrietatis, illicitam eam esse sine iusta et gravi causa. Contra, si iusta et gravis causa adsit, tum licita et honesta evadit. Prodenda est civitas? Inebrietur proditor. Abducendus

---

[1] Cf. etiam S. theol. 1, 2, q. 88, a. 5 ad 1. [2] *Noldin,* De principiis n. 342.

[3] Sermo 232 seu verius *S. Caesarius,* Sermo 245 in append. operum S. Augustini (*Migne,* Patr. lat. 39, 2307).

[4] De pecc. et virt. l. 4, n. 12.

es in servitutem? Inebrietur praedator. Iniuste detineris in carcere? Inebria custodem. Dormire nequis? Te inebria. Recusat ille manifestare secretum, quod manifestare tenetur? Inebria illum. Somnia videntur haec.»[1]

670 **Malitia ebrietatis.** *Ebrietas perfecta (sicut modo explicata est) peccatum mortale est ex genere suo.* Ita sententia communissima et certa. Probatur:

1. *Ex S. Scriptura,* quae vehementer reprobat ebrietatem eamque recenset inter peccata, quae a regno Dei excludunt: «Neque fures, neque avari, neque ebriosi . . . regnum Dei possidebunt.»[2]

2. *Ex S. Thoma,* qui haec habet: «De ebrietate vero dicendum est, quod secundum suam rationem habet, quod sit peccatum mortale. Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur et multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti.»[3] Cum autem Angelicus Doctor ita expresse doceat, ebrietatem secundum suam rationem esse peccatum mortale, alii loci operum ipsius, in quibus non ita expresse loquitur, interpretandi sunt iuxta textum Summae theologicae, quae est eius principale et perfectissimum opus. Loca autem sic interpretanda sunt: II, dist. 24, q. 3, art. 6; De malo q. 7, art. 4 ad 1; De malo q. 2, art. 8 ad 3; cf. etiam Commentarium Caietani in 2, 2, q. 150, art. 2.

3. *Ex ratione.* Graviter repugnat rectae rationi, a) quod homo sciens et volens se privat violenter usu rationis ex voluptate vini, quin necessitas sanitatis id exigat; b) quod se exponit periculo peccandi; c) quod pluribus aliis malis, e. g. sanitatis, familiae, fortunae, societatis etc., ansam proximam praebet, sicuti solet fieri per ebrietatem; insuper d) ebrietas est gravis abusus potus concessi nobis a Creatore unice ad sanitatem corporis conservandam. Homo enim est villicus Dei, ac proinde nequit uti rebus ad libitum suum, sed secundum voluntatem Dei. Ergo ebrietas voluntaria est peccatum mortale ex genere suo. Immo ebrietas perfecta, plene voluntaria et sine respectu ad utilitatem sanitatis corporalis procurata videtur esse semper peccatum mortale, ideoque non est vera sententia propugnata a Lacroix[4], Noldin[5] aliisque dicentibus etiam perfectam ebrietatem non esse peccatum mortale, nisi protrahatur *ultra horam.* Etenim quotiescumque perfecta ebrietas adest, etiam committitur tota eius malitia, quae minime unice consistit in inordinata violentaque privatione usus rationis, sicuti probatum est. Parvitas igitur materiae in ebrietate non est pensanda iuxta *durationem* eius, sed iuxta maiorem minoremve abusum potus inebriativi.

Ebrietas *imperfecta* est ex se solum peccatum veniale. Immo exsistente sufficienti causa etiam extrinseca, e. g. ad melancholiam pellen-

[1] Consentit *S. Alph.*, Theol. mor. l. 5, n. 76.
[2] 1 Cor 6, 10; cf. Is 5, 11; Gal 5, 21.
[3] S. theol. 1, 2, q. 88, a. 5 ad 1; cf. 2, 2, q. 150, a. 2.
[4] Apud *S. Alph.* l. c. [5] De principiis n. 343.

dam, in nuptiis aliisque festivitatibus mundanis, nullum est peccatum, nisi tamen inde scandalum aliudve grave incommodum oriatur. Hinc bibere usque ad hilaritatem per se non est illicitum [1]. Clericus autem, paterfamilias aliique personae in dignitate constitutae evitare debent huiusmodi hilaritatem, quoniam facile exinde oriri potest scandalum. — Quaerunt hic auctores, num sit grave peccatum ebrietatis, si quis tantam quantitatem liquoris inebriativi sumit, ex qua naturaliter sequeretur ebrietas, nisi illa prohiberetur artificiose, e. g. per aliquod pharmacum vel per vomitum studiose procuratum? Illi, qui ponunt essentiam ebrietatis in violenta privatione usus rationis per potum inebriativum, debent respondere negative, cum privatio usus rationis reapse non adsit; sed in hoc casu certo habetur enormis excessus in potu ebriativo, licet per accidens non sequatur privatio usus rationis. Insuper ex tali modo agendi solet sanitas graviter laedi atque scandalum dari. Unde in praxi tales helluones vix excusantur a peccato mortali.

Corollaria. 1. Ex dictis sequitur, ut ebrietas numquam licita sit 671
neve liceat alium *directe* inducere ad ebrietatem. Sicut enim non licet aliquem inducere ad fornicationem, utpote contra legem naturalem exsistentem, ita nec etiam licet aliquem inducere ad ebrietatem. Plures quidem theologi [2] docent, esse licitum aliquem inducere etiam ad ebrietatem *formalem*, ut ille impediatur a graviori malo, puta sacrilegio vel homicidio committendo. Sed iure merito id ab aliis negatur, quia hoc nihil aliud esset nisi peccatum positive suadere. Sane licet ex gravi causa cooperari *materialiter* ad ebrietatem, ut supra I, n. 619 dictum est de cooperatione; proinde licet ex gravi causa proponere liquores inebriantes illis, qui praevidentur se esse inebriaturos. In praxi tunc applicandae sunt regulae datae de voluntario indirecto, quandonam scil. liceat ponere causam, ex qua sequitur duplex effectus, alter bonus, alter malus [3].

2. Peccata in ebrietate commissa eo modo imputanda sunt, quo sunt praevisa. Ita saltem, si agitur de ebrietate perfecta, qua usus rationis penitus perditur; nam peccata perpetrata in ebrietate imperfecta imputantur saltem partialiter, licet non fuerint praevisa, quia tunc ratio non est totaliter obnubilata. Generatim loquendo peccata, quae in prima perfecta ebrietate commissa fuerunt, non sunt peccata mortalia, cum nec in confuso potuerint praevideri. Peccata autem, quae committuntur durante ebrietate ab illis bibulis, qui habent pravum habitum se inebriandi, communiter debent imputari, quia potuerunt et debuerunt praevideri.

De usu morphii, opii, cocaini, chloroformii, aetheris aliorumque narcoticorum remediorum. 672

Antiqui auctores non loquuntur de istis rebus, quippe quae tunc temporis ignotae fuerint; nostris autem temporibus haec remedia sunt

[1] *Noldin* l. c. n. 342.

[2] Busenbaum, Lessius, Sanchez, Diana, Gobat, S. Alphonsus (Theol. mor. l. 5, n. 77), Göpfert (Moraltheol. II, n. 208) etc.

[3] Cf. supra I, n. 57.

in quotidiano usu. Omnia ista remedia in magna quantitate sumpta sunt mortifera, immo aliquando etiam moderate et iuxta postulationem artis adhibita subitaneam mortem causant. Iuxta modernam statisticam recensionem, quibusque 2907 vicibus, in quibus a medicis adhibitum fuit chloroformium, mors semel accidit[1]. Ergo semper aliquod, licet non ita proximum periculum vitae coniunctum est cum usu huiusmodi medicamentorum. Accedit, quod talis usus etiam moderatus, si per longius tempus durat, sanitati corporis graviter nocet et vehementissimam morphii etc. cupidinem provocat, quae vocatur a medicis morphiomania aliisque nominibus et quae multo difficilius vinci potest quam habitus etiam inveteratus ebrietatis. Ex quibus omnibus patet, usum huiusmodi remediorum esse periculosum et vitandum, *nisi necessitas aliter postulet.* Et hoc quidem eo vel magis, quia omnia ista narcotica remedia usum rationis ad tempus intercipiunt. Unde grave peccatum est, uti istis remediis sine gravi causa. Licitus autem videtur eorum usus in sequentibus casibus, *dummodo tamen illa semper adhibeantur iuxta regulas artis medicinae:*

1. In operationibus chirurgicis maioribus, ut scil. infirmus sine resistentia se permittat manibus chirurgi neve sentiat acerbos dolores.

2. Ad leniendos dolores etiam non ita atroces, saltem si agitur de narcosi valde brevi, qualis est illa, quae causatur ope debiliorum narcoticorum, e. g. *Lachgas, laughing gaz, gaz hilarant;* vel si agitur de narcosi imperfecta, in qua non penitus tollitur usus rationis. Tales narcoses licitae videntur in extractione dentis, in partu etiam ordinario[2]. Num in articulo mortis liceat administrare moribundo remedia narcotica, ut dolores non ita vehementer sentiat, seu ad procurandam sic dictam euthanasiam *(εὖ, θάνατος)*, non concordant moralistae. Melius sane est, si hoc non fiat, cum moribundus patienter tolerando istos dolores poenas peccatorum et purgatorii alleviet; sed si dolores sint nimis atroces et praesertim si adsit fundatus timor, ne moribundus peccet peccatis impatientiae et murmurationis contra Deum, non est cur medicus non possit administrare remedia soporativa.

673 **Scholion. De remediis contra alcoholismum.** Nostris diebus alcoholismus, i. e. vitium nimis indulgendi liquoribus inebriantibus, late serpit fere in omnibus regionibus, et inde gravissima mala oriuntur. Vix possibile est enumerare omnia mala, quae oriri solent ex alcoholismo. Optimi viri scripserunt integros libros de relatione arcta inter alcoholismum et criminalitatem[3]. Remedia contra nefastum malum alcoholismi quilibet sacerdos pro viribus commendare et divulgare tenetur. Primum autem et optimum remedium est *bona instructio* de istis malis, et quidem non solum saepe ex pulpito danda in ecclesia, verum praesertim etiam iuvenibus in scholis et collegiis. Alterum idque efficax remedium est *bonum exemplum* tum parentum tum praesertim sacerdotum. Prorsus frustra loqueretur parochus contra alcoho-

---

[1] Cf. *Capellmann,* Pastoralmed. 44. [2] Cf. ib. p. 47.

[3] Cf. *Hugo Hoppe,* Alkohol und Kriminalität; *C. Wright,* Influence of intemperance upon crime; *Yvernes,* L'influence de l'ivresse et de l'ivrognerie sur la criminalité.

lismum, si et ipse esset potator aut nimis indulgens vino. Tertium remedium sunt illae *consociationes temperantiae,* quae nostris temporibus feliciter in omnibus regionibus sunt institutae. Quas consociationes non tantum non parvi faciant sacerdotes, verum etiam prudenter foveant. Iam innumeri viri et feminae ebrietati addicti ope istarum societatum a vitiis suis curati sunt. Demum efficax remedium praebet *exercitium diligens religionis christianae,* quae inculcat temperantiam et mortificationem. Sin autem omnia haec remedia aut spernuntur ab ebriosis aut nullum effectum produxerunt, tunc curandum est, ut tales homines recipiantur in aliquo *hospitio curandis alcoholicis destinato.* Quod quidem ultimum remedium fere semper necessarium est pro illis, qui sunt morphinismo addicti. Experientia enim constat, huiusmodi morphiomaniacos perdidisse omnem resistentiam voluntatis.

ARTICULUS IV.

De castitate et virginitate.

Dividitur iste articulus in duas paragraphos: 1. de castitate, 2. de virginitate.

§ 1.

De castitate.

Notio. Castitas est virtus moderativa delectationum in venereis iuxta dictamen rationis. 674

Castitatem hoc modo acceptam esse virtutem *specialem,* non est cur probemus; habet enim 1. specialem materiam, scil. delectationes venereas moderandas; et 2. specialem gravemque difficultatem superandam, scil. graves tentationes contra castitatem. Porro, ubi specialis est materia specialisque difficultas superanda, ibi semper requiritur specialis virtus. Aliquando autem sumitur castitas in sensu improprio et metaphorico, et tunc est moderatio delectationis, quae oritur ex coniunctione mentis ad obiectum amatum. Sicut enim in corporis commixtione consistit delectatio venereorum (circa quam proprie est castitas, et oppositum vitium, scil. luxuria); ita etiam in quadam spirituali coniunctione mentis ad res aliquas consistit quaedam delectatio, circa quam est quaedam spiritualis castitas metaphorice dicta, vel etiam spiritualis fornicatio similiter metaphorice dicta. Si enim mens hominis delectatur in spirituali coniunctione ad id, cui debet coniungi, scil. ad Deum, et abstinet se, ne delectabiliter aliis coniungatur contra debitum divini ordinis, dicetur castitas spiritualis, secundum illud: «Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.» [1] Si autem delectabiliter contra divinum ordinem coniungatur mens quibuscumque aliis rebus, dicetur fornicatio spiritualis secundum illud: «Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.» [2] Hoc ultimo sensu accepta castitas est virtus generalis, quia per quamlibet virtutem retrahitur mens humana, ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur. Principaliter tamen talis

[1] 2 Cor 11, 2. [2] Ier 3, 1.

castitas consistit in caritate et in aliis virtutibus theologicis, quibus mens hominis coniungitur cum Deo; sicut specialiter dicitur fornicatio spiritualis apostasia a fide[1]. — Hic unice loquimur de castitate, prout in proprio sensu accipitur et prout est specialis virtus distincta ab abstinentia.

675 **Distinctio.** Castitas ab antiquis theologis distinguebatur triplex, scil. coniugalis, vidualis et virginalis. *Coniugalis* castitas abstinet a voluptatibus carnalibus illicitis in matrimonio atque moderate utitur voluptatibus licitis. *Vidualis* castitas post licitum usum delectationis venereae in matrimonio abstinet ab ea in posterum. Quae quidem vidualis castitas solet secum ferre magnas difficultates, quia vehementissimae tentationes insurgunt propter memoriam voluptatum habitarum. *Virginalis* castitas numquam est experta voluptates venereas, a quibus etiam in posterum prorsus abstinere vult[2].

Nota. Quamvis castitas et pudicitia saepe non distinguantur, stricte autem loquendo pudicitia non est ipsa castitas, sed specialis eius *circumstantia*. Pudicitia[3] enim magis respicit exteriora signa castitatis et versatur circa impudicos aspectus, tactus, oscula, locutiones etc. Pudicitia igitur est quasi custos ac praeco castitatis. «Pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ea distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam. Interdum tamen unum pro alio ponitur.»[4]

676 **De praestantia atque utilitate** castitatis non est cur multis verbis loquamur. Res est enim manifesta. «O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est et apud homines.»[5] Utilitas castitatis ilico percipitur, si considerantur innumera mala, quae oriri solent ex laesione eius, i. e. ex luxuria. Tota enim historia tum sacra tum profana plena est exemplis demonstrantibus ruinosos effectus luxuriae, e. g. Sodoma et Gomorrha, adulterium Davidis, luxuria Herodis et plurium imperatorum Romanorum. Nonne etiam nostris temporibus ex luxuria solent procedere suicidia, homicidia, ruina fortunae, morbus syphiliticus et sexcenta alia mala? — Cum igitur luxuria omnigenam ruinam paret, virtus castitatis corpus et animam nobilitat, bonum familiae et societatis promovet et quam plurima bona opera exercet.

§ 2.

De virginitate.

677 **Notio.** Virginitas sumitur in triplici sensu:

1. *Pro integritate carnis,* quae amittitur in viris per peccaminosam pollutionem et in feminis per voluptuosam disruptionem hymenis seu claustri virginalis. Ergo ista virginitas non violatur peccatis internis

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 151, a. 2. [2] Ib. q. 152, a. 3 ad 5.
[3] *Schamhaftigkeit.* [4] S. theol. 2, 2, q. 151, a. 4. [5] Sap 4, 1.

luxuriae, immo nec peccatis externis non consummatis; non est enim quid morale neque meritorium, sed *quid mere physicum.*

2. *Pro statu coelibatus.* Sic omnes, qui numquam matrimonio fuerunt iuncti, sunt in statu virginitatis. Si iste status assumitur propter amorem Dei vel aliud motivum supernaturale, tunc est perfectior quam status matrimonii, ut definivit Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius et beatius manere in virginitate aut coelibatu quam iungi matrimonio: anathema sit.»[1] Si quis autem statum coelibatus eligit ob aliud motivum pure naturale, e. g. quia aliquis non vult subire onera matrimonii, non est melior quam status matrimonii, sed econtra imperfectior est, cum matrimonium sit sacramentum, cui connexae sunt multae gratiae.

3. *Pro virtute morali,* quae est *firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus delectationibus venereis in subiecto numquam corrupto.* Quare virtus virginitatis a virtute castitatis praecipue in eo differt, quod virginitas non potest esse nisi in homine numquam per voluntariam libidinem corrupto; castitas vero potest esse in quocumque homine, etiam antea corrupto. Ad virginitatem hoc modo consideratam integritas carnis se habet per accidens; ideoque virtus virginitatis non amittitur per violentam oppressionem aut per operationem chirurgicam, qua carnis integritas violatur. Unde tali physica violatione non magis perditur virginitas quam abscissione manus vel pedis. Haec autem virtus virginitatis amittitur *irreparabiliter* per actum *luxuriae consummatae* seu pollutionis graviter peccaminosae. Ratio est, quia tunc voluntarie et illicite integritas carnis laeditur. Etiam seclusa pollutione virginitas amittitur (sed reparabiliter) per quodcumque peccatum grave contra castitatem, quia tunc homo deficit a proposito perpetuo abstinendi ab omni delectatione venerea; sed auctores communiter docent, virginitatem amissam per huiusmodi peccata luxuriae non consummatae, i. e. *absque pollutione,* posse per poenitentiam reparari. Contrarium docet Billuart[2].

Ad virtutem virginitatis prout est specialis virtus non sufficit voluntaria incorruptio carnis; secus omnes iuvenes, qui caste vivunt, sed tempore opportuno matrimonium volunt inire, haberent specialem virtutem virginitatis distinctam a virtute castitatis; quod nemo dicet. Unde omnes theologi docent, ad virtutem virginitatis requiri *firmum propositum* perpetuo servandae castitatis, et quidem in obsequium Dei; nam virginitas Vestalium vel aliarum feminarum, quae ob motiva non religiosa servant virginitatem, non est virtus specialis.

S. Thomas videtur ulterius adhuc requirere *votum* virginitatis, scribens: «Virginitas secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum

---

[1] Sess. 24, can. 10 (*Denz.* n. 981).

[2] De virg. a. 5. Admittit tamen iste auctor virginitatem amissam *per solam delectationem morosam* posse reparari.

integritatis perpetuo servandae. Dicit enim Augustinus in libro de virginitate c. 8, quod per virginitatem integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vovetur, consecratur, servatur. Unde virginitas secundum quod est virtus, numquam amittitur nisi per peccatum.»[1] Haec sententia S. Thomae, quamvis a multis antiquis et fere ab omnibus modernis auctoribus impugnetur, est melior, quia ratio adducta videtur ineluctabilis, videlicet: nulla virtus (secundum suum formale) amittitur sine peccato. Atque propositum simplex virginitatis potest violari seu mutari sine peccato, quando scil. quis ob mutatas circumstantias post propositam virginitatem nunc vult matrimonio iungi. Econtra quando quis se voto obstrinxit ad virginitatem, numquam potest *ex propria auctoritate* hoc propositum mutare sine peccato. — Ceterum ista quaestio non est tanti momenti pro praxi.

Ex dictis sequitur, ad essentiam virginitatis prout est virtus specialis duo requiri: 1. subiectum numquam corruptum per voluntariam pollutionem sive hymenis violationem; 2. firmum et perpetuum propositum (voto firmatum) numquam voluntarie admittendi delectationem veneream. Si deest alterutrum, virginitas iam non est specialis virtus, sed reducitur ad virtutem castitatis.

678 **Moralitas et excellentia virginitatis.** Virginitas prout est status propter obsequium Dei electus, non tantum est licita, sed etiam valde meritoria apud Deum. Patet hoc ex S. Scriptura, quae saepe commendat hanc virginitatem. S. Paulus dicit: «De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.... Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem.»[2] In Apocalypsi speciale praemium promittitur virginibus[3]. — SS. Patres magnis laudibus virtutem et statum virginitatis extulerunt. Sic e. g. Ioan. Chrysostomus[4], S. Ambrosius[5], S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Anselmus, S. Bernardus et multi alii scripserunt de virginitate[6]. — Etiam *ratione naturali* potest clare probari liceitas et excellentia virginitatis. Etenim ad hoc pia virginitas ab omni delectatione venerea abstinet, ut liberius divinae contemplationi vacet; dicit enim S. Paulus: «Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.»[7] — Porro istud motivum sane est optimum atque medium adhibitum est licitum.

679 **Obiectiones contra virginitatem.** Protestantes obiciunt monitum Creatoris: «Crescite et multiplicamini, et replete terram»[8]. Iam S. Thomas respondit: «Praeceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum, cui necessarium est non solum quod multiplicetur corporaliter,

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 152, a. 3 ad 4. Optime explicat et defendit hanc doctrinam *Caietanus* in suis Comm. super h. l.

[2] 1 Cor 7, 25 27. [3] Apc 14, 4. [4] Lib. de virginitate.

[5] Libri tres de virginibus ad Marcellinam (sororem suam), in quo opere, ut S. Hieronymus (Ep. 22 ad Eustoch. n. 22) dicit, «tanto se effudit eloquio, ut quidquid ad laudes virginum pertinet, exquisierit, expresserit, ordinarit». Idem S. Ambrosius in pluribus aliis operibus de virginitate agit, e. g. Liber de virginitate, Liber de institutione virginis, Exhortatio virginitatis etc.

[6] Cf. *Migne,* Indices Patr. lat. ser. 17. [7] 1 Cor 7, 34. [8] Gn 1, 28.

sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent; quidam vero ab hac abstinentes contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem: sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant; quae tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt.»[1] — Et revera nemo dicere potest umquam in aliquo regno numerum populi diminutum esse propter virginitatem libere electam in obsequium Dei.

Obiciunt insuper Protestantes et Rationalistae, virginitatem esse quid contrarium naturae et sanitati corporali ideoque ex coelibatu coacto tot mala physica et moralia oriri. — Respondetur: Virginitas minime est quid innaturale, quia secus tot homines (etiam Protestantes et Rationalistae), qui propter alia motiva coelibes manent, essent in statu innaturali. Praeterea coelibatus reddit hominem magis aptum ad labores spirituales et scientificos perficiendos; unde non pauci homines propter amorem scientiae et artis a matrimonio soluti remanserunt, e. g. Kantius, Beethoven, Michel-Angelo etc. Virginitatem non nocere sanitati corporali hodie a medicis conceditur et manifeste probatur ex longaevitate communi illorum, qui vitam coelibem ducunt. Ex coelibatu coacto possunt quidem gravia mala moralia oriri, sed Ecclesia catholica neminem cogit ad coelibatum et non admittit ad votum virginitatis nisi eos, qui post seriam probationem voluntarie illud susceperunt.

Nota. Quando poenitentes a confessario quaerunt, num aliquo actu, e. g. pollutione, virginitatem amiserint, ut plurimum satius est dare responsionem evasivam dicendo omne peccatum per veram poenitentiam deleri, quam dicere affirmative; quia secus poenitentes facile animum despondent. — In aliquibus monasteriis monialium exsistebat consuetudo consecrandi virgines. Quaerebant tunc auctores, num monialis consecranda deberet fateri delictum, si occulte fuerit corrupta? Sententia negativa est satis probabilis, quia nemo tenetur se diffamare. Ceterum omnes conveniunt, episcopum valere dispensare cum moniali, quae occulte virginitatem amisit, ut possit consecrari et velari sicut ceterae virgines, praesertim si id sine infamia omitti nequit[2].

ARTICULUS V.

De vitio opposito castitati, nempe de luxuria.

Praenotamen. Duo sunt flagitiorum genera, quae multos homines in 680
gehennam trahunt: concupiscentia carnis et cupiditas divitiarum. Unumquodque horum criminum *duplici* praecepto vetitum est; carnis concupiscentia: sexto et nono; rerum autem cupiditas: septimo et decimo praecepto; cuiusque autem alterius generis vitium *unico* tantum praecepto prohibetur. Exinde tamen non licet deducere, peccata luxuriae et avaritiae esse ceteris omnibus graviora; certum est enim, peccata nonnulla, e. g. blasphemiae, periurii, odii etc., esse graviora illis. Nihilominus quia homines vehementius in haec duo vitia passione abripiuntur, ideo Deus voluit duplici expresso praecepto homines deterrere ab hac ruina. — Materia sexti et noni praecepti ampla est,

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 152, a. 2 ad 1.

[2] Cf. *Salmant.*, Curs. Theol. mor. tr. 26, c. 1, n. 75.

lutulenta, pestifera, quae in corporum non secus ac animaru saevit; est explicatu difficilior, non quod difficile sit illius cum ra que lege repugnantiam ostendere, sed quia adeo glutinosa, a est, ut vix haberi possit sermo de ea, quin lingua, mens auresque Quare sapienter Catechismus Concilii Tridentini[1] admonet: «In explicanda cautus admodum sit parochus et prudens, et tecti commemoret, quae moderationem potius desiderat, quam orati Verendum est enim, ne, dum is late atque copiose nimis exp quibus modis homines ab huius legis praescripto discedant, in i sermonem forte incidat, unde excitandae libidinis potius mater stringendae illius ratio emanare solet.» Utinam saluberrimam l tionem magis cordi habuissent plures casuistae, qui plus iustc suo volutarunt calamo. Verecundia a natura insita damnat, ex horrescit magnam illarum quaestionum partem, quae cum lege lato calamo discutiuntur in quibusdam auctoribus. Cognitio om rerum minutiosa pro confessario non est necessaria, quia p circumstantiae actibus lubricis adiectae non mutant notabilitei actus. Aliqua principia clara et quaedam regulae practicae pl ad omnes casus solvendos. Unde breviter et clare exponere quae scitu necessaria sunt de hac lutulenta materia, invitantes nobiscum oret: Ure igne S. Spiritus renes nostros et cor nostr ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus, pe B. Virginem. Amen. — Dividimus autem totum tractatum de lu que paragraphos: 1. de luxuria in genere; 2. de peccatis in peccatis externis non consummatis; 4. de peccatis externis consu naturam; 5. de peccatis externis consummatis contra naturam.

§ 1.

De luxuria in genere.

681 1. **Notiones.** In sensu lato vel etiam metaphorico l ficat omnem excessum vel ubertatem. Sic e. g. loquimu seu luxu in cibis, vestimentis, aedibus, hortis; sic agni et vientes, arbores copiosiores ramos emittentes, agri nimis fera luxuriari.

In sensu autem stricto et proprio luxuria definiri solet *appetitus delectationis venereae*. Quid sit delectatio venere dictum est. Est enim illa delectatio carnalis, quae oritur e membrorum generationi inservientium, et summum gradu copula carnali aut in pollutione. Vocatur autem delect quia veteres gentiles Venerem esse deam huius delectatior Recolendum est, hanc delectationem veneream omnino dist tatione sensitiva seu organica, et a fortiori a delectatione s Delectatio venerea licita esse potest, si servatur rectus c A Creatore autem statutum est, ut haec delectatio numq iuxta rectam rationem habeatur nisi in usu legitimi matri

[1] Pars III, c. 7, q. 1. [2] Cf. supra n. 643.

quotiescumque delectatio venerea voluntarie petitur extra legitimum usum matrimonii, est illicita.

Delectatio venerea alia est *completa*, quando eadem est, quae in actu generationis solet occurrere; alia est *incompleta*, quae scil. ex cogitationibus, locutionibus, aspectibus, tactibus etc. orta cum aliqua commotione partium genitalium coniuncta est, sed non usque ad resolutionem seminis humani in viro aut alterius liquoris generationi inservientis in femina procedit. Quando autem prorsus nulla commotio partium genitalium adest, nec etiam solet adesse delectatio venerea.

2. **Malitia moralis.** Ad recte iudicandum de malitia luxuriae oportet distinguere inter luxuriam directe et indirecte volitam.

Principium 1. *Delectatio venerea directe volita extra legitimum* 682
matrimonium est peccatum mortale ex toto genere suo, ita ut non admittat parvitatem materiae.

Hinc delectatio venerea directe volita semper est peccatum mortale, nisi adfuerit imperfectio actus (aut propter semiplenam advertentiam aut per imperfectum consensum). Ita sententia communissima contra Caramuel et paucos alios, qui admittunt parvitatem materiae etiam in luxuria directe volita. Delectatio venerea directe volita adest non solum quando directe intenditur, verum etiam quando quis percipit se esse turpiter commotum et in hoc sibi complacet.

Probatur principium positum sequentibus rationibus:

1. Delectatio venerea coniuncta est cum actu generationis, quem Creator ex iustissimis causis graviter prohibuit extra legitimum matrimonium [1]. Ergo convenienter Creator non tantum delectationem veneream summam, quae invenitur in actu generationis, sed etiam quamlibet aliam directe volitam delectationem veneream graviter prohibuit. Etenim experientia testante homo est maxime proclivis ad delectationem veneream, quae semel exorta solet esse tam vehemens passio, ut ratio cito obnubiletur atque voluntas violenter abripiatur. Unde sicut homo in praecipitio positus nec paucos passus deorsum facere debet sine evidenti periculo mortis, ita nec parvam delectationem veneream procurare potest sine proximo periculo procedendi ulterius usque ad actum completum luxuriae. Ergo sicut homo sub gravi tenetur vitare non tantum ipsum peccatum grave, sed etiam proximum periculum illius, ita debet sub gravi vitare non solum actum perfectum luxuriae inordinatae, sed etiam quemcumque levem actum directe volitum.

2. Ex propositione ab Alexandro VII damnata (40): «Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.» [2] Disputant quidem theologi, in quo sensu ista propositio sit damnata; hoc tamen videtur certum, falsitatem illius consistere in hoc, quod supponit, osculum habitum ob delectationem carnalem, i. e. veneream, non eo ipso inducere periculum consensus in actus graviores. — Nec potest obici contra principium positum, dari parvitatem materiae in luxuria seu delectatione venerea inordinata *coniugum* directe volita, ut communiter theologi

---

[1] Cf. infra, ubi de malitia fornicationis agetur. [2] *Denz.* n. 1140.

docent; ergo etiam in quacumque alia luxuria. Etenim disparitas est, quod inter coniuges non adest periculum consensus in actum perfectum *graviter peccaminosum.* Cum enim summa delectatio in ipso actu generationis sit licita coniugibus, etiam aliae delectationes venereae illis non sunt ita graviter prohibitae, dummodo tamen non sint directe oppositae fini matrimonii.

Nota. Veteres theologi in delectatione venerea optime distinxerunt inter placentiam et complacentiam. *Placentia* est ipsa delectatio venerea physica, quae ex multis causis physiologicis et psychicis oriri potest et per se nullam moralitatem habet; *complacentia* vero est in huiusmodi delectationem illicitus consensus; qui si est perfectus, graviter peccaminosus est; quando vero est semideliberatus, est solum peccatum veniale.

683 **Principium 2.** *Delectatio venerea indirecte tantum volita non est mortale peccatum ex toto genere, sed admittit parvitatem materiae.*

Ita communissime docent theologi saltem quoad sensum, licet quoad verba quaedam diversitas inter illos exsistat. Delectatio venerea indirecte volita illa est, quae minime in se appetitur, sed quae est coniuncta cum actione, quam quis ponit; e. g. iuvenis legit librum praevidens ex ista lectione carnalem delectationem secuturam esse.

Probatur. Ut ex primo principio patet, delectatio venerea directe volita ideo non admittit parvitatem materiae, quia semper adest proximum periculum consensus in actum perfectum. Atqui tale periculum saepe non exsistit, quando ponitur actio ex se honesta aut indifferens, ex qua praevidetur quidem, sed non intenditur delectatio venerea; ideoque aliquando nullum, aliquando vero leve tantum peccatum adest, prout nempe causa sufficiens, vel non ita sufficiens exsistit, ponendi actionem, ex qua praevidetur delectatio venerea secutura. Quando autem non solum praevidetur delectatio venerea, verum etiam consensus in istam delectationem, tunc non licet ponere actionem; secus peccatum mortale committitur.

Ad iudicandum in praxi de peccaminositate delectationis venereae indirecte volitae applicandae sunt regulae datae de voluntario indirecto. Requiritur igitur a) quod actio posita sit in se honesta aut saltem indifferens. Actiones, quae *extra* genus luxuriae sunt et solum per accidens motus carnales producunt, ut copiose comedere, equitare, balneo calido uti, certo situ sedere aut cubare, sunt actiones in se honestae aut indifferentes. Actiones vero, quae ex se quidem pudicitiam laedunt, ut aspectus, amplexus, oscula, tactus etc., nec etiam sunt intrinsecus malae, etiamsi extra legitimum matrimonium exerceantur; secus enim numquam possent licite fieri e. g. a medico, a parentibus etc., quod sane nemo dicet. Ad rem scribit Angelicus Doctor[1]: «Aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter: uno modo *secundum speciem suam;* et hoc modo osculum, amplexus vel tactus secundum suam rationem non nominant peccatum mortale; possunt enim haec absque libidine fieri vel propter consuetudinem patriae vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam. Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale *ex sua causa* [ex motivo].... Ideo cum oscula et amplexus et huiusmodi propter delectationem huiusmodi fiant, consequens est, quod sint peccata mortalia. *Et sic solum dicuntur libidinosa.*» — Unde in genere luxuriae videtur esse actio *intrinsecus mala* sola pollutio (perfecta aut incohata) vel copula habita extra

[1] S. theol. 2, 2, q. 154, a. 4.

legitimum matrimonium. Ista enim actio voluntarie posita numquam potest esse licita. — Deinde requiritur b) ut delectatio non intendatur; secus enim semper est peccatum mortale, ut ex primo principio patet. — Demum requiritur c) ut adsit causa proportionate gravis ad ponendam actionem; quae quidem causa debet esse eo gravior, quo actio magis influit in delectationem veneream (visis praesertim circumstantiis personae). Etenim in hac materia delectationis venereae multum dependet a circumstantiis personarum, et quod pro uno homine constituit grave peccatum propter grave periculum consensus in delectationem veneream, pro alio nullum peccatum est, quia nullum periculum consensus adest. Unde in praxi perquam difficile, ne dicam impossibile est, semper cum certitudine determinare, utrum in aliqua delectatione venerea *indirecte volita* fuerit peccatum mortale necne. Confessarius avertere debet poenitentes etiam a periculo luxuriae cuiuslibet, nec ita facile credat illis, qui praetendunt se in rebus sat lubricis nullum sensisse turpem motum carnalem.

Scholion. De effectibus luxuriae. Luxuria est peccatum capitale [1], 684
quia ex illa oriuntur quam plurima alia peccata. Post S. Gregorium M. S. Thomas assignat octo vitia, quae tamquam filiae ex luxuria nasci solent, scil. caecitas mentis, praecipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor inordinatus sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror futuri [2]. Ex caecitate mentis, quae oritur ex luxuria, quam pessima damna solent pullulare. Luxuriosus enim carnalibus delectationibus deditus solet res stultissimas agere. Hinc Salomon sapientissimus propter amorem mulierum incidit in idololatriam; David rex propter adulterium commissum durissimas poenas sustinere debuit. Quot calamitates solent ex luxuria produci pro sanitate corporali, pro pace familiae, pro honore, pro fama, pro bonis fortunae, etc.! Quare vel ipsa ratio naturalis dictat luxuriam esse sedulo vitandam.

§ 2.

De peccatis internis luxuriae.

Tria sunt peccata interna luxuriae: 1. delectatio morosa, 2. gaudium, 3. desiderium.

1. **Delectatio morosa** in genere potest versari circa diversa pec- 685
cata, sed in materia luxuriae est *complacentia de re libidinosa per imaginationem repraesentata.* Latius egimus de delectatione morosa supra I, n. 395 sqq, quando sermo fuit de peccatis internis in genere; ideoque hic tantum pauca notamus. Delectatio morosa in luxuria non versatur *de speculativa cognitione* rei libidinosae neque *de modo ingenioso,* quo opus pravum factum est; tales enim delectationes sunt licitae, saltem si desit periculum consensus in ipsam rem veneream.

Malitia. Delectatio morosa venerea est grave peccatum, quia talis complacentia nihil aliud est nisi voluntarius affectus in rem ipsam libidinosam, etsi non opere perficiendam. Nemo enim delectaretur de re repraesentata, nisi amaret ipsam rem. Insuper delectatio ista morosa solet causare motus carnales et adducere serium periculum desiderii pravi vel ipsius actus exterioris peccaminosi. In praxi saepe est diffi-

---

[1] Cf. supra I, n. 420. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 153, a. 5.

cillimum iudicare, utrum quis plenum consensum praebuerit d morosae necne. Tamquam regula haberi potest: Si delectati cito transierit, aut si homo iam a notabili tempore exterius caverit contra castitatem, praesumptio saltem non perfecti adest.

686 **Specificatio.** Disputant theologi, utrum delectatio morosa ven ficetur ex obiecto cum circumstantiis, an *ex obiecto tantum;* e. g. confiteri teneatur, non tantum se delectatum esse de rebus obscoenis, e. g. de fornicatione aut adulterio repraesentato. Utraque sententi firmativa et negativa, est theoretice probabilis. In praxi hoc modo dum est: Fideles, qui se accusant de cogitationibus impuris volunt rogandi sunt, num etiam quid turpe desideraverint. Non raro cogitationibus impuris coniunctum est desiderium saltem inefficax o Quodsi negent, necesse non est, ut confessarii de accurato obie tionis amplius quaerant. Quodsi vero desideria impura coniuncta a confessarius per se quidem teneretur investigare de circumstan desiderati, nam iuxta omnes theologos desideria impura specifican iecto et circumstantiis, ut infra dicetur; quia tamen haec invest quenter nimis ardua est et confessionem molestam reddit, quia inst inter cogitationes et desideria non satis distinguere solent, et de amplior investigatio saepe sine ullo fructu esset, ideo aliquando c ulteriores interrogationes de circumstantiis quoque desiderii omitt

687 **Resistentia necessaria.** Ex delectatione morosa solent oriri p libidinosi in corpore. Theologi disputant, utrum sit peccatum mort post plenam advertentiam rationis non reprimat libidinosos motu scentiae, sed negative se habeat neque consentiendo neque diss Quidquid est de speculativa solutione huius controversiae, in praxi est actus displicentiae voluntatis, qui si serio positus est, non opor positive resistere istis motibus, qui ex se sunt naturales et qui ci cessare, si homo non multum curat de eis. Ceterum si huiusm orirentur ex causa voluntaria et minus licita, e. g. ex lectione libri ex aspectu, ex osculis illicitis, tunc tales causae tolli deberent.

Remedium contra pravas cogitationes est fuga occasion iaculatoria et conversio mentis ad aliud obiectum licitum, qu est advertentiam captivare.

688 2. **Gaudium** pravum in materia luxuriae est *complacen de illicito actu venereo praeterito.* Ergo si actus venereus f ut si vidua delectaretur de opere coniugali praeterito, non esse per se illicitum. Per accidens autem, propter motus carnales, etiam ex huiusmodi gaudiis oriri, melius et securius talia g se licita vitantur[2]. Quodsi periculum consensus in delectatio ream adest, tunc gaudium de quocumque actu venereo vitandum est.

[1] Optime hanc quaestionem tractat *Billuart* (De luxuria diss. 6, a. 1 etiam in omnibus aliis quaestionibus materiam luxuriae tangentibus inter auct iure merito recensetur et longe antecellit quam plurimos casuistas.

[2] Cf. supra I, n. 401.

Gaudium de actu libidinoso patrato *specificatur ex obiecto et circumstantiis;* proinde specie distinguitur gaudium de fornicatione commissa a gaudio de adulterio patrato. Nihilominus poenitentes gaudentes de peccatis patratis illa sibi non solent repraesentare cum omnibus circumstantiis, sed potius modo confuso; idcirco confessarius potest aliquando abstinere ab investigandis circumstantiis, dummodo gaudio pravo adiunctum non fuerit desiderium illicitum.

3. **Desiderium** impurum est *complacentia de actu venereo illicito* 689
faciendo. Est duplex: *efficax,* quando aliquis revera perficere intendit rem turpem cogitatam; *inefficax,* quando quis vellet quidem rem turpem peragere si posset, sed propter impedimentum hoc non potest.

Malitia. Omne desiderium impurum est graviter illicitum (si est plene voluntarium), et est eiusdem gravitatis ac ipsum opus externum, quod desideratur. Patet ex verbis Christi: «Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo.»[1] Quod autem hic de adulterio dicitur, valet etiam de omnibus aliis actibus turpibus sive efficaciter sive inefficaciter desideratis. Propterea poenitentes debent accusare non tantum obiectum in genere, sed etiam eius *circumstantias speciem mutantes;* nam aliud est e. g. desiderium fornicationis et aliud desiderium adulterii committendi. In praxi tamen non raro poenitentes sunt ita rudes, numerus desideriorum est ita magnus et tempus ultimae confessionis est ita longum, ut adsit moralis impossibilitas tum pro poenitente tum pro confessario investigandi omnes circumstantias singulorum desideriorum. Tunc melius est abstinere a quaestionibus infructiferis.

Quaerunt hic theologi, num sponsi possint desiderare copulam futuram, et num liceat desiderare pollutionem mere naturalem ad exonerandam naturam. Theoretice loquendo ista desideria non sunt illicita, cum versentur circa obiectum in se licitum, sed propter pericula coniuncta sunt vitanda[2].

§ 3.

De peccatis externis non consummatis luxuriae.

Peccata luxuriae non consummata vocantur illa, in quibus pollutio 690
non habetur. Sunt duplicis generis: motus carnales et actus impudicitiae.

Motus carnales seu venerei dicuntur commotiones partium genitalium et humorum in illis organis exsistentium[3]. Isti motus *directe* voliti sunt semper peccatum mortale, ut patet ex primo principio supra posito; sin autem sunt *involuntarii,* nullum omnino peccatum sunt, nam sine consensu voluntatis non datur peccatum; sin demum sunt *voluntarii in causa,* iudicium de moralitate ipsorum ferendum est iuxta regulas de voluntario indirecto iam saepius indicatas. Causa, quae producit *per accidens* huiusmodi motus, non est moraliter mala, dummodo

---

[1] Mt 5, 28. [2] Cf. supra I, n. 401.

[3] Solent esse coniuncti cum aliqua modica *distillatione* ad extra.

sit in se honesta, et quo magis in illos motus influit, eo maior requiritur ratio excusans, ut statim dicetur de actibus impudicitiae.

691 **Actus impudicitiae** vocantur illi, qui solent habere propriam relationem seu influxum in delectationem veneream, ut aspectus turpes, tactus, oscula etc. De illis merito scribit Noldin[1]: «Tenenda est vera doctrina, aspectus et tactus turpes non ex se et natura sua, sed ideo solum adversari sexto praecepto, quia periculosam ideoque prohibitam delectationem veneream et cogitationes turpes excitant. Si igitur essent (quod sane raro accidet), qui ex his actionibus nullum periculum paterentur sive motus turpis sive consensus in cogitationes turpes, illae actiones pro iis solum peccatum otiosae actionis, nullatenus vero peccatum contra castitatem continerent.» — Ergo tota malitia horum actuum consistit in periculo delectationis venereae sine sufficienti ratione suscepto.

De duobus in hac re constat, nempe 1. non solum actus impudicos, sed etiam quoscumque actus in se honestos *propter delectationem veneream* positos, esse peccatum mortale, quia pravus finis vitiat omnem actum; 2. istos actus, utpote in se non peccaminosos, licite haberi posse ex rationabili causa, e. g. ad curandam infirmitatem. Difficultas igitur sola est, quantum et quale peccatum sint hi actus exerciti non quidem ex libidinoso fine, sed *sine rationabili et sufficienti causa*. Periculum consensus in delectationem veneream ex huiusmodi actibus oriens pensari debet a) ex natura ipsius actus et b) ex conditione personae.

Ad iudicandum de natura actus auctores solent distinguere partes honestas, minus honestas et inhonestas corporis. *Partes honestae* illae sunt, quae conspectui omnium sunt expositae, ut manus, facies etc.; *partes minus honestae* habentur pectus, crura; *partes inhonestae* putantur genitalia et partes ventris illis omnino proximae. Haec tamen valent tantum in nostris regionibus et quantum ad personas adultas; nam quantum ad infantes vix ulla pars potest vocari vere inhonesta. In aliis autem regionibus, e. g. in Turcia, in regionibus Sinensibus, aliter iudicatur de honestate membrorum.

692 **Malitia specifica.** Iuxta communem sententiam auctorum modernorum aspectus turpes specie differunt a tactibus turpibus, immo aspectus turpis feminae specie differt ab aspectu turpi viri. Aliter docet Billuart[2]: «Puto ego . . . tactus, oscula, aspectus non specie distingui inter se in genere luxuriae; cum enim non sint per se mala, ut dictum est, sed tantum ratione commotionis aut pollutionis aut copulae, ad quas excitant et tendunt, eandem inter se malitiae speciem habent, scil. commotionis carnalis vel pollutionis vel copulae etc. Unde meo iudicio satisfaceret poenitens, qui diceret: Toties excitavi in me vel in alio commotionem carnalem aut pollutionem, tacendo an per tactus aut aspectus aut oscula, modo sui et complicis conditiones explicet; a fortiori satisfaceret

[1] De sexto praecepto n. 47. [2] De luxuria diss. 6, a. 15, § 3.

dicendo: Toties delectatus sum carnaliter circa talem vel talem personam, non explicando an circa actus aut oscula aut aspectus; bene tamen si fuerit delectatio circa copulam aut pollutionem, quia cum hae differant specie ab impudicitia et distincte sint accusanda, ita et delectationes circa ipsa.» — Quae quidem sententia videtur esse *theoretice* vera, quia non est necessarium declarare in particulari media ex se indifferentia ad actum peccaminosum adhibita; nam sicuti non est necessarium confiteri, num percussio iniusta proximi sit facta baculo aut fustibus, dummodo declaretur, utrum fuerit gravis an levis, ita theoretice loquendo non est necessarium confiteri, num quis sibi delectationem carnalem procuraverit tactu vel aspectu, aut utrum in grave periculum consensus in delectationem carnalem se frivole dederit tactu an aspectu, dummodo tamen desit desiderium copulae. In *praxi* autem prudenter et discrete insistendum est, ut simplices fideles confiteantur in specie tactus, aspectus, oscula, tum quia saepe adest desiderium, tum quia ipsi non possunt iudicare de gravitate periculi orti ex huiusmodi actibus.

Oscula decentia, quae fiunt secundum morem patriae ad honestum 693
amorem ostendendum, sunt licita[1]; sin autem fiant ex levitate aut ioco, sunt peccata venialia[2].

Oscula vero indecentia, quae scil. fiunt in partes minus honesta aut inhonestas, aut cum insertione linguae in os alterius (osculum columbinum), sunt ordinarie graviter illicita propter periculum illicitae delectationis venereae[3]. Inter *coniuges* autem nullum osculum ut tale est peccatum mortale.

Tactus *in partes inhonestas alterius personae* adultae morose factus 694
sine necessitate solet inducere grave periculum delectationis venereae, et proinde est graviter illicitus. Si agitur de infantibus, periculum est quidem minus, sed nihilominus etiam isti tactus inutiles prorsus vitandi sunt.

Tactus *obiter* factus *in partes inhonestas proprii corporis,* vel in partes minus honestas alterius personae (absque prava intentione) videtur esse leve peccatum, quia periculum illicitae delectationis venereae ordinarie non est ita grave. Sin autem isti tactus sunt morosi, sunt etiam libidinosi ac proinde graviter peccaminosi[4]. — De tactu inhonesto *bestiarum* iudicandum est iuxta intentionem et conditionem personae tangentis. Cum hodie vitium bestialitatis satis late grassetur, huiusmodi tactus sine necessitate facti sunt serio prohibendi, utpote graviter periculosi et ad libidinem inducentes[5].

Aspectus solent minus periculum delectationis venereae inducere, 695
ac proinde auctores mitius iudicant de illis quam de tactibus. Nihilominus aspectus partium inhonestarum alterius adultae personae diversi sexus morose factus sine necessitate aut vera utilitate videtur esse pec-

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 154, a. 4.
[2] Cf. *Billuart* l. c. a. 16, dico 5. [3] Cf. ib.
[4] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 419. [5] Cf. ib. n. 420.

catum mortale, quia solet causare grave periculum delectationis venereae[1]. Qui autem *sine ullo pravo desiderio* aspicit partes inhonestas alicuius personae, non tenetur confiteri, qualis fuerit ista persona.

Aspicere infantes nudos non est ex se ita incentivum libidinis.

Aspicere statuas aut picturas vere artificiosas repraesentantes personas nudas ordinarie non est grave periculum pro persona adulta et seria. Ratio est, quia huiusmodi repraesentationes sunt nostris temporibus eheu! tam frequentes, ut iam non moveant personas adultas serias. Dixi autem *ordinarie;* nam saepe istae repraesentationes non sunt ita artificiosae, et tunc magis ad libidinem incitant.

Aspicere ex curiositate vel levitate partes *minus honestas* etiam personae alterius sexus per se nondum est grave periculum delectationis; dependet tamen hoc multum a conditione personarum et locorum[2].

Aspectus proprii corporis non est ex se graviter periculosus neque peccaminosus; pariter auctores communiter docent, non esse peccatum mortale, si personae eiusdem sexus natantes se invicem obiter aspiciunt. Nihilominus huiusmodi consuetudo natandi eliminanda est.

Hodiernis temporibus ubique terrarum mos invaluit, ut pictores et sculptores personas utriusque sexus nudas assumant, quae pro exemplari sistunt[3]. Isti artifices contendunt, hoc esse omnino necessarium pro perfectione artis. Si hoc revera ita est, tunc iste modus agendi est licitus, cum actio non sit in se illicita atque adest ratio sufficiens. In praxi autem solet non raro abusus irrepere, ita ut revera peccata committantur inter artifices et ista exemplaria viventia. Tunc autem confessarius agere debet, sicut cum illis, qui versantur in occasione proxima peccandi.

696 **Colloquia** ex affectu libidinoso aut cum gravi scandalo facta de rebus obscoenis sunt peccata gravia. Aliquando tamen difficile erit iudicare, num colloquium turpe fuerit peccatum mortale, quia periculum oriens ex huiusmodi locutionibus multum dependet ex variis circumstantiis personarum tum audientium tum loquentium. In praxi autem de rebus ad generationem pertinentibus non est loquendum nisi propter bonum finem, iuxta illud S. Pauli: «Fornicatio autem et omnis immunditia ... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.»[4]

697 **Lectio pravorum librorum, frequentatio theatri et chorearum** saepe causant gravia pericula delectationis venereae, unde semper requiritur causa proportionate gravis ad haec facienda[5]. Si poenitentes in istis rebus peccaverint, tractandi sunt sicut occasionarii[6].

§ 4.

De peccatis luxuriae consummatis iuxta naturam.

Sex peccata consummata iuxta naturam solent enumerari: fornicatio simplex, stuprum, raptus, incestus, adulterium, sacrilegium[7].

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 420. [2] Cf. ib. n. 423.
[3] *Modell stehen.* [4] Eph 5, 3. [5] Cf. supra de scandalo I, n. 614 sq.
[6] Cf. tractatus de poenitentia. [7] Cf. S. theol. 2, 2, q. 154, a. 1 et 10.

Fornicatio simplex in stricto sensu accepta est *copula soluti* 698
cum soluta corrupta ex mutuo consensu. Dicitur: *copula,* i. e. actus aptus ad generationem. Quodsi copula habita est *onanistico modo,* peccatum est per se gravius; quia accedit malitia peccati contra naturam; attamen multi poenitentes erronee putant, hoc esse circumstantiam minuentem, quia sic consulitur honori mulieris. Dicitur deinde: *soluti cum soluta corrupta,* i. e. inter personas, quae sunt liberae non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione, affinitate, a voto continentiae. Praeterea requiritur, ut mulier non sit *virgo;* secus enim habetur stuprum.

Malitia fornicationis negata est a Nicolaitis, quibusdam Gnosticis, Anabaptistis, Mormonibus et pluribus modernis Liberalistis. Iure naturae fornicationem non esse malam aut solummodo venialiter malam, docuerunt Durandus, Caramuel, Martinus de Magistris et pauci alii [1]. Contra hos omnes ponitur **thesis:**

Fornicatio non solum iure divino prohibita est, sed etiam est intrinsecus mala.

Ius divinum clare manifestatur in pluribus locis S. Scripturae: «Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione.» [2] «Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, . . . quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.» [3]

Fornicationem esse contra *ius naturale,* S. Thomas probat: 1. quia importat inordinationem, quae vergit in nocumentum nasciturae prolis; 2. quia privat prolem cura patris; 3. quia tollit certitudinem prolis [4]. Unde merito damnavit Innocentius XI propositionem (48): «Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.» [5]

Ad fornicationem reducuntur *concubinatus* et *meretricium.* Quaeritur: Num vir inducens feminam ad fornicationem teneatur hanc circumstantiam *inductionis* seu scandali exprimere in confessione? Si non adhibuerit vim vel fraudem, nihil tenetur exprimere nisi fornicationem commissam, quia ex communiter contingentibus praesumitur (et confessionarius facile intelligit), virum prius petiisse.

Stuprum sumitur in triplici sensu: 1. pro illicita virginis deflora- 699
tione *(ipsa consentiente)*; ista est communis acceptio apud veteres auctores; 2. pro defloratione *virginis ipsa invita;* ita plures auctores moderniores, e. g. Dom. Soto, Sanchez, Lessius, Noldin etc.; 3. pro copula cum quacumque muliere *ipsa invita;* in hoc sensu iura civilia sumere solent stuprum [6].

Stuprum in primo sensu acceptum, quando scil. virgo ultro consentit in sui violationem, est quidem circumstantia aggravans fornicationis, cui tamen non addit malitiam mortalem necessario in confessione

---

[1] Cf. *Concina,* Diss. de luxuria c. 6. [2] 1 Thess 4, 3.
[3] Gal 5, 19—21. [4] S. theol. l. c. a. 2.
[5] *Denz.* n. 1198. [6] *Notzucht.*

declarandam. Ita sententia communis modernorum[1]. Ratio est, quia integritas physica virginitatis est quidem magnum bonum, sed tamen nulla specialis iniuria committitur in virginem libere consentientem. Stuprum in secundo et tertio sensu acceptum includit praeter peccatum fornicationis grave peccatum iniustitiae, quia importat violentiam iniustam. Per violentiam autem intelligitur non solum physica sed etiam moralis violentia, qualis est fraus vel metus; item importunae preces et blanditiae, quales sunt eae, quas comitantur magna dona aut oscula aut tactus libidinosi. Uno verbo: *Haec violentia moralis est id omne, cui ingenua mulier vix resistere potest*[2].

700 **Raptus** sumitur in duplici sensu: 1. pro impedimento matrimonii, et tunc est abductio mulieris de loco tuto in locum non tutum *matrimonii ineundi* causa; de hoc raptu sermo redibit in tractatu de matrimonio; 2. prout est species luxuriae, et tunc est *vis illata feminae (aut eius parentibus) explendae libidinis causa*. Ergo distinctio inter utramque acceptionem se tenet unice ex parte finis, propter quem violenter foris mulier abducta fuerit. Raptus prout est species luxuriae fere idem est ac stuprum in tertio sensu acceptum. Sunt auctores, qui raptum in latiore sensu sumunt, ita ut etiam violenta corruptio *personae masculini generis* sub raptu contineatur[3].

Raptus prout est species luxuriae, est speciale peccatum, quia praeter malitiam fornicationis includit gravem iniuriam illatam aut mulieri aut parentibus[4].

701 **Incestus** est *copula carnalis inter cognatos aut affines, qui secundum legem naturalem aut ecclesiasticam matrimonium inire nequeunt*. Nomine autem cognationis venit etiam cognatio *spiritualis*. Ad incestum referuntur graves actus externi impudicitiae commissi inter istas personas, aut etiam desideria venerea.

Incestus duplicem malitiam gravem continet: alteram contra castitatem, alteram contra virtutem pietatis. Si tamen cognatio aut affinitas est tantum *remota*, i. e. in quarto aut tertio gradu collaterali, violatio pietatis non videtur tanta, ut constituat peccatum grave, ac proinde non

---

[1] Cf. *Billuart*, De temperantia diss. 6, a. 3, dico 3; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 3, n. 443. *S. Thomas* (S. theol. 2, 2, q. 154, a. 6) docet: «Manifestum est, quod stuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem *sub cura parentum exsistentium*, est determinata [editio Leon.: determinate] luxuriae species.» Sed non ita constat, num Angelicus Doctor docuerit hanc determinatam speciem stupri continere *malitiam mortalem* simplici fornicationi additam, ita ut illa sit necessario declaranda in confessione. Et revera non videtur esse specie diversum peccatum *luxuriae*, quod committit e. g. virgo 50 annorum iam prorsus libera et pariendi incapax aut quod committit virgo 18 annorum sub paterna cura adhuc exsistens. Antiqui auctores putabant, in defloratione virginis haberi semper violationem corporalem, scil. destructionem hymenis, talemque violationem corporalem esse semper malam extra legitimum matrimonium, sicuti etiam esse illicitam quamcumque aliam mutilationem corporalem sine sufficienti causa factam. Moderni autem physiologi negant talem violationem semper adesse; sin vero adsit eam esse minimam asserunt.

[2] Cf. *Billuart* l. c. [3] Cf. *Billuart*, De luxuria diss. 6, a. 4.

[4] Cf. S. theol. l. c. a. 7.

est absolute necessarium, ut circumstantia incestus in confessione declaretur. In primo vero gradu consanguinitatis aut affinitatis non tantum incestus, sed etiam gradus videtur esse declarandus[1]. — Incestus ipso iure naturali est prohibitus, non tantum quia repugnat virtuti pietatis, sed etiam quia secus a) exsisterent maxima pericula castitatis, b) bonum societatis humanae laederetur, et c) proles nascitura quantum ad corpus et animam deterioraretur.

Sacrilegium carnale est luxuria sacrilega, et committitur *violatione personae, loci vel rei sacrae per actum venereum.* Continet duplicem malitiam: alteram contra castitatem, alteram contra religionem. 702

Sacrilegium *personale* committitur, quando persona Deo dicata per votum publicum (sollemne aut simplex) castitatis luxuria contaminatur sive interne per delectationes morosas, sive externe per actus impudicos tam in se quam in alia persona commissos. Quodsi ista alia persona est etiam sacra, tunc adest duplex sacrilegium, quia duae personae sacrae contaminantur. Item committitur sacrilegium, si persona non sacra habet desideria venerea in personam sacram.

De sacrilegio *locali* iam supra n. 546 sufficienter dictum est.

Sacrilegium *reale* luxuriosum committitur, quando res sacrae adhibentur ad actum luxuriosum. Exemplum valde grave huius sacrilegii realis est *sollicitatio ad turpia in confessionali.*

Adulterium est *copula carnalis inter personas, quarum saltem alterutra est ligata matrimonio,* seu est violatio alieni thori. Est simplex, si coniux peccat cum persona soluta; est duplex si uterque complex est matrimonio iunctus. 703

Adulterium praeter peccatum contra castitatem includit grave peccatum contra iustitiam. Quomodo iustitia laesa ex adulterio reparari debeat, vide supra n. 150 sqq in tractatu de iustitia. — Etiamsi maritus consentit in fornicationem coniugis, nihilominus adest verum adulterium, quia maritus non potest cedere iuri suo[2]. Damnata est ab Innocentio XI propositio (50): «Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium.»[3]

Rationem adulterii induunt etiam actus graviter impudici, quos coniugatus exercet aut admittit cum alia persona; pariter pollutio, quam coniugatus perpetrat in se ipso.

§ 5.

De peccatis luxuriae consummatis contra naturam.

Tres solent enumerari species luxuriae contra naturam: mollities, sodomia, bestialitas. Vocantur haec peccata contra naturam, quia adversantur naturali fini summae delectationis venereae, qui est generatio prolis. Idcirco in genere luxuriae sunt ceteris peccatis graviora. Dico 704

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 469.

[2] Cf. *Billuart* l. c. a. 5. [3] *Denz.* n. 1200.

autem: *in genere luxuriae,* quia licet simplex pollutio sit gravior laesio castitatis quam adulterium, tamen ratione adiunctae laesae iustitiae adulterium est simpliciter gravius peccatum quam pollutio. Ista tria peccata specie inter se differunt; quare damnata est ab Alexandro VII propositio (24): «Mollities, sodomia, bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.» [1]

705 **Pollutio venerea** (mollities; a medicis vocatur etiam onanismus, masturbatio, i. e. manu stupratio) est *emissio seminis vel quasi-seminis extra copulam carnalem.* Est vel voluntaria directe aut indirecte, aut involuntaria.

1. Pollutio voluntaria est peccatum mortale ex toto genere suo. Patet ex principio primo supra n. 682 allato. Quantum ad moralitatem eius parum refert, quomodo sit procurata, dummodo tamen desit affectus sodomiae, bestialitatis, complicitatis aut aliud medium in se illicitum. Hinc confessarius qua iudex (aliud est, qua medicus) non tenetur cognoscere, quae moderni medici dicunt de sadismo, masochismo, fetischismo, et quod antiqui classici narrant de tribadismo, sapphismo et amore Lesbio.

2. Pollutio involuntaria nullum est peccatum, ut per se patet.

3. De pollutione indirecte voluntaria iudicandum est iuxta regulas generales voluntarii indirecti. De pollutione autem *nocturna* iudicandum est, prout est voluntaria (directe aut indirecte), aut involuntaria. — Cum malitia pollutionis formaliter consistat in delectatione venerea inordinate appetita, et non nisi materialiter in reali emissione seminis, ad eam reducuntur actiones puerorum, senum, spadonum, mulierum causantes summam delectationem venerem, etsi emissio seminis non sequatur.

706 **Sodomia** est immissio penis in vas posterum alterius personae. Si ista persona est masculini generis, habetur sodomia *perfecta* [2]; sin autem est feminini generis, est sodomia *imperfecta.* Ad sodomiam reducuntur etiam alii actus foedissimi, quo delectatio summa venerea petitur praecise ex *affectu libidinoso ad aliam personam;* sin autem ista delectatio potius *propter se* petitur, tunc videtur adesse sola pollutio procurata ab aliena persona. Unde ordinarie confessarius non tenetur quaerere, quomodo pollutio aut delectatio facta sit ab altera persona, nisi constet de copula sodomitica. Nostris temporibus nefandum crimen sodomiae late grassatur in magnis urbibus.

707 **Bestialitas** (a modernis iuristis vocatur sodomia, zoophilia erotica) est *copula carnalis cum bestia;* est gravissimum inter omnia peccata luxuriae [3].

Scholion. De perversione sexuali. Sunt adhuc plures alii modi explendi libidinem venerem, quos tamen non vacat hic adducere. Ceterum confessarius valet casus occurrentes recte solvere, si attendat ad principia

[1] *Denz.* n. 1124. [2] *Päderastie, Paedicatio, Urning, petits jesus.*
[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 154, a. 12 ad 4.

supra allata. Antiqui auctores in longum et latum disserebant de peccatis libidinosis cum daemone patratis (de succubis et incubis). Hodie haec res iam non est ita practica. Nostris autem diebus valde grassatur luxuria innaturalis, quae solet vocari *perversio sexualis*[1] et quorum diversi modi supra brevissime indicati sunt. Moderni medici psychiatri haud raro putant et dicunt, tales inclinationes perversas esse ita vehementes, ut homo iam nequeat illis resistere. Confessarius talia dicta ne credat, nisi agatur de homine revera mente capto. Libertas enim hominis semper intacta manet, non obstantibus vehementissimis inclinationibus. Homo huiusmodi inclinationibus perversis vexatus debet a confessario tractari sicut peccator consuetudinarius. Non solum autem remedia supernaturalia adhibenda sunt, sed etiam naturalia, inter quae magnum valorem obtinet adiutorium *boni medici*.

CAPUT IV.

De partibus potentialibus temperantiae.

Convenienter enumerantur sequentes partes potentiales temperantiae: continentia, clementia, mansuetudo, modestia. Sub modestia tamen plures aliae virtutes continentur et praecipue humilitas. Breviter de singulis agendum est.

§ 1.

De continentia.

Continentia[2] relictis variis acceptionibus sumitur hic prout im- 708
portat firmitatem voluntatis, ne ad illicita declinet. Definiri potest: *dispositio voluntatis, qua resistitur pravis concupiscentiis circa tactum*[3]. Idcirco qui resistit passionibus in materia temperantiae dicitur simpliciter continens; qui autem resistit aliis passionibus, vocatur continens secundum quid, e. g. continens irae, continens avaritiae etc. Continentia differt a temperantia, sicut imperfectum a perfecto[4]. Temperantia enim subiectatur in appetitu concupiscibili, quem quasi domitum sub recta voluntate tenet; continentia vero residet in voluntate, quae fortiter pugnat contra rebelles motus appetitus. Unde a quibusdam non male comparatur continens illi, qui feras cicurandas accipit, temperans vero illi, qui eas iam cicuravit. Haec tamen non ita intelligenda sunt, quasi temperans nullos amplius rebelles motus concupiscentiae in se sentiat — contrarium ipse S. Paulus in se expertus est — sed homo virtute temperantiae praeditus facilius omnes motus insurgentes reprimit.

§ 2.

De mansuetudine.

Mansuetudo[5] *est virtus moralis, quae iram secundum rectam* 709
rationem moderatur. Ira non est affectus per se malus, sed est passio

[1] Cf. *R. de Krafft-Ebing*, Psychopathia sexualis.
[2] *Selbstbeherrschung, maîtrise de soi-même, self-command.*
[3] Cf. S. theol. 2, 2, q. 155, a. 2. [4] Ib. a. 4. [5] *Sanftmut, mansuétude.*

per se indifferens et definiri potest: appetitus vindictae. Distinguitur ira *per vitium,* quae antecedit usum rationis illumque perturbat; et ira *per zelum,* quae sequitur deliberationem et multum adiuvat exsecutionem operis ardui. Ira peccaminosa seu *iracundia* contingit dupliciter: a) ratione *obiecti,* quando quis vult vindictam sumere contra ordinem iuris aut ex odio aliove malo fine; b) ratione *modi,* si nempe ira nimis effervescat sive interius sive exterius. — Ira inordinata ex parte obiecti est peccatum mortale ex genere suo; inordinata vero ex parte modi est tantum veniale ex genero suo. Ratio est, quia ira inordinata ex obiecto laedit iustitiam; sin autem deordinatio se tenet ex parte modi, est excessus in re aliunde licita; qui quidem excessus per se est tantum peccatum veniale. Ad iudicandum in praxi de peccaminositate irae consideranda est etiam gradus irae et scandalum inde datum.

Ira est vitium capitale, quia ex illa multa alia vitia oriri solent, ut supra I, n. 429 dictum est[1]. — Mansuetudo, quae recte moderatur iram, est virtus valde pretiosa; nam revera reddit hominem Deo et proximis amabilem. Christus ad nos venit ut «rex mansuetus»[2] et erat «quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam»[3]. Quare S. Paulus obsecrat Corinthios scribens: «Obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi.»[4] Hominibus quoque mansuetudo nos reddit gratos, unde dicitur: «Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris»[5], et: «Mansueti . . . hereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.»[6] Praesertim autem mansuetudo necessaria est sacerdotibus, ideoque Christus dixit discipulis suis: «Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.»[7] Ad mansuetudinem acquirendam valde conducunt *humilitas,* quae nos conscios reddit propriorum defectuum, et *fortitudo,* quae voluntatem roborat contra subitaneos motus irae.

Mansuetudini adversatur per defectum *ignavia* seu inirascentia in vitiis corripiendis et compescendis; per excessum autem ira, ut iam dictum est. De mansuetudine optime scripserunt inter alios S. Thomas[8] et S. Franciscus Salesius[9].

§ 3.

De clementia.

710 **Clementia**[10] est *virtus moralis superiorem inclinans ad poenam debitam mitigandam vel remittendam, in quantum recta ratio permittit.* Quamvis totalis remissio poenae sit potius *venia,* tamen haud immerito reducitur ad clementiam. Mitigatio autem poenae debitae non debet procedere ex motivis illicitis (e. g. ex muneribus acceptis), sed ex affectu lenitatis, sine laesione tamen iustitiae. Clementia valde affinis quidem

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 158, a. 7.
[2] Mt 21, 5. [3] Ier 11, 19. [4] 2 Cor 10, 1. [5] Eccli 3, 19
[6] Ps 36, 11. [7] Mt 10, 16. [8] S. theol. 2, 2, q. 157.
[9] Philothea P. 3, c. 8 et 9. [10] *Milde, clémence, clemency.*

est mansuetudini, sed non est prorsus idem[1]. Etenim mansuetudo moderatur poenam, ut *ex ira* inferendam; clementia vero ut *ex legitima potestate* infligendam. Unde clementia et mansuetudo in hoc conveniunt, quod utraque abhorret alienam miseriam, sed in hoc differunt, quod mansuetudo alteri subvenit per *beneficii collationem,* clementia autem per *poenae subtractionem.* — Clementiae opponitur *crudelitas,* quae est atrocitas animi in exigendis poenis et excedit modum in puniendo[2]. Crudelitas affinis est saevitiae seu feritati, quae tamen potius delectatur in cruciatu hominum[3]. Saevitia seu feritas merito vocatur vitium bestiale et non humanum. Crudelitas et feritas exercentur praecipue in homines, secundario tamen etiam in animalia. Cf. quae supra n. 14 dicta sunt de crudeli vexatione animalium. Per defectum opponitur clementiae *nimia lenitas,* qua quis contra rectum dictamen rationis mitigat aut remittit poenas debitas. Hoc vitium valde damnosum est rei publicae, cum enervet disciplinam et vitia impunia relinquat et pacem bonorum civium perturbet.

§ 4.

De modestia.

Modestia sumitur in duplici sensu: 1. Late, prout moderatur di- 711
versas passiones, in quibus invenitur aliqua difficultas; et tunc continet quattuor species, scil. humilitatem, studiositatem, modestiam motuum exteriorum et modestiam cultus. Modestia in hoc sensu generali definitur: «*virtus qua quis intra modum et limites sui status, ingenii et fortunae quantum ad motus tam internos quam externos et omnem rerum suarum apparatum se continet*»[4]. 2. In stricto sensu modestia est virtus inclinans hominem ad servandum decorum in exterioribus. Agemus breviter de singulis speciebus modestiae late sumptae.

1. De humilitate.

Humilitas prout est virtus moralis definiri potest: «*virtus, quae* 712
cohibet inordinatum appetitum propriae excellentiae, et hominem inclinat ad propriam mediocritatem agnoscendam secundum veritatem», vel brevius: «*virtus, qua quis considerans suum defectum tenet se in infimis secundum modum suum*»[5]. Unde humilitas praecipue duo munia habet: 1. *Reprimere inordinatum appetitum propriae excellentiae.* Minime autem prohibet, ne libenter non obstante humilitate agnoscamus bona sive naturalia sive supernaturalia, quae Deus nobis largitus est. Neque humilitas omnem appetitum gloriae prohibet; unde B. Virgo, quae certe fuit humillima, exclamavit: «Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.»[6]

---

[1] Cf. S. theol. 2, 2, q. 157, a. 1. [2] Ib. q. 159, a. 1.
[3] Ib. a. 2. [4] *Billuart,* De temperantia diss. 7, a. 4.
[5] S. theol. 2, 2, q. 161, a. 1 ad 1. [6] Lc 1, 48 sq.

2. *Se subicere Deo* agnoscendo omnia bona provenire a Deo. Unde S. Thomas[1] docet: «Humilitas, secundum quod est specialis virtus, praecipue respicit subiectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliando se subicit.» Humilitas supponit cognitionem propriorum defectuum vividam; quae quidem cognitio vocatur a S. Bernardo: *humilitas cognitionis*[2]. Homo enim ex se nihil est et omnigenis peccatis onustus; omnia autem quaecumque bona a Deo proveniunt. Idcirco S. Paulus dicit: «Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.»[3] Essentialiter autem humilitas consistit in *appetitu*, quem moderatur, ne feratur inordinato modo in excelsa.

Totam doctrinam de humilitatis essentia S. Thomas complectitur paucis sequentibus verbis: «Humilitas *essentialiter* in appetitu consistit, secundum quod aliquis refrenat impetum animi sui, ne inordinate tendat in magna; sed *regulam* habet in cognitione, ut scil. aliquis non se existimet supra id esse, quod est; et utriusque *principium et radix* est reverentia, quam quis habet ad Deum.»[4]

Quidam sancti ex humilitate putaverunt se peiores omnibus aliis hominibus. Ut autem hoc a falsitate sit immune, duo in unoquoque homine debent considerari, scil. id quod est Dei et id quod est hominis. Hominis est quidquid defectuosum et peccaminosum est; Dei vero est omnis perfectio. Homo igitur comparans in se ea, quae sua sunt, cum bonis, quae alii a Deo habent, debet se illis peiorem iudicare. Pariter potest et debet putare, alium hominem melius cooperaturum fuisse gratiis acceptis quam se ipsum. Demum potest supponere in alio homine esse multa bona incognita. Propter istas considerationes potest homo se interius cuilibet alteri subicere; exterius autem praelati et personae in dignitate constitutae non debent se inferioribus subicere[5].

713 **Necessitas.** Humilitas est virtus valde necessaria, immo est fundamentum vitae moralis, non quidem eo sensu, quasi antecellat aliis virtutibus omnibus — hoc enim falsum est, cum virtutes theologicae excellentiores et magis necessariae sint — sed in quantum removet pestiferam superbiam, quae impedit efficaciam divinae gratiae. Unde pulchre S. Augustinus[6] scribit: «Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem est prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem, non quo alia non sunt praecepta, quae dicantur, sed nisi humilitas omnia, quaecumque bene facimus, et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita, quam intueamur, et opposita, cui adhaereamus, et imposita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cetera *in peccatis*, superbia vero etiam *in recte factis* timenda est, ne illa quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.»

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 161, a. 1 ad 5.
[2] De adventu Dom. sermo 4, n. 4. [3] Gal 6, 3. [4] S. theol. l. c. a. 6.
[5] Ib. a. 3. [6] Ep. 118 (al. 56) ad Diosc. n. 22.

Clare explicat Angelicus Doctor[1], quomodo humilitas et fides sint fundamentum vitae spiritualis. «Primum [fundamentum] in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter: uno modo per modum *removentis prohibens;* et sic humilitas primum locum tenet, in quantum scil. expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae. Unde dicitur, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam[2]. Et secundum hoc dicitur humilitas spiritualis aedificii fundamentum. — Alio modo est aliquid primum in virtutibus directe, per quod scil. iam ad Deum acceditur. Primus autem accessus ad Deum est per fidem, secundum illud: Accedentem ad Deum oportet credere[3]. Et secundum hoc fides ponitur fundamentum nobiliori modo quam humilitas.»

Gradus. Humilitatis sunt tres gradus, quos eleganter exprimit 714
S. Bernardus ita: «Humilitas alia est sufficiens, alia abundans, alia superabundans. *Sufficiens:* subdi maiori nec praeferri se pari. *Abundans:* subdi pari nec praeferri se minori. *Superabundans:* subdi minori.»[4]

Actus autem seu functiones humilitatis enumerantur sequentes: contemptus sui; reputare se donis Dei indignum; non cupere magni aestimari; desiderare vilis haberi; subicere se Deo et hominibus propter Deum; in rebus et functionibus externis amplecti quod est abiectius, nisi contrarium sit necessarium.

Vitia opposita. Humilitati opponitur per excessum *inordinata ab-* 715
iectio sui, quae fit cum neglectu muneris sui; per defectum autem *superbia,* quae est inordinatus appetitus propriae excellentiae. Vocatur autem superbia appetitus, quia licet supponat actum intellectus, scil. nimiam aestimationem propriorum meritorum, tamen formaliter consistit in appetitu propriae excellentiae personalis. Superbia enim exaltationem propriae personae quaerit, et per hoc distinguitur ab ambitione, praesumptione, inani gloria. Nam ambitio versatur circa honores et dignitates; praesumptio quaerit excellentiam in operibus; inanis gloria demum quaerit excellentiam in fama et gloria externa. S. Gregorius[5] enumerat quattuor species superbiae, scil. 1. cum quis aestimat, se habere bona a semetipso; 2. cum quis aestimat se habere bona a Deo quidem, sed ex propriis meritis; 3. cum quis arrogat sibi bona quae non habet; 4. cum quis ceteris despectis vult illis praeferri plus quam decet. — Quomodo superbia se manifestet *exterius,* pulchre explicat S. Thomas[6]. Sicut essentia humilitatis consistit in debita subiectione ad Deum, ita essentia superbiae sita est in illa subiectione recusata. Exinde etiam patet malitia superbiae, quae tanta gravior est, quanta maior est illa rebellio erga Deum. Ex quibus etiam elucet gravitas primi peccati protoparentum et diaboli. Superbia, sicut modo explicata est, vocatur a S. Thoma et S. Gregorio M. *regina omnium vitiorum,* quia revera omnibus vitiis imperat et ad omnia vitia inducere potest. Quare etiam facile intelligitur,

[1] S. theol. 2, 2, q. 161, a. 5 ad 2. [2] Iac 4, 6. [3] Hebr 6, 6.
[4] Sententiae S. Bernardi n. 37.
[5] Moral. l. 23, c. 7. [6] L. c. q. 162, a. 4 ad 4.

Deum debere resistere superbis illisque subtrahere suam gratiam[1]. — Latius egimus de superbia supra in tractatu de vitiis capitalibus I, n. 409.

2. De studiositate.

716 **Studiositas** est *virtus moderans appetitum et studium veritatis cognoscendae secundum regulas rectae rationis*[2]. Homo quidem naturaliter desiderat cognoscere veritatem; cum autem post peccatum originale cognitio veritatum haberi nequeat sine laborioso studio, nonnulli homines ex pigritia negligunt addiscere veritates etiam necessarias. Ad pigritiam vincendam in addiscendis veritatibus necessariis impellit *fortitudo*. Inordinatum vero desiderium sciendi moderatur virtus studiositatis. Studiositas praecipue versatur circa cognitionem *sensitivam* moderandam, quia ibi facilius oritur inordinatio.

Vitium studiositati oppositum *per excessum* est *curiositas*[3], quae est inordinatus appetitus cognoscendi. Curiositas versatur tam circa cognitionem intellectivam quam sensitivam. Circa cognitionem intellectivam potest accidere inordinatio: 1. ex parte *finis*, si scil. quaeritur scientia ad malum finem, e. g. ad aliis nocendum; 2. ex inordinato *modo* appetendi scientiam; et hoc quadrupliciter: a) si quis propter studium rerum inutilium negligit scientias necessario addiscendas; c) si quis conatur addiscere scientiam a diabolo; c) si quis non ordinat scientiam creaturarum ad cognitionem Dei; d) si quis studet cognoscere veritates excedentes suam capacitatem. — Ex parte autem cognitionis sensitivae potest adesse inordinatio, vel quia non ordinatur ad aliquid utile et potius avertit a scientia necessaria, vel quia versatur circa res periculosas, e. g. si quis curiose inspiciat mulierem et inde tentationes contra castitatem patiatur. — Curiositas inordinata ex se non est nisi peccatum veniale, cum eius inordinatio non sit tanta; potest tamen fieri peccatum mortale ratione materiae, finis et mediorum adhibitorum. Curiositas inordinata vocatur aliquando *concupiscentia oculorum*[4]. Non tantum vitio curiositatis, sed etiam contra iustitiam peccat ille, qui alterius litteras apperit et legit[5].

Per *defectum* opponitur virtuti studiositatis *negligentia*, i. e. voluntaria omissio sciendi ea, quae necessaria sunt secundum statum et conditionem cuiusque personae. Gravitas huius peccati dependet ex malis inde secutis vel saltem ex probabili periculo malorum.

3. De modestia in exterioribus rebus.

717 **Modestia** in exterioribus rebus est *virtus moralis inclinans hominem ad servandum decorum in exterioribus iuxta rectam rationem*. Ista autem exteriora sunt a) motus corporis, b) ludi, c) vestimenta et ornamenta corporis. a) Modestia in exterioribus *motibus corporis* est valde

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 162, a. 6 ad 3. [2] Ib. q. 166, a. 2. Germanice: *Wißbegierde*.
[3] *Neugierde*. [4] S. theol. 2, 2, q. 167, a. 2.
[5] Cf. supra n. 181, ubi de violatione secreti agebatur.

necessaria ad iucundum convictum. Unde S. Augustinus[1] monet: «In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum.» Merito autem dicitur in Ecclesiastico: «Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo.»[2] — Propterea scriptores tum sacri tum profani multas regulas dant de recta compositione motuum corporis. Praesertim autem vitandae sunt ex una parte *affectatio* et ex altera parte *rusticitas*.

b) Modestia recta *in ludis* pariter necessaria est, ne quis sit nimis addictus ludis cum scandalo aliorum et proprio detrimento. Virtus moderans rectum usum ludi vocatur *eutrapelia*[3].

c) Modestia *in vestimentis et ornatu corporis* non tantum omnem turpitudinem, sed etiam omnem superfluitatem aut deficientiam vitat. Contra istam modestiam peccatur: 1. Per *excessum,* quando ornatus, consideratis omnibus conditionibus personae, loci et temporis, est vel nimis studiose quaesitus vel nimiis expensis acquisitus. Tali excessu peccant non pauci homines utriusque sexus, qui tempus, laborem et pecuniam prodige terunt ad excessivum ornatum procurandum. Quantitas peccati in huiusmodi excessivo ornatu ex multis pensanda est: ex scandalo orto, ex laesis officiis status, ex malo fine intento. Confessarius et praedicator sit cautus in admonitione fidelium de hac re; quia saepe prorsus inutiliter adhortatur atque potius risum et indignationem quam bonum effectum causat. Quod quidem praesertim de ornatu mulierum valet. Si tamen iste ornatus incitat ad lasciviam, tunc sane acriter vituperandus est. Mulieres possunt licite se ornare ad augendam pulchritudinem suam, dummodo tamen adsit honestus finis et desit omne scandalum. Antiqui auctores severius locuti sunt de *fuco,* qui faciei imponitur. Sed praeciso scandalo et malo fine non est, cur fucus sit moraliter malus. Gravior exsistit difficultas quantum ad nudationem pectoris plus minusve extensam, quam feminae solent adhibere praesertim in quibusdam occasionibus, e. g. in magnis prandiis et saltationibus[4]. 2. Per *defectum,* quando quis non adhibet debitam diligentiam in ornatu et vestibus.

Haec pauca de virtutibus cardinalibus dicta sufficiant. Qui plura cupit, adeat S. Thomam[5], qui de earum dignitate disserens scribit: «Inter alias virtutes [morales] prudentia est maxima, quia est moderatrix aliarum; et post hanc iustitia, per quam homo bene se habet non solum in se ipso, sed ad alium; et post hanc fortitudo, per quam homo propter bonum contemnit pericula mortis; et post hanc temperantia, per quam homo propter bonum contemnit maximas delectationes corporalium.»[6]

---

[1] Regula. [2] Eccli 19, 26 sq.
[3] Cf. supra n. 317 et S. theol. 2, 2, q. 168, a. 2.
[4] Cf. quae supra I, n. 613 dicta sunt de ornatu mulierum.
[5] S. theol. 2, 2, q. 47—170. [6] Quaest. disp. unic. de virtut. card. a. 3.